ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMA TRINITATE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGIAE SPECULATIVAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TOMUS IV

TRACTATUS
DE
SANCTISSIMA TRINITATE
(1, Quaest. XXVII-XLIII)

AUCTORE
ALEXIO HENRICO M.
TIT. S. SUSANNAE
S. R. E. CARD. LÉPICIER
O. S. M.

Secunda editio recognita et notabiliter aucta

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Io., XIV, 23.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ROMANA « BUONA STAMPA »
VIA EZIO 19
1929

IMPRIMATUR

✝ Ioseph Palica, Arch. Philippen., Vic. Ger.

Omnia iura proprietatis auctor sibi vindicat

Παναμώμῳ Θεοτόκῳ

καὶ ἀειπαρθένῳ

ΜΑΡΙΑ

τριαδικῶν χαρίτων πληρώματι

ὡς τὰ δεύτερα τῆς Θεότητος

φερούσῃ [1]

[1] Ex S. Ephraemo, Prec. IV, Opp. gr. Lat., t. III. p. 529 A.

12485

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesanct0000vari

INVOCATIO

(EX FERIA II AD LAUDES).

Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis,
Diem dies illuminans.

Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti:
Iubarque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

Votis vocemus et Patrem,
Patrem potentis gratiae,
Patrem perennis gloriae:
Culpam releget lubricam.

Confirmet actus strenuos:
Dentes retundat invidi:
Casus secundet asperos:
Agenda recte dirigat.

Mentem gubernet et regat:
Sit pura nobis castitas:
Fides calore ferveat:
Fraudis venena nesciat.

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides:
Laeti bibamus sobriam
Profusionem Spiritus.

Laetus dies hic transeat:
Pudor sit ut diluculum:
Fides velut meridies:
Crepusculum mens nesciat.

Aurora lucem provehit,
Cum luce nobis prodeat
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.
Amen.

PRAEFATIO.

Post considerationem de Dei essentia eiusque attributis essentialibus necnon operationibus secundum intellectum et voluntatem, postulat logicus ordo ut de ineffabili illo fidei nostrae mysterio, quo personarum trinitatem in essentiae unitate profitemur, specialis, iuxta fidei principia, investigatio instituatur. Quam vero altum, quam sublime, quam a sensibus remotum sit istud mysterium et quam ardua res sit illud rimari, probe testatur gentium Doctor, dum mirabundus exclamat [1]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quoniam per ipsum, et in ipso, et per ipsum sunt omnia. Ipsi gloria in saecula.*

Est quippe Trinitatis mysterium radix et centrum totius oeconomiae christianae religionis, cuius tessera est, a Deo Patre, tanquam fontali principio, ab aeterno processisse, per intellectus emanationem, quae generatio propriissime vocatur, Verbum ei coessentiale et coaequale, quod, simul cum Patre, tertiam spirat personam, Spiritum Sanctum nempe, utrique in identitate naturae persimilem.

Sed et in ineffabili hoc mysterio rationem deprehendere est tum rerum huius mundi, tum maxime vitae spiritualis in homine per gratiam vigentis.

Et primo quidem, quod ad rerum creationem pertinet, quemadmodum artifex, per verbum suum conceptum in intellectu, et per amorem suae voluntatis, ad aliquid producendum procedit, ita Deus Pater per suum Verbum, qui Filius eius est, et per suum Amorem, qui est Spiritus Sanctus, creaturam est operatus; unde, licet virtus creandi sit tribus personis communis, ordine tamen quodam eisdem convenit,

[1] Rom., XI, 33, seq.

nam Filius eam habet a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque; unde creatorem esse attribuitur Patri, ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio; Filius autem eamdem virtutem habet, sed a Patre, unde de eo dicitur [1]: *Per quem omnia facta sunt*, cum praepositio *per* soleat denominare causam mediam, seu principium de principio; tandem Spiritui Sancto, qui eamdem virtutem ab utroque habet, attribuitur quod dominando gubernet et vivificet quae sunt creata a Patre per Filium. Quocirca, dicitur quod licet creare, sicut omnia opera ad extra, sit commune toti Trinitati, personae tamen divinae, secundum rationem suae processionis, in quantum includunt attributa essentialia, scilicet intellectum et voluntatem, habent unaquaeque propriam causalitatem respectu productionis rerum [2].

At potissime respectu vitae spiritualis, seu operationum gratiae in anima iusti, apparet effulgentia huius mysterii in mundo. Nam, sub potenti influxu Patris, regenerationem animae per gratiam operantis, Verbum, utpote *lux vera, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [3], et Spiritus Sanctus motu quodam interiori animam vivificat et ad perfectionem adducit omnes eius operationes, unde et Spiritus sanctificator appellatur. Quae trium personarum operationes liquido apparent in illo divinarum operationum mirabili opificio, quod fuit Beatissima Virgo Maria, Patris Filia, Verbi Mater, Sponsa Spiritus Sancti.

Quae cum ita sint, mirum non est, si Ecclesia suas ad Deum orationes per invocationem trium personarum, quae primum nobis principium et ultimus finis sunt, concludere soleat, quas proinde iugiter exorare debemus, ut ad nos veniant et apud nos mansionem faciant quatenus digni efficiamur qui in earum faciali visione in aeternum beatificemur.

Romae, in festo desponsationis B. Virginis cum S. Ioseph, 1929.

[1] Io., I, 3. — [2] Cf. 1. Quaest. XLV, art. 6. — [3] Io., I, 9.

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMA TRINITATE

INDEX RERUM

PROOEMIUM.

	PAG.
1. Profunditas huius tractatus	1
2. Huius tractatus ad alios relatio	2
3. Utilitas cognitionis huius tractatus	3
4. Duplex error praecavendus	4
5. Ordo in hoc tractatu servandus	5
6. Totius tractatus logica distributio	6

QUAESTIO PRIMA

XXVII.

DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Prologus.

1. Quid sit processio	9
2. Processio operationis et processio operati	9
3. Ordo quaestionis	10

ART. 1. — *Utrum processio sit in divinis.*

1. Ordo articuli	11
2. PROP. I. — In Deo dantur processiones	11
3. Auctoritas Sacrae Scripturae et Patrum	11

PAG.

4. Prop. II. — Dogma de processionibus divinis ad intra nequit argui impossibilitatis aut contradictionis 13
5. Probatur 13
6. Prop. III. — α) Filius et Spiritus Sanctus sunt vere Deus aeque ac Pater; β) tres autem istae personae realiter distinguuntur ab invicem 14
7. Prob. 1ª Pars 14
8. Evolvitur argumentum 14
9. Difficultates contra divinitatem Filii 16
10. Difficultates contra divinitatem Spiritus Sancti . . . 17
11. Prob. 2ª Pars, nempe, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum realiter ab invicem distingui 18
12. Refutatur Sabellius 18
13. Obiectio Macedonianorum 19
14. Errores Arii et Sabelli circa processiones in divinis . 20
15. Prop. IV. — Processio in divinis non debet accipi secundum quod est ad aliquid extra, sed secundum quod est ad aliquid intra 20
16. Ostenditur 21
17. Duplex processio, scilicet ad intra et ad extra . . . 21
18. Scoti figmentum explodituir 22
19. Difficultates solvuntur 22
20. Analogia processionis Verbi Dei, cum processione verbi mentis nostrae 23
21. Expenditur analogia 24
22. Conclusio 26

Art. II. — *Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.*

1. Ratio articuli 27
2. Quid sit generatio 27
3. Explicatur definitio generationis 28
4. Scholion. — Quid spectat ad conceptum generationis proprie acceptae 28
5. Prop. — Processio Verbi in divinis dici debet generatio et quidem propriissime 29
6. Auctoritas 29
7. Probatur ex Sacra Scriptura 29
8. Patres 30
9. Corollarium. — Errores Gnosticorum, Marcionitarum et Manichaeorum 31

PAG.
10. Diversi gradus processionum 31
11. Ostenditur generationem esse in Deo 33
12. Processio Verbi est generatio propriissime 34
13. Comparatio Verbi in divinis et verbi mentis nostrae . . 35
14. Solvitur difficultas 35

ART. III. — *Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi.*

1. Quid sit procedere per modum naturae 36
2. Errores 37
3. Advertenda ad solutionem dubitationis 37
4. Analogia inter operationem intellectus et operationem voluntatis 38
5. PROP. — In divinis, praeter processionem Verbi, est alia processio, quae est processio Amoris 39
6. Sacra Scriptura 39
7. Patres 40
8. Ostenditur haec veritas 40
9. Confirmatur ex eo quod invenitur in rebus creatis . . . 40
10. SCHOLION. — Divinae processiones ordine quodam intelligi debent 41
11. Difficultas solvitur 42

ART. IV. — *Utrum processio Amoris in divinis sit generatio.*

1. Ratio articuli 43
2. Dubitandi rationes 43
3. PROP. I. — Processio Amoris in divinis non est generatio . 44
4. Auctoritas 44
5. Sacra Scriptura 44
6. Ratio theologica ex formali differentia inter processionem secundum intellectum et processionem amoris . . 45
7. Ulterius explicatur 46
8. Auctoritas S. Anselmi 47
9. COROLLARIUM. — Quonam sensu Spiritus Sanctus aliquando dictus sit Imago aut Verbum Filii 47
10. PROP. II. — Procedens in divinis per modum Amoris procedit ut Spiritus, et eius processio potest nominari spiratio . 48
11. PROBATUR 48
12. SCHOLION. — Nomen spiratio non est nomen proprium, sicut

PAG.

est nomen generatio, quia non significat formaliter communicationem eiusdem naturae vi Amoris, seu impulsus . 48
13. Difficultatum solutio 49
14. Scholion. — Verba quibus Nazianzenus et Nyssenus differentiam quae est inter duas processiones, explicant . . 50

Art. V. — *Utrum sint plures processiones in divinis quam duae.*

1. Ratio articuli 50
2. Rationes quae suadere videntur maiorem numerum processionum 51
3. Prop. — Non sunt in Deo nisi duae processiones . . . 51
4. Auctoritas Sacrae Scripturae et Patrum 51
5. Probatur 52
6. Solvitur tacita obiectio 52
7. Solutio difficultatum suprapositarum 53
8. Advertenda circa modum quo Verbum a Patre procedit . 54
9. Durandi obiectio, putantis divinas processiones esse formaliter ex vi fecunditatis naturae divinae 54
10. Refutatur praedicta sententia 55
11. Quomodo divina essentia sit principium processionis . . 55
12. Corollarium. — In quonam divinae processiones conveniant et in quonam discrepent 56
13. Solvitur tacita difficultas 57
14. Scholion. — Falsitas positionis Hermanni Schell . . . 57

QUAESTIO SECUNDA
(XXVIII).

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 59
2. Ordo quaestionis 60

Art. I. — *Utrum in Deo sint aliquae relationes reales.*

1. Quid sit relatio 60
2. Esse relationis est debile et difficile apprehensu . . . 61
3. Relationis divisio 62

PAG.
4. Relatio rationis est vera relatio sicut relatio realis . 62
5. Prop. — Relationes quaedam sunt in divinis realiter . 62
6. De fide est dari relationes in divinis . . 63
7. Concilia . 64
8. Patres 64
9. Ratio theologica . . . 65
10. Explicatur argumentum . . . 65
11. Tacita obiectio 66
12. Quomodo solvit Suarez difficultatem sumptam ex hoc quod videretur Pater perfici sua ad Filium relatione 66
13. Doctrina S. Thomae 67
14. Difficultates solvuntur 68
15. Scholia. — I. Quomodo dici possit personas divinas distingui relationibus, origine, et relationibus originis. — II. Deus non produxit creaturas ex necessitate . . . 70

Art. II. — *Utrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia.*

1. Ratio articuli 71
2. Advertendum 71
3. Errores 72
4. Prop. — Relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, et differt secundum rationem . . 72
5. Auctoritas 72
6. Patres 73
7. Suadetur haec veritas 73
8. Propria ratio assignatur . 73
9. Confirmatur 74
10. Scholion. — Verba Sanctorum Augustini et Thomae 75
11. Radix erroris Gilberti 76
12. Advertenda circa nomen relatio 76
13. Corollarium. — Distinctio relationum a divina essentia 77

Art. III. — *Utrum relationes quae sunt in Deo realiter ab invicem distinguantur.*

1. Ratio articuli 77
2. Prop. — Relationes in divinis realiter ab invicem distinguuntur, non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia, sed secundum rem relativam 78
3. Auctoritates 78
4. Prob. ratione theologica . 78

PAG.

5. Explicatur 79
6. Sensus huius axiomatis: QUAE SUNT EADEM UNI TERTIO, SUNT EADEM INTER SE 80
7. SCHOLION. — Comparatio inter attributa absoluta et relationes . 81
8. COROLLARIUM. — Relationes realiter oppositae personas formaliter constituunt et distinguunt . . 81
9. Difficultas solvitur 82

ART. IV. — *Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes: scilicet, paternitas, filiatio, spiratio et processio.*

1. Ratio articuli 82
2. PROP. — Sunt in divinis quatuor relationes reales: paternitas, filiatio, spiratio et processio . . . 82
3. Auctoritas 83
4. Patres 83
5. Ratio theologica 84
6. Rationes suadentes maiorem relationum numerum 84
7. Rationes ad inducendum minorem relationum realium numerum 86
8. SCHOLION. — Ex quaternitate relationum realium non sequitur quaternitas subsistentium in divinis 87
9. Solvuntur difficultates 87
10. COROLLARIUM. — Momentum doctrinae de relationibus divinis 88
11. Erronea Rosminii sententia . . 88

QUAESTIO TERTIA

(XXIX)

DE PERSONIS DIVINIS.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 90
2. Dicendorum ordo 90

ART. I. — *De definitione personae.*

1. Personae definitio 91
2. Tacita obiectio 92
3. Explicatur definitio 92

PAG.
4. I. Substantia 92
5. Tacita obiectio 93
6. II. Rationalis naturae 94
7. III. Individua 95
8. Corollarium. — Definitiones personae a Günther et a Rosmini tradilae . . . 96

Art. II. — *Utrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia et essentia.*

1. Ratio articuli 97
2. Schisma Antiochenum . . . 97
3. Quid significet nomen substantia . . . 98
4. Quid sit essentia 99
5. Res naturae 100
6. Subsistentia 100
7. Hypostasis 101
8. Scholion. — Comparatur hypostasis cum substantia, essentia et subsistentia . . . 102

Art. III. — *Utrum nomen personae sit ponendum in divinis.*

1. Ratio articuli 103
2. Praenotanda 104
3. Etymologia nominis persona 104
4. Prop. — Hoc nomen, persona, Deo est attribuendum . . 105
5. Auctoritas 105
6. Patres 106
7. Tacita obiectio 106
8. Scholion. — Quo pacto liceat novis vocabulis uti . . 107
9. Prob. ratione theologica . . . 107
10. Exponitur 107
11. Obiectio solvitur 108
12. Scholion. — Qua ratione Deo convenit personae definitio . 109

Art. IV. — *Utrum hoc nomen,* PERSONA *significet relationem.*

1. Ratio articuli 110
2. Prima sententia 110
3. Secunda sententia 111

PAG.

4. Canon. — Aliquid est de significatione minus communis, quod non est de significatione magis communis 111
5. Prop. — Persona divina significat relationem ut subsistentem 112
6. Probatur 112
7. Scholion. — Conciliantur duae sententiae prima fronte pugnantes 112
8. Difficultas solvitur 113
9. Corollaria. — I. Persona ex nominis indole habet quod significet relationem. — II. Hoc nomen dicitur de Deo et de creaturis analogice 114
10. Quaestio. — *Utrum divina essentia subsistat, et utrum sit quarta subsistentia ponenda?* 114
11. Divina essentia subsistit 115
12. Quid sit subsistentia 116
13. Quid sit incommunicabilitas 116
14. Solutio. — Personae divinae subsistunt incommunicabiliter, natura vero divina subsistit, sed communicabiliter . . 116
15. Conclusio 118

QUAESTIO QUARTA

(XXX).

DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 120
2. Ordo articulorum 120

Art. I. — *Utrum sit ponere plures personas in divinis.*

1. Praenotamen 121
2. Prop. — Sunt plures personae in divinis 122
3. Probatur 122
4. Difficultates solvuntur 122
5. Scholion. — Comparatio inter proprietates absolutas et relativas 123

ART. II. — *Utrum in Deo sint plures personae quam tres.*

PAG.
1. Praenotandum 124
2. PROP. — Necesse est ponere tres tantum personas in divinis 125
3. PROBATUR 125
4. Exponitur 125
5. COROLLARIUM. — Licet sint quatuor relationes in Deo, tamen tres sunt personae tantum 126
6. Confirmatur ex rationibus dialecticis 127
7. Obiectio ad suadendam quaternitatem personarum in divinis 130
8. Obiectiones ad suadendum infinitum personarum numerum 131

DISSERTATIO SPECIALIS.

Probationes circa mysterium sanctissimae Trinitatis ex documentis fidei desumptae.

1. Definitiones Ecclesiae 134
2. Probationes ex Veteri Testamento 135
3. Confirmatur 137
4. Probationes ex Novo Testamento 138
5. Probationes ex doctrina Patrum 140
6. Probationes ex traditione Ecclesiae 143

ART. III. — *Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis.*

1. Ratio dubitandi 146
2. Opiniones 146
3. Duplex genus divisionis 147
4. PROP. — Termini numerales significant in divinis res de quibus dicuntur, et super hoc nihil addunt, nisi negationem divisionis circa unamquamque earum . 147
5. Explicatur 147
6. PROBATUR 148
7. COROLLARIUM. — Quid de recensitis opinionibus sit tenendum 148
8. SCHOLION. — Termino numerali duplex competere potest significatus 148
9. Difficultas solvitur 149

ART. IV. — *Utrum hoc nomen,* PERSONA, *possit esse commune tribus personis.*

PAG.

1. Praenotamen 150
2. Sententiae 150
3. PROP. — Hoc nomen PERSONA, in divinis est commune tribus personis communitate rationis, non sicut genus aut species, sed sicut individuum vagum 150
4. Declaratur 150
5. Explicatur 151
6. SCHOLION. — Nomen *persona,* in divinis, non est genus aut species 152

QUAESTIO QUINTA

(XXXI).

DE HIS QUAE AD UNITATEM VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

Prologus.

1. Ratio' quaestionis 153
2. Nomen Trinitatis 153
3. Ordo quaestionis 154

ART. I. — *Utrum Trinitas sit in divinis.*

1. Nominis convenientia 155
2. Nominis significatio 155
3. Comparatio triplex 156
4. QUAESTIO. — *Cum in divinis concreta praedicentur de abstractis, potestne dici quod Trinitas est trina, sicut dicitur quod* DEITAS EST DEUS 157

ART. II. — *Utrum Filius sit alius a Patre.*

1. Praenotanda 157
2. Voces essentiam dividentes 158
3. Voces personas confundentes 159

PAG.
4. De nomine ALIUS 160
5. SCHOLION. — Pater et Filius sunt unum, non autem unus . 160
6. MONITUM. — Cavendum est a vocum novitate 161

ART. III. — *Utrum dictio exclusiva,* SOLUS, *sit addenda termino essentiali in divinis.*

1. Dictio categorematica et syncategorematica 161
2. PROP. — Dictio exclusiva, SOLUS, *a*) categorematice accepta, nequit addi termino essentiali in divinis; *b*) bene vero syncategorematice sumpta 162
3. PROB. 1ª PARS 162
4. PROB. 2ª PARS 162
5. COROLLARIUM. — Quomodo Deus dicatur solus bonus . 162
6. QUAESTIO. — *Utrum si nulla creatura esset, posset dici Deum esse solum?* 163
7. Difficultates solvuntur 164

ART. IV. — *Utrum dictio exclusiva possit adiungi termino personali.*

1. Ratio articuli 166
2. Solutio diversa iuxta categorematicam vel syncategorematicam acceptionem huius vocis *solus* 166
3. Solvuntur difficultates 168

QUAESTIO SEXTA.
(XXXII).

DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 170
2. Quomodo se habeat cognoscibilitas mysterii Trinitatis ad eius nominabilitatem 170
3. Dicendorum ordo 171

ART. I. — *Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.*

1. Neoplatonici 172
2. Raymundus Lullus 174
3. Rosminius 174

PAG.

7. Prop. — Impossibile est per rationem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire 175
5. Auctoritas 175
6. Probatur ex S. Scriptura 176
7. Probatur ex Sanctis Patribus 176
8. Ratio theologica. Res creatae unitatem Dei manifestant, non autem trinitatem 176
9. Confirmatur: I. Ex fidei natura 178
10. II. Ex oeconomia fidei 179
11. Duplex Trinitatis cognitio 180
12. Quid senserint philosophi ethnici 181
13. *a*) Aristoteles 182
14. *b*) Plato 183
15. *c*) Lao-Tseu 184
16. *d*) Magi Pharaonis 185
17. *e*) Trismegistus 185
18. Valor argumentorum 186
19. Triplex Trinitatis repraesentatio 188
20. Duplex utilitas revelationis mysterii Sanctissimae Trinitatis . 190
21. Solvuntur obiectiones 190

Art. II. — *Utrum sint ponendae notiones in divinis.*

1. Ratio articuli 192
2. Praepositivi opinio 192
3. Refutatur Praepositivi sententia 192
4. Praemonenda. Duo nominum genera, scilicet nomina absoluta et relativa 193
5. Prop. — Necesse est ponere notiones in divinis . . . 193
6. Nomen Notio 193
7. Usus nominis Notio 194
8. Argumentum indirectum. Ex necessitate respondendi haereticis 194
9. Argumentum directum. Ex relationibus divinis . . . 195
10. Responsio Praepositivi excluditur 195
11. Explicatur ratio allata 196
12. Scholion. — Secundum duas relationes Filii et Spiritus Sancti quibus istae personae referuntur ad Patrem, ponuntur in ipso Patre duae relationes quibus ipse e converso refertur ad Filium et ad Spiritum Sanctum 197
13. Solvuntur obiectiones 197
14. Quid sint notiones 199

ART. III. — *Utrum sint quinque notiones.*

PAG.
1. Replicatur notionis conceptus 200
2. Essentia notionis 201
3. PROP. — Sunt in divinis quinque tantum notiones: scilicet, innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio 201
4. Probatur 201
5. SCHOLIA. — I. Tres tantum sunt notiones personales. — III. Deus nequit dici quinus. — III. Notiones ad invicem praedicari nequeunt 202
6. QUAESTIO. — *Utrum inspirabilitas sit notio?* 203
7. Rationes propter quas innascibilitas ponitur notio Patris 204

ART. IV. — *Utrum liceat contrarie opinari de notionibus.*

1. Quandonam sit aliquis haereseos accusandus . 204
2. Quid circa notiones sit sentiendum 205
3. QUAESTIO. — *Utrum liceat quamcumque opinionem in theologia sequi?* 206

QUAESTIO SEPTIMA

XXXIII.

DE PERSONA PATRIS

Prologus.

1. Dicendorum ratio 207
2. Prima persona 207
3. Ordo quaestionis 208

ART. I. — *Utrum competat Patri esse principium.*

1. Quid sit esse principium . . . 209
2. Principium dupliciter sumptum . . . 209
3. PROP. — Esse principium competit Patri . 210
4. Auctoritas 210
5. Patres 210
6. Ratio theologica 211

PAG.

7. Cur non competat Patri esse causam 211
8. Explicatur 211
9. Confirmatur verbis S. Thomae 212
10. Scholion. — Aliqui Patres latini hoc nomen, causa, usurpaverunt 213

Art. II. — *Utrum hoc nomen,* pater, *sit nomen proprie divinae personae.*

1. Triplex acceptio huius nominis, pater 213
2. Advertenda circa ly *proprie* 213
3. Prop. I. — Hoc nomen, Pater, quod significat paternitatem, est nomen proprium personae Patris 214
4. Auctoritas 214
5. Patres 214
6. Ratio theologica 215
7. Nomen genitor aut generans 215
8. Prop. II. — Nomen istud, Pater, *a*) licet quantum ad modum significandi, prius dicatur de creaturis quam de Deo, tamen, *b*) quantum ad rem significatam, prius dicitur de Deo quam de creaturis 215
9. Prob. 1ª Pars 216
10. Prob. 2ª Pars 216
11. Corollarium. — Cum de prima persona dicitur quod est *Pater*, non sumitur nomen analogum ad omnem quomodolibet patrem significandum, sed secundum quod est primus et caput huius analogiae 216

Art. III. — *Utrum hoc nomen,* Pater, *dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.*

1. Ratio articuli 217
2. Prop. — Paternitas in divinis per prius dicitur secundum quod importat respectum personae ad personam, quam secundum quod importat respectum Dei ad creaturas 217
3. Suadetur 217
4. Probatur 217
5. Exponitur argumentum 218
6. Quatuor modi filialis assimilationis creaturae ad Deum . . . 218
7. Corollarium. — Personalia Dei sunt priora communibus respectivis ad extra 219
8. Scholion. — Paternitas et filiatio, secundum quod sumuntur personaliter et communiter ad extra, dicuntur analogice . 220

ART. IV. — *Utrum esse ingenitum sit Patri proprium.*

PAG.
1. Quid significet nomen INGENITUS 220
2. Principium dupliciter sumptum 221
3. PROP. — Esse ingenitum est proprium Patri 221
4. Auctoritas 221
5. Ratio theologica 221
6. Quid nomen INGENITUS non importet in divinis . 222
7. Quid importet in divinis nomen INGENITUS 222
8. Ingenitus in divinis dicitur privative . . . 23
9. Solvitur obiectio 223
10. SCHOLIA. — I. Si ponerentur in divinis duo ingeniti, oporteret ponere duos deos aut duas naturas divinas. — II. Licet Pater non sit persona procedens, ideoque processio ab eo removeatur aeque ac generatio, tamen non est convenions ut dicatur *improcessibilis*, sicut dicitur innascibilis . . 224

QUAESTIO OCTAVA

(XXXIV.)

DE PERSONA FILII

Prologus.

1. Nomina secundae personae 225
2. Gravitas huius quaestionis 225
3. Dicendorum ordo 226

ART. I. — *Utrum Verbum in divinis sit nomen personale.*

1. Ratio articuli 226
2. Errores 227
3. Verbum proprie acceptum . . 227
4. Notandum 228
5. Ordo inter verba 229
6. Verbum metaphorice sumptum 229
7. Quo sensu hic sumatur VERBUM 230
8. PROP. — Hoc nomen, VERBUM, secundum quod proprie sumitur in divinis, non dicitur essentialiter, sed personaliter tantum 231
9. Sacra Scriptura 231
10. Patres 232

PAG.

11. Ratio theologica 232
12. Tacita obiectio 233
13. Explicatio eiusdem veritatis 233
14. Est tantum unum dicens in divinis 234
15. Sunt plura dicta in divinis 235
16. Solvitur difficultas 236
17. Corollarium. — Propriissime persona procedens a dicente dicitur Verbum 236

Art. II. — *Utrum Verbum sit proprium nomen Filii.*

1. Errores 237
2. Prop. — Verbum personaliter dictum in divinis est proprium nomen Filii 238
3. Probatur 238
4. Auctoritas 239
5. Pluralitas nominum secundae personae 239
6. Solvuntur difficultates 239
7. Scholion. — Explicatio verborum S. Pauli (Hebr., I, 3): *Portans omnia verbo virtutis suae* 240

Art. III. — *Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas.*

1. Ratio articuli 241
2. Prop. — Respectus qui in nomine Verbi ad creaturam importatur, in hoc consistit, ut sit expressivum et operativum eiusdem creaturae 242
3. Probatur 242
4. Scholion. — Verbum est ratio tum expressiva, tum effectiva omnium fiendorum 242
5. Notanda circa modum quo Verbum ad creaturam refertur . 243
6. Solvuntur difficultates 244
7. Instantia 245
8. Corollarium. — Verbum dicitur personaliter et numero singulari, ideae vero essentialiter et numero plurali 245

SYNOPSIS DE HAERESI ARIANA.

1. Arii impia dogmata 247
2. Semiariani 248
3. Formula Sirmii 249

PAG.
4. Concilium Ariminense 249
5. Ecclesiae infallibilitas 249
6. S. Athanasius 250

QUAESTIO NONA

(XXXV).

DE IMAGINE

Prologus.

1. Imago et splendor 251
2. Quaestionis divisio 251

ART. I. — *Utrum imago in divinis dicatur personaliter.*

1. Quid sit imago 252
2. Quaenam ad imaginem requirantur 252
3. PROP. — Hoc nomen, Imago, in divinis, est nomen personale . 254
4. Probatur 254
5. SCHOLION. — Res ad cuius imaginem aliquid fit, aliquando dicitur imago, sed improprie . . . 254

ART. II. — *Utrum nomen Imaginis sit proprium Filii.*

1. Sententiae 254
2. PROP. — Nomen imaginis in divinis est proprium Filii 255
3. Probatur 255
4. Rationes non probandae 255
5. Vera ratio adsignatur 256
6. QUAESTIO. — *Utrum homo possit dici imago Dei?* . . 256

QUAESTIO DECIMA.

(XXXVI).

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

Prologus.

1. Imperfecta tertiae personae cognitio . . . 258
2. Dicendorum ordo 259
3. Ordo huius quaestionis 260

ART. I. — *Utrum hoc nomen,* SPIRITUS SANCTUS, *sit proprium alicuius divinae personae.*

PAG.

1. Ratio articuli 261
2. Praenotamen 261
3. PROP. — Hoc nomen, SPIRITUS SANCTUS, est nomen proprium tertiae personae, ipsi accommodatum ex usu Scripturae et ex Ecclesiae auctoritate 262
4. Expenditur 262
5. I. Tertia persona proprio nomine caret . . . 262
6. II. Accommodatio huius nominis 262
7. III. Huius rei convenientia 264
8. SCHOLION. — Hoc nomen, Spiritus Sanctus, ut est proprium tertiae personae, sumitur in vi unius dictionis tantum . . 265
9. QUAESTIO I. — *Cur Spiritus Sanctus, non secus ac Pater, potest dici noster?* 265
10. QUAESTIO II. — *Utrum liceat Spiritum Sanctum in forma humana repraesentare?* 266

ART. II. — *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio.*

1. Errores. - Lactantius 266
2. Macedoniani 267
3. Condemnatio huius erroris 267
4. Theodoretus et Damascenus 268
5. Origo particulae FILIOQUE 269
6. Concilia 271
7. Concilii Florentini definitio 272
8. Graecorum defectio 273
9. PROP. — Spiritus Sanctus procedit ex Patre et Filio . 274
10. Definitiones Ecclesiae 274
11. Probationes ex S. Scriptura 274
12. I. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii . . . 275
13. II. Spiritus Sanctus dicitur a Filio missus . . . 276
14. III. Spiritus Sanctus dicitur a Filio accipere . . 277
15. IV. Per Spiritum Sanctum dicitur Filius operari . . . 277
16. SCHOLION. — Quid respondendum sit Graecis contendentibus in Sacra Scriptura non poni quod Spiritus Sanctus a Filio procedat 278
17. Probationes ex Traditione 278
18. Patres graeci 279

PAG.

19. Confirmatur . . . 282
20. Patres latini . . . 283
21. Theologicae rationes ex parte Filii . . . 284
22. Rationes ex parte Spiritus Sancti . . . 285
23. Primum argumentum. - Ex distinctione Spiritus Sancti a Filio . . . 286
24. Exponitur theologice . . . 286
25. Solvuntur obiectiones . . . 288
26. Secundum argumentum. - Ex ratione processionum 291
27. Tertium argumentum. - Ex ipso ordine rerum 292
28. Quaestiones. — I. *Utrum, si in S. Scriptura inveniretur quod in solo Patre procedit Spiritus Sanctus, per hoc excluderetur Filius?* . . . 293
II. *Potestne dici Spiritus Sanctus quiescere vel permanere in Filio, quin hoc officiat eius processioni?* . . 293

Art. III. — *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium.*

1. Ratio articuli . . . 294
2. Praenotandum . . . 294
3. Sensus quaesiti . . . 295
4. Prop. — Recte dicitur secundum fidem catholicam quod Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium . . . 296
5. Patres . . . 296
6. Ratio theologica . . . 296
7. Exponitur . . . 296
8. Corollarium. — Nequit dici Spiritus Sanctus esse principaliter a Patre, secundario autem a Filio . . . 297
9. Quaestio. — *Utrum sicut dicitur quod* Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium, *ita etiam possit dici quod* Filius spirat Spiritum Sanctum per Patrem? . 298
10. Explicatur responsio . . . 299
11. Scholion. — Filius non est instrumentum in processione Spiritus Sancti . . . 300

Art. IV. — *Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.*

1. Ratio articuli . . . 300
2. Prop. I. — *a*) Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, *b*) et hoc quidem proprie loquendo . 301

PAG.
3. Auctoritates 301
4. Solvitur obiectio 301
5. Probatur ex Patribus 302
6. Ratio theologica 303
7. Confirmatur 304
8. Scholion. — Spirativa virtus significat naturam cum proprietate 305
9. Prop. II. — Pater et Filius, per respectum ad Spiritum Sanctum, sunt quidem duo spirantes, non autem duo spiratores 306
10. Exponitur 306
11. Quaestio. — *Utrum cum dicitur quod Spiritus Sanctus est a Patre et Filio ut a pluribus suppositis, aut quod* Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio ut sunt plures, *haec locutio sit ita formaliter et necessario accipienda, ut in hypothesi quod non esset nisi aut Pater aut Filius, Spiritus Sanctus non posset produci?* 307
12. Solvuntur obiectiones 308

QUAESTIO UNDECIMA.

(XXXVII).

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI QUOD EST AMOR.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 310
2. Ordo quaestionis 311

Art. I. — *Utrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

1. Amor in Sacra Scriptura 311
2. Prop. — Amor, personaliter sumptus, est proprium nomen Spiritus Sancti 312
3. Probatur 312
4. Exponitur 312
5. Comparatio inter processionem Verbi, et processionem Amoris 313
6. Differentia 313
7. Confirmatur ex S. Bonaventura 314

PAG.

8. Corollarium. — Spiritus Sanctus est amans essentialiter, non notionaliter 315
9. Scholia. — I. Spiritus Sanctus procedit ex illo actu amoris quo Pater et Filius essentiam divinam, seque invicem, Spiritum quoque Sanctum, necnon omnes creaturas diligunt, et diligendo producunt, seu spirant amorem. — II. Cavendum est quominus distinctio amoris in amorem essentialiter dictum in divinis, accipiatur tanquam distinctio rei . 315
10. Quaestio. — *Utrum Spiritus Sanctus sit dicendus tertius, an medius in Trinitate?* 316

Art. II. — *Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto.*

1. Articuli ratio 317
2. Opiniones 317
3. Verior sententia 318
4. Prop. — *a*) Si diligere sumatur essentialiter, Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto; *b*) si autem sumatur notionaliter, utique diligunt se Spiritu Sancto . . . 319
5. Prob. 1ª Pars 319
6. Prob. 2ª Pars 319
7. Quaestio I. — *Utrum possit dici quod Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto et ipsa dilectione?* 320
8. Solvitur facta obiectio 321
9. Quaestio II. — *Utrum Pater et Filius diligant etiam nos Spiritu Sancto?* 321
10. Corollarium. — In amore procedente importatur respectus ad creaturam secundario 322

QUAESTIO DUODECIMA

(XXXVIII).

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI, QUOD EST DONUM.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 323
2. Ordo quaestionis 323

Art. I. — *Utrum donum sit nomen personale.*

1. Quid sit donum 324
2. Ratio articuli 324

PAG.

3. Conditiones doni 325
4. Prop. — Nomen et ratio doni competunt personae divinae relate ad creaturam rationalem quae sit per gratiam elevata 325
5. Probatur. Ex Sacra Scriptura 325
6. Sancti Patres 326
7. Ratio theologica 326
8. Exponitur minor 326
9. Corollaria. — I. Quae dicta sunt, intelligenda sunt de dono proprio et stricte accepto: si enim sermo sit de dono large sumpto, potest etiam aliqua persona dici seipsam dare. — II. Donum dicitur etiam *essentialiter*, quo modo id quod datur, importat non modo distinctionem personalem, sed etiam distinctionem in natura 327
10. Scholion. — Donum triplex dici potest: personaliter, identice et essentialiter 328
11. Quaestio. — *Utrum hoc nomen*, donum, *personaliter dictum, dicat respectum ad creaturas?* 329
12. Solvitur tacita obiectio 329

Art. II. — *Utrum* donum *sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

1. Ratio articuli 329
2. Prop. — Nomen, donum, secundum quod personaliter sumitur in divinis, est nomen proprium Spiritus Sancti 330
3. Auctoritas 330
4. Ratio theologica 330
5. Argumentum 330
6. Corollaria. — I. Nomen *donum*, prout attribuitur Spiritui Sancto, primo et principaliter significat relationem realem, qua tertia persona se habet ad Patrem et ad Filium ut ad sui principium; secundario autem significat relationem rationis qua ad creaturam se habet, ut ad rem cui donabilis est. — II. Licet Filius quoque sit donum, cum etiam ipse sit datus, tamen nomen *donum* ipsius proprium non est . . . 331
7. Confirmatur 332
8. Quaestio. — *Potestne Spiritus Sanctus dici donum nostrum?* 332

QUAESTIO DECIMA TERTIA.

(XXXIX).

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

Prologus.

PAG.

1. Comparatio in Trinitate 333
2. Officium Sanctissimae Trinitatis 333
3. Ratio huius quaestionis 334
4. Divisio quaestionis 334

ART. I. — *Utrum in divinis essentia sit idem ac persona.*

1. Ratio articuli 336
2. Praenotamen 336
3. PROP. — In divinis, α) essentia idem est realiter ac persona, licet ratione distinguatur ab ipsa; β) personae vero ab invicem realiter distinguuntur 337
4. ERROR 337
5. PROB. 1ª PARS 337
6. PROB. 2ª PARS 338
7. COROLLARIUM. — Distinctio suppositorum in divinis et in creaturis 338
8. QUAESTIO. — *Potestne admitti cum Scoto quod persona in divinis distinguatur ab essentia* FORMALITER, *id est, secundum rationes formales unius et alterius, et* ACTUALITER EX NATURA REI, ANTE *mentis considerationem?* 338
9. Solvitur Scoti obiectio 339

ART. II. — *Utrum sit dicendum tres personas esse unius essentiae.*

1. Ratio articuli 340
2. PROP. — Recte dicitur, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unius eiusdem essentiae 341
3. Arianorum obiectio 341
4. Traditio 341
5. Ratio theologica 342
6. Notanda, circa modum loquendi S. Hilarii 343

PAG.

7. Quaestio I. — *Potestne pariter dici quod tres personae sint* UNIUS NATURAE? 343
8. Quaestio II. — *Potestne pariter dici quod tres personae sunt* EX *aut* DE *una essentia?* 344

Art. III. — *Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus personis.*

1. Ratio articuli 344
2. Prop. — α) Nomina quae significant essentiam substantive praedicantur de tribus personis singulariter tantum: β) quae autem significant essentiam adiective praedicantur de tribus personis in plurali 345
3. Prima pars 345
Secunda pars 345
5. Exponitur 346
6. Corollarium. — Trium divinarum personarum est una forma seu essentia divina 346
7. Exemplum ex rebus creatis 347
8. Scholion. — Nomen, RES, potest supponere tum pro absoluto tum pro relativo in divinis 347
9. Solvuntur obiectiones 348

Art. IV. — *Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.*

1. Praenotamen 348
2. Prop. — Nomina essentialia concreta possunt supponere pro persona 349
3. Ratio non probanda 349
4. Vera ratio 350
5. Corollarium. — Nomen, Deus, aliquando supponit pro essentia, aliquando autem pro persona 350
6. Solvitur difficultas 351
7. Quaestio I. — *Utrum sicut dicitur*: EST DEUS GENERANS, *ita etiam dici possit*: EST DEUS NON GENERANS? 351
8. Quaestio II. — *Estne dicendum*: DEUS GENUIT SE DEUM: *aut* DEUS GENUIT ALIUM DEUM? 352
9. Quaestio III. — *Utrum dici possit*: DEUS GENUIT DEUM QUI EST DEUS PATER? 353

ART. V. — *Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.*

1 Error abbatis Ioachim . 353
2 Reprobatio 354
3 PROP. — Nomina essentialia in abstracto non possunt supponere pro personis, ideoque nequit dici quod essentia generat essentiam 355
4 Probatur 355
5 Confirmatur . . 357
6 SCHOLION. — Nonnulla dicta benigne interpretanda 358
7 QUAESTIO I. — *Utrum possit dici quod* ESSENTIA SIT RES GENERANS *et* RES NON GENERANS? . 359
8 QUAESTIO II. — *Quisnam sit sensus huius propositionis S. Augustini:* PATER EST PRINCIPIUM TOTIUS DEITATIS? 357

ART. VI. — *Utrum personae possint praedicari de nominibus essentialibus.*

1 Ratio articuli 357
2. PROP. — Personae possunt praedicari de nominibus essentialibus tum in abstracto, tum in concreto 357
3 Auctoritas . 358
4 Ratio theologica . . 358
5 Solvitur difficultas . 358
6 QUAESTIO. — *Utrum haec propositio:* DEUS EST PATER, *sit vera per se, an per accidens?* . 359
7 Solvitur facita obiectio . 359
8 SCHOLION. — Dici potest quod deitas est unitas et trinitas 359

ART. VII. — *Utrum nomina essentialia sint appropriandа personis.*

1. Ratio articuli 360
2 Quid sit appropriatio 360
3 PROP. — Licite possunt essentialia attributa personis appropriari . 361
4 Auctoritas . 361
5 Ratio theologica . . 361
6 Verba Leonis XIII 361
7 Ioachimitarum haeresis . . 362

PAG.

8. Recentiorum error 363
9. Modus appropriationis faciendae 363
10. Solvitur difficultas 364
11. Quaestio. — *Utrum essentialia appropriata sint priora secundum nostrum modum intelligendi ipsis propriis personarum?* 365
12. Scholion. — Verba S. Thomae 365

Art. VIII. — *Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.*

1. Generalis expositio 365
2. Prima via. — Consideratio divinarum personarum prout sunt res quaedam 366
3. Prop. — Si divinae personae considerentur secundum suam entitatem, tunc: I. Patri attribuitur aeternitas; II. Filio species seu pulcritudo; III. Spiritui Sancto usus . . . 366
4. Auctoritas S. Augustini 366
5. Aeternitas appropriata Patri 367
6. Species appropriata Filio 367
7. Usus appropriatus Spiritui Sancto 368
8. Scholion. — Non omnia quae sunt communia tribus personis, ipsis appropriantur, verbi gratia, *essentia* aut *operatio* . 368
9. Secunda via. — Consideratio divinarum personarum secundum earum unitatem 369
10. Prop. — Si divinae personae considerentur secundum earum unitatem, I. unitas convenienter appropriatur Patri; II. aequalitas Filio; III. connexio Spiritui Sancto . . 369
11. I. Unitas appropriata Patri 369
12. II. Aequalitas appropriata Filio 369
13. III. Connexio appropriata Spiritui Sancto 369
14. Auctoritas 369
15. Solvitur difficultas 369
16. Tertia via. — Consideratio personarum secundum earum virtutem operativam 370
17. Prop. — Si personae divinae considerentur secundum earum virtutem operativam, I. Patri potentia; II. Filio sapientia; III. Spiritui Sancto bonitas appropriatur 370
18. I. Potentia appropriata Patri 370
19. II. Sapientia appropriata Filio 371
20. III. Bonitas appropriata Spiritui Sancto 371

PAG.
21. Solvitur obiectio 371
22. Quarta via. — Consideratio personarum secundum habitudinem quam habent ad causata 371
23. Prop. — Si personae divinae considerentur secundum habitudinem quam habent ad causata, I. Patri appropriatur ex quo, II. Filio per quem, III. Spiritui Sancto in quo . . 372
24. I. Ex quo, appropriatum Patri 372
25. II. Per quem, appropriatum Filio 372
26. III. In quo, appropriatum Spiritui Sancto . 372
27. Auctoritas 372
28. Solvitur difficultas 373
29. Scholion. — Multa alia sunt appropriata Filio auctoritative 373
30. Solvitur tacita obiectio 373

QUAESTIO DECIMA QUARTA

(XL).

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES SIVE PROPRIETATES.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 375
2. Ordo quaestionis 376

Art. I. — *Utrum relatio sit idem quod persona.*

1. Opiniones 377
2. Prop. — In divinis, relatio est persona et in persona . . 377
3. Probatur 377
4. Confirmatur 378
5. Quaestio I. — *Si relatio sit idem ac persona, cur positis in una persona pluribus relationibus, verbi gratia, in persona Patris, paternitate et communi spiratione, ipsamet persona non multiplicatur?* 378
6. Quaestio II. — *Quomodo proprietates sint in personis et in divina essentia?* 379
7. Solvitur obiectio 380
8. Corollarium. — Dici nequit: PATERNITAS GENERAT . . . 380

ART. II. — *Utrum personae distinguantur per relationes.*

PAG.

1. Praenotandum 381
2. Opiniones 381
3. Reprobatio 381
4. Propositiones SS. Bonaventurae et Thomae 382
5. PROP. — Melius dicitur quod personae seu hypostases distinguuntur relationibus quam per originem 382
6. Probatur 382
7. Adversariorum sententia 383
8. Reprobatur 383
9. COROLLARIA. — I. Personae distinguuntur et constituuntur prius et principalius per relationes seu proprietates. — II. Probabiliter baptismus est invalidus cum hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis* 384
10. SCHOLION. — Personae distinguuntur etiam per originem 385
11. QUAESTIO I. — *Utrum dici possit quod personae distinguuntur seipsis?* 386
12. QUAESTIO II. — *Quidnam sit id per quod personae distinguuntur?* 387
13. Solvitur difficultas 387

ART. III. — *Utrum, abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases.*

1. Ratio articuli 388
2. Duplex genus abstractionis 388
3. Distinctio inter hypostasim et personam 389
4. PROP. — Abstractis per intellectum relationibus a personis, nequeunt remanere hypostases 389
5. Auctoritas 389
6. Ratio theologica 390
7. Exponitur 390
8. Aliorum opinio 390
9. Refutatur 391
10. QUAESTIO. — *Quisnam sit sensus horum verborum S. Augustini*: NON HOC EST DICERE INGENITUM, QUOD EST DICERE PATREM: QUIA SI FILIUM NON GENUISSET, NIHIL PROHIBERET EUM DICERE INGENITUM? 392
11. Solvitur difficultas 392

ART. IV. — *Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus.*

PAG.
1. Ratio articuli 393
2. Instantiae 393
3. PROP. I. — Origines, passive significatae, ut nativitas, simpliciter secundum intellectum praecedunt proprietates etiam personales personarum procedentium per tales actus . . 394
4. Probatur 394
5. PROP. II. — Origines active significatae priores sunt secundum intellectum quam relatio non personalis personae originantis 394
6. Probatur 394
7. PROP. III. — Origo, active significata, praecedit secundum intellectum relationem personalem Patris, verbi gratia, generatio paternitatem 394
8. Probatur 394
9. PROP. IV. — Paternitas, ut est constitutiva personae Patris, praecedit intellectu actum notionalem qui est generare . 394
10. Probatur 394
11. COROLLARIUM. — Non est eadem ratio de nativitate relate ad filiationem, et de generatione activa relate ad paternitatem . 395
12. SCHOLION. — Quomodo personae constituuntur relationibus 395

QUAESTIO DECIMA QUINTA
(XLI).

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 397
2. Divisio quaestionis 397

ART. I. — *Utrum actus notionales sint attribuendi personis.*

1. Ratio dubitandi 399
2. PROP. — Actus notionales debent divinis personis attribui . 399
3. Auctoritas 399
4. Ratio theologica 399

PAG.

5. Explicatur 400
6. Duplex ordo originis 400
7. Quid sint actus notionales 401
8. Distinctio rationis inter relationes et actus notionales . . 402
9. NOTANDUM. — In Deo non est realiter passio . . . 403

ART. II. — *Utrum notionales actus sint voluntarii.*

1. Error Arianorum 403
2. Voluntas dupliciter accepta 404
3. Necessarium dupliciter sumptum 405
4. Sensus quaestionis 405
5. PROP. — Pater non genuit Filium voluntate, qua principio, sed natura 405
6. Auctoritas 405
7. Ratio theologica 406
8. Explicatur 406
9. SCHOLION. — Actus notionales sunt necessarii; actus essentiales autem voluntarii 407
10. Confirmatur. — α) per respectum ad Filium; β) per respectum ad Spiritum Sanctum 407

ART. III. — *Utrum actus notionales sint de aliquo.*

1. Sensus quaestionis 408
2. Praenotanda 409
3. PROP. — Filius Dei non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris 410
4. Auctoritas 410
5. Patres 410
6. Ratio theologica 410
7. Exponitur 411
8. Solvitur tacita obiectio 411
9. QUAESTIO. — *Quisnam sit sensus horum verborum* (Eccli., XXIV, 5): EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM, *et* (Ibid., 14): AB INITIO ET ANTE SAECULA CREATA SUM, *quae verba ex ore Sapientiae genitae dicuntur?* 412
10. SCHOLION. — Quomodo similes loci Sacrae Scripturae debeant intelligi 412
11. Solvitur difficultas 413
12. COROLLARIUM. — Non est dicendum, Filium esse genitum ab essentia vel per essentiam Patris 414

ART. IV. — *Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium.*

PAG.
1. Praenotandum 414
2. PROP. — In divinis personis est ponenda potentia respectu actuum notionalium 415
3. Probatur 415
4. Explicatur 415
5. Fusius exponitur 415
6. Auctoritates 416
7. Solvuntur difficultates 417
8. QUAESTIO. — *Cum potentia dicatur ad possibile, potestne dici quod persona divina sit possibilis?* 417

ART. V. — *Utrum potentia generandi significet relationem et non essentiam.*

1. Dubitandi rationes 419
2. PROP. — Potentia generandi *a*) non significat relationem, aut *b*) essentiam in quantum est idem relationi, sed *c*) essentiam in recto et relationem in obliquo 419
3. PROB. 1ª PARS 419
4. Confirmatur 420
5. PROB. 2ª PARS 420
6. PROB. 3ª PARS 420
7. Confirmatur 420
8. QUAESTIO. — *Quo sensu potentia generandi significet principium?* 421
9. COROLLARIUM I. — Nequit dici quod essentia divina generat . 422
10. Solvitur obiectio 422
11. COROLLARIUM II. — Potentia qua Pater Filium generat distinguitur ratione ab illa qua Deus producit creaturas . . 422

ART. VI. — *Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.*

1. Ratio articuli 423
2. PROP. — In divinis unus actus notionalis non potest terminari ad plures personas 423
3. Auctoritas 423
4. Rationes theologicae 423

PAG.

5. Corollarium. — Filius est quidem aequalis Patri, non habet tamen potentiam ad generandum 424
6. Solvitur tacita obiectio 425
7. Quaestio. — *Quisnam sit sensus istorum verborum S. Augustini*: filius non genuit creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit? 425
8. Solvitur difficultas 426

QUAESTIO DECIMA SEXTA
(XLII).

DE AEQUALITATE ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM AD INVICEM.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 427
2. Notio aequalitatis et similitudinis 427
3. Quantitas virtualis 428
4. Quaestionis distributio 429

Art. I. — *Utrum aequalitas locum habeat in divinis.*

1. Ratio articuli 430
2. Prop. I. — Necesse est ponere aequalitatem in divinis personis 431
3. Auctoritas 431
4. Sacra Scriptura 431
5. Patrum vox 431
6. Probatur ratione theologica 432
7. Scholion. — Aequalitas divinarum personarum fundatur in earum consubstantialitate 432
8. Notandum circa vocem ὁμοούσιος 433
9. Quaestio. — *Utrum aequalitas et similitudo dicantur mutuo in divinis?* 433
10. Prop. II. — Aequalitas et similitudo in divinis personis non est aliqua relatio realis distincta a relationibus personalibus; sed in suo intellectu includit et relationes distinguentes personas, et essentiae unitatem 435
11. Exponitur 435

ART. II. — *Utrum persona procedens sit coaeterna suo principio, ut Filius Patri.*

PAG.

1. Praemonenda . . 136
2. PROP. — Filius, est coaeternus Patri, et Spiritus Sanctus Patri et Filio . . 136
3. Auctoritas 136
4. Sacra Scriptura . . 136
5. Patres . . . 137
6. Ratio theologica . . 137
7. Expenditur maior . . 138
8. Expenditur minor . . 138
9. Impia Arii positio . . 139
10. Refellitur 140
11. Solvitur difficultas 140
12. QUAESTIO. — *Potestne dici quod Filius semper generetur aut genitus sit, an dicendum est quod Filii generatio finem acceperit?* 141
13. SCHOLION. — Melius est dicere de Filio quod *est semper natus, quam quod semper nascitur* . . . 142
14. Conclusio 142
15. Solvitur objectio 143

ART. III. — *Utrum in divinis personis sit ordo naturae.*

1. Ratio articuli 144
2. Notio ordinis 144
3. PROP. — α) In divinis personis est accipere ordinem naturae, qui β) nihil significat, nisi ordinem originis, et γ) excludit rationem prioris et posterioris 145
4. PROB. 1ª PARS. — I. Ex inconvenienti . . 145
5. II. Ratione . . 145
6. PROB. 2ª PARS 146
7. Ratio adiectionis tertiae partis . . 147
8. Conclusio 148
9. SCHOLION. — Numeratio in divinis ad originem pertinet absque imperfectione . . . 148
10. Solvitur difficultas 148

ART. IV. — *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem.*

PAG.

1. Ratio articuli 449
2. PROP. — α) Filius Dei est aequalis Patri in magnitudine, β) et quidem ab aeterno 450
3. Sacra Scriptura 450
4. Confirmatur ex verbis Christi 450
5. Sanctus Augustinus 451
6. Solvuntur tacitae obiectiones 451
7. PROB. ratione theologica. — 1ª PARS 452
8. PROB. 2ª PARS 452
9. QUAESTIO. — *Quisnam sit sensus horum verborum* (Io., XIV, 28): PATER MAIOR ME EST? 453
10. SCHOLION. — interpretatio verborum S. Pauli (1 Cor., XV, 28): CUM AUTEM SUBIECTA FUERINT ILLI OMNIA etc. . . . 453
11. Catholicorum interpretatio 454
12. Solvuntur difficultates 454

ART. V. — *Utrum Filius sit in Patre et e converso.*

1. Quid sit circuminsessio 456
2. Modi quibus unum in alio esse dicitur 457
3. PROP. — Filius est in Patre et viceversa: omnesque divinae personae ad invicem inexistunt 457
4. Sacra Scriptura 457
5. Patres 458
6. Rationes theologicae 458
7. Evolvitur minor. — α) Ex parte essentiae 458
8. β) Ex parte relationum 459
9. γ) Ex parte originis 459
10. QUAESTIO. — *Utrum Pater sit in Filio, et Filius in Patre secundum se totum, an solum secundum essentiam?* . 460
11. Solvitur difficultas 460

ART. VI. — *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum potentiam.*

1. Ratio articuli 461
2. PROP. — Divinae personae sunt inter se aequales in potestate 462
3. Auctoritas 462

PAG.
4. Sacra Scriptura 462
5. Patres 463
6. Ratione theologica 463
7. Scholion. — Potentia de qua hic agitur est potentia absolute inspecta, non autem quantum ad actus notionales . 463
8. Solvitur difficultas 464

QUAESTIO DECIMA SEPTIMA

(XLIII).

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Prologus.

1. Gravitas huius quaestionis 466
2. Huius quaestionis cum aliis partibus relatio . . . 466
3. Dicendorum ordo 467

Art. I. — *Utrum alicui personae divinae conveniat mitti.*

1. Sententiae 468
2. Conceptus missionis 469
3. Quomodo sit missio in divinis 469
4. Prop. — Alicui personae divinae potest convenire ut mittatur 470
5. Sacra Scriptura 470
6. Patres 470
7. Ratio theologica 475
8. Explicatur 471
9. Solvitur difficultas 472

Art. II. — *Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum.*

1. Ratio articuli 473
2. Praenotamen 473
3. Prop. I. — α) Missio et datio dicuntur in divinis temporaliter tantum; β) generatio et spiratio solum ab aeterno; γ) processio et exitus tum aeternaliter, tum temporaliter . . 474
4. Prob. 1ª Pars. — Auctoritate 474
5. Ratione theologica 474

PAG.

6. Scholion. — In Deo mutatio non est, sed tota quanta se tenet ex parte creaturarum 474
7. Prob. 2ª Pars 474
8. Prob. 3ª Pars 475
9. Solvitur difficultas 475
10. Quaestio. — *Quisnam sit sensus verborum S. Gregorii*: eo mittitur filius quo generatur? 475

Art. III. — *Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis.*

1. Ratio articuli 476
2. Praenotamen 476
3. Prop. I. — Missio invisibilis alicuius divinae personae fit solum secundum donum gratiae gratum facientis 477
4. Auctoritas 477
5. Ratio theologica 477
6. Primum argumentum 477
7. Scholion. — Nova inexistentia Dei in creatura rationali recte vocatur inhabitatio . . . 478
8. Secundum argumentum 479
9. Prop. II. — Attamen in ipso dono gratiae sanctificantis mittitur et datur ipsa divina persona 479
10. Ratio propositionis 479
11. Vox Patrum 480
12. Explicatio 480
13. Tacita obiectio 481
14. Solvuntur difficultates 481

Art. IV. — *Utrum Patri conveniat mitti.*

1. Ratio articuli 482
2. Prop. — Patri non competit mitti 483
3. Auctoritas 483
4. Ratio theologica 483
5. Scholion. — Potest Pater dare seipsum secundum quod *dare* importat liberalem communicationem suimetipsius . . 483
6. Corollarium. — Datio latius patet quam missio . . . 483
7. Solvitur difficultas 484

ART. V. — *Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti.*

PAG.
1. Ratio articuli 484
2. Praenotandum 484
3. PROP. I. — Tam Filio, quam Spiritui Sancto convenit invisibiliter mitti 485
4. Sacra Scriptura 485
5. Patres 486
6. Ratio theologica 486
7. SCHOLION. — Cur Patri invisibilis missio non convenit 486
8. PROP. II. — Missio invisibilis Filii attenditur secundum illuminationem intellectus; missio vero invisibilis Spiritus Sancti secundum inflammationem affectus 487
9. Exponitur 487
10. Invisibilis Filii missionis fusior explicatio 487
11. Invisibilis Spiritus Sancti in Ecclesiam missio 488
12. Solvitur facta difficultas 488
13. COROLLARIUM. — Distinctio et inseparabilitas utriusque missionis 489

ART. VI. — *Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae.*

1. Ratio articuli 489
2. PROP. — Missio invisibilis fit ad omnes qui sunt participes gratiae, vel quando prima vice recipiunt gratiam, vel quando novo modo illam participant 489
3. Auctoritas 490
4. Ratio theologica 490
5. COROLLARIUM. — Missio invisibilis personae divinae fit etiam ad parvulos cum in baptismo justificantur 490
6. QUAESTIO I. — *Utrum ad Patres et ad Prophetas Veteris Testamenti facta fuerit missio invisibilis?* 490
7. Solvitur obiectio 491
8. QUAESTIO II. — *Secundum quodnam augmentum gratiae fit missio invisibilis?* 491
9. QUAESTIO III. — *Utrum ad beatos quoque fit missio invisibilis?* 493
10. QUAESTIO IV. — *Utrum ad Christum facta sit missio invisibilis?* 493
11. QUAESTIO V. — *Utrum missio invisibilis facta sit ad sacramenta Novae Legis?* 493

ART. VII. — *Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti.*

PAG.

1. Ratio articuli 494
2. NOTANDUM. — Missio visibilis numquam disiungitur a missione invisibili 494
3. Verba Leonis XIII 495
4. Conditiones ad missionem visibilem habendam 495
5. Quo sensu dicitur Spiritus Sanctus visibiliter missus . . 496
6. Discrimen inter missionem visibilem Spiritus Sancti et missionem visibilem Filii 496
7. PROP. — α) Conveniens fuit Filium et Spiritum Sanctum visibiliter mitti, β) aliter tamen et aliter; Filium, quidem, ut est sanctificationis auctor, Spiritum Sanctum vero, ut est sanctificationis donum 487
8. PROB. 1ª PARS 497
9. Secunda pars declaratur 498
10. SCHOLION. — Creaturae sub quibus missio visibilis perficitur a tribus personis sunt productae, sed ad unam tantum personam significandam 498
11. QUAESTIO I. — *Quaenam sit Filii missio visibilis?* . . . 499
12. QUAESTIO II. — *Quaenam sint Spiritus Sancti visibiles missiones?* 499
13. QUAESTIO III. — *Utrum missio visibilis Spiritus Sancti facta fuerit ad Patres Veteris Testamenti?* 500
14. QUAESTIO IV. — *Utrum signa in missione visibili apparentia fuerint res sensibiles?* 501

ART. VIII. — *Utrum nulla persona divina mittatur, nisi ab ea a qua procedit aeternaliter.*

1. Ratio articuli 501
2. Distinctio praemittenda 502
3. PROP. — α) Si mittens designetur ut principium personae missae, sic mittere competit tantummodo personae quae est alterius principium; β) si autem designetur ut principium effectus missionis, sic mittere toti Trinitati convenit . . 502
4. PROB. 1ª PARS 502
5. PROB. 2ª PARS 503
6. TACITA DIFFICULTAS 503
7. SCHOLION. — Per modum instrumenti homines dant Spiritum Sanctum dum conferunt sacramenta 504

EPILOGUS 504

TRACTATUS
DE
SANCTISSIMA TRINITATE

PROOEMIUM

1. — Profunditas huius tractatus. — Inter omnes theologicos tractatus verticem tenet sublimitate simul ac profunditate ille in quo de essentiae unitate in personarum trinitate agitur. *Hoc namque*, ait Leo XIII [1], *substantia Novi Testamenti a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causa, in caelo Angeli, in terris homines procreati sunt; quod, in Testamento Veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab Angelis ad homines Deus ipse descendit.* Sane, mysterium istud ita humanae mentis, imo cuiusvis creati intellectus vires supergreditur, ut exponi quidem, illustrari, ac vindicari, ratione in obsequium fidei devincta, possit, minime autem, quoadusque intellectus a divinae essentiae visione arceatur, comprehendi aut intelligi. Unde inter articulos fidei proprie et formaliter haec veritas reponenda est, et de salutis necessitate fide supernaturali ab omnibus credenda; tractatus autem ipse in quo haec res agitur, tractatuum qui formalissime theologici sunt, primatum iure meritoque tenet; quandoquidem mysterium Sanctissimae Trinitatis totius ordinis supernaturalis fundamentum existit.

[1] Encycl. *Divinum illud*, 9 maii, 1897.

Quae cum ita sint, statim ab exordio unusquisque monendus est ne temerario ausu arcanum istud mysterium ita explorare contendat, ut illius penitiorem intelligentiam assecutum se unquam praesumat: huc enim potissimum referri possunt verba *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria* [1]. Quinimmo, hac ipsa de tam alto mysterio cognitionis deficientia, fovenda erit saepius commendata humilitas, qua absente, Trinitatis ipsius offensionem non incurri haud possibile est, iuxta illud aureum libri de *Imitatione Christi* : *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?*

2. — **Huius tractatus ad alios relatio.** — Verum, non solum propter suam profunditatem tractatus de Sanctissima Trinitate ceteris tractatibus theologicis praecellit, sed etiam propter ordinem quo omnia, de quibus agit theologia, ad huiusmodi dogma necessario referuntur. Nam imprimis tractatus iste doctrinam de Deo absolute considerato ita complet, ut ostendat naturales terminos operationis intellectus et voluntatis divinae esse subsistentes personas; praeterea, alios quoque theologicos tractatus veluti luminosa χάρις, doctrina de Sanctissima Trinitate undequaque irradiat, suaque luce perfundit.

Siquidem creationis potissimum opus, scilicet homo, aptime cognosci non valet, nisi ille quoque, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus, ad cuius imaginem et similitudinem secundum mentem gratia ornatam, est conditus, quantum fas sit, cognoscatur. Rursus, ut rationalis creatura ad Deum efficaciter redire queat actibus propriis ordinandis secundum intellectum et voluntatem, necesse est ut ad suum principium exemplare et effectivum sedulius attendat, scilicet ad Trinitatem Beatam, quae est finis eius ultimus. Nec potest perfecte lex cognosci, non agnita Trinitate; quandoquidem et in Veteri Testamento lex est per Prophetas lata, qui inspirante Spiritu Sancto locuti sunt [2]: in Novo autem Foedere legem novam promulgavit ipsemet Dei Filius homo factus. Gratia quoque hoc mysterium resonat; siquidem per

[1] Prov., XXV, 27. — [2] L. I, c. 1. — [3] 2 Petr., I, 21.

ipsam tres divinae Personae mentem hominis inhabitant. Quis autem unquam Incarnationis mysterii rationem rite adipisci poterit, nisi probe cognoscat distinctionem naturae a persona, personarum quoque ab invicem, confiteaturque secundam in divinis personam, et non aliam, carnem assumpsisse? Demum, sacramenta iubemur administrare et recipere in nomine Sanctissimae Trinitatis, quae in novissimis promittitur nobis facie ad faciem conspiciendа; ut ita salutis humanae initium, quod est fides in mysterium Trinitatis, cum illius consummatione arcto foedere iungatur, quae est huius **rei visio facie ad faciem in patria.**

3. **Utilitas cognitionis huius tractatus.** - Demum, in hoc quoque ceteras theologiae partes praesens de Sanctissima Trinitate tractatio supergreditur, quod plurimae exhinc utilitates pro humana vita sancte traducenda scaturiunt. Imprimis, mens humana uberiori suavitate perfunditur, dum studio suo id assequitur ut in caligine quidem et velut in speculo illudmet praelibare incipiat, cuius plenissima visione se in aeternum beatificandam esse confidit, simulque erigitur ut ardua quaeque sustineat ad optatam metam conatibus **suis attingendam.**

Nec silendum, in affectiva huius mysterii contemplatione summam contineri vitae spiritualis rationem, quatenus ex fontali principio totius deitatis, qui Pater est, per Filium, qui est eius Sapientia, in Spiritu Sancto, qui est utriusque amor, tota interior animae perfectio consistat; unde et de iusto solemniter edixit Christus [1]: *Ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus.* — Iuvat quoque profunda de Trinitate doctrina et ad penitiorem de creaturis cognitionem adipiscendam. Siquidem, ut ait S. Thomas [2], *creare non est proprium alicuii personae, sed communе toti Trinitati. Sed tamen divinae personae, secundum rationem suae processionis, habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est cum de Dei scientia et voluntate ageretur, Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu*

[1] Io., XIV, 23. — [2] 1, Quaest. XLV, art. 6.

conceptum, et per amorem suae voluntatis, ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum Amorem, qui est Spiritus Sanctus. Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quae sunt scientia, et voluntas.

Praeterea et philosophicis ipsis disciplinis ex hac tractatione non leves accedunt utilitates: dum, id exigente mysterii ratione, subtiliores conceptus relationis, naturae ac personae ita perpoliuntur, ut eousque eorum accurata definitio perducatur, quo ratio humana suis relicta viribus pertingere haudquaquam valuisset. Qua de causa, S. Cyrillus Alexandrinus librum illum, quem de Trinitate composuit, *thesauri* titulo condecoravit, quasi huius mysterii cognitio bonorum omnium fons existat.

Haec tria, in quibus huius tractatus indoles reponitur, complectens S. Augustinus ait [1]: *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur*, quam Unitas in Trinitate, Pater, et Filius et Spiritus Sanctus.

4. — Duplex error praecavendus. — Porro, cum adhuc in limine totius tractatus studiosus lector consistat, sedulo admonendus est duplicem in hac re latere scopulum, in quorum alterum omnes, qui unquam contra Sanctissimae Trinitatis mysterium extiterint errores, offenderunt. Prior est quo quis propter personarum distinctionem, naturam quoque distinguere praesumat, quod fecit Arius, presbyter alexandrinus, dum putavit Filium a Patre, tanquam illius creaturam, Spiritum Sanctum vero ab utroque, ut utriusque creaturam, procedere. Alter vero error in hoc situs est quod, propter naturae unitatem, realis personarum distictio auferatur, quod cum Sabellio praestitere Unitarii omnes, dum contendunt Filium et Spiritum Sanctum esse ipsammet Patris personam.

Porro si quis rem accurate perpenderit, haud aegre deprehendet, utriusque erroris asseclas, dum tollere nituntur personarum in divinis Trinitatem, re tamen, quasi contra-

[1] L. I, DE TRINIT., c. 3.

dictione actos, deorum multitudinem aeque inducere. Hinc enim Arius, dum Filium et Spiritum Sanctum Patris creaturas esse conclamans, eis nihilominus latriae cultum tribuendum esse pronuntiat, profecto in polytheismi errorem manifeste labitur; illinc vero Sabellius, dum, solo Patre agnito, illius tamen externas manifestationes honore divino prosequitur, quid aliud inducit, nisi quamdam extrinsecam divinae naturae evolutionem?

Et illi quidem cum deistis et rationalistis conveniunt: qui reiecta revelatione, creatae naturae, et signanter rationis humanae, cultum extollunt; isti vero cum materialistis evolutionistisque manus conserunt, quibus videtur, Dei cuiusdam instar, colendam esse quamcumque divinitatis, quam cum materia confundunt, succedentem in hoc mundo manifestationem. Ex quo apparet, communem esse in arianismo et sabellianismo rationalismi et materialismi originem, quorum fautores *tradidit... Deus in reprobum sensum* [1].

Regiam veritatis catholicae viam, quae media est, non quia utriusque placita in unum quoddam tertium reducat, sed quia ab utroque extremo aeque discedit, ille unus tenere se gaudebit, qui catholicum dogma verbis in symbolo, sancti Athanasii nomine evulgato, conceptis, professus fuerit: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas.*

5. **Ordo in hoc tractatu servandus.** Cum doctrinam de Sanctissimae Trinitatis mysterio veteres theologi nec determinato inter ceteras tractationes loco, nec stato quaestionum ordine, tradere consuevissent, divinum S. Thomae ingenium rei veritate edoctum deprehendit, nec ipsius praesentis tractationis, nec quaestionum, quibus haec tractatio constat, logicum ordinem, sine magno tradendae everitatis detrimento, seponi posse. Quocirca quia, ut ait Card. Satolli [2], *pretium*

[1] Rom., I, 28. — [2] In Summam theol. S. Thomae Aq. de Trin. Prol. p. XII. Romae 1887.

methodi in doctrina quacumque est dicendorum partitio et collocatio, hinc Angelicus Doctor et huic tractatui locum non adsignavit, nisi post expletam doctrinam de Dei operatione secundum intellectum et voluntatem, quae doctrina huius mysterii intelligentiae praesupponi debet; et quaestionum varietatem ita in ordinem digessit, ut limpidius quid haud valeat desiderari.

6. — **Totius tractatus logica distributio.** — Siquidem, cum personae divinae, ad quarum pluralitatem in Essentiae unitate Trinitatis mysterium spectat, secundum relationes originis distinguantur, hinc doctrinae ordo postulat ut primo de origine, sive de processione divinarum personarum agatur (XXVII); secundo, de relationibus originis (XXVIII); tertio demum, de personis (XXIX-XLIII). At vero duplex est de personis consideratio: alia absoluta (XXIX-XXXVIII), alia comparativa (XXXIX-XLIII). Porro, absoluta consideratio de personis exigit ut primo in communi (XXIX-XXXII), secundo vero in speciali (XXXIII-XXXVIII) de eis agatur. In communi, ut cognoscantur divinae personae in se (XXIX-XXX), et per respectum ad ea quae consequuntur (XXXI-XXXII): in se quidem, tum quoad personae rationem (XXIX), tum quoad personarum pluralitatem (XXX); per respectum autem ad ea quae consequuntur, sive in nominando (XXXI), sive in cognoscendo (XXXII). In speciali vero de personis divinis agi debet; et quidem, tum de prima persona, quae est persona Patris (XXXIII); tum de secunda, quae est persona Filii, qui dicitur Verbum (XXXIV), et Imago (XXXV); tum de tertia persona, quae vocatur Spiritus Sanctus (XXXVI), et dici etiam solet Amor (XXXVII) et Donum (XXXVIII). Comparativa vero consideratio de divinis personis duplex est, secundum quod aut comparantur ad aliquid aliud (XXXIX-XLI), aut comparantur ad invicem (XLII-XLIII). Siquidem, comparari divinae personae debent ad ea quae in ipsis sunt, scilicet ad Essentiam (XXXIX), ad relationes seu proprietates (XL) necnon ad actus notionales (XLI); denique inter se comparari debent, quantum ad similitudinem et aequalitatem (XLII), et quantum ad missionem (XLIII).


TRINITAS CONSIDERARI DEBET
QUANTUM AD
processiones seu origines (XXVII)
relationes originis (XXVIII)
absolute
personas
comparative, scilicet quantum ad respectum personarum ad
in communi
in speciali, ut determinetur de persona
in se, ut sciatur
quantum ad
quid sint (XXIX)
quot sint (XXX)
conse-quentia in
prima, quae est Pater (XXXIII)
secunda, quae est Filius, quantum ad nomina
tertia, quantum ad nomina
nominando, scilicet per respectum ad pluralitatem (XXXI)
cognoscendo, scilicet per respectum ad cognoscibilitatem (XXXII)
Verbum (XXXIV)
Imago (XXXV)
Spiritus Sanctus (XXXVI)
Amor (XXXVII)
Donum (XXXVIII)
aliud, scilicet ad
invicem, quantum ad
essentiam (XXXIX)
relationes (XL)
actus notionales (XLI)
aequalitatem (LXII)
missionem (LXIII)

Hinc, septemdecim in hoc tractatu de Trinitate erunt investiganda.

Primo. De processione seu origine divinarum personarum (XXVII).

Secundo. De relationibus divinis (XXVIII).

Tertio. De personis divinis (XXIX).

Quarto. De pluralitate personarum in divinis (XXX).

Quinto. De his quae pertinent in divinis ad unitatem vel pluralitatem personarum (XXXI).

Sexto. De cognitione divinarum personarum (XXXII).

Septimo. De his quae pertinent ad personam Patris (XXXIII).

Octavo. De Verbo in divinis (XXXIV).

Nono. De hoc nomine Filii quod est Imago (XXXV).

Decimo. De pertinentibus ad nomen Spiritus Sancti (XXXVI).

Undecimo. De nomine Spiritus Sancti, quod est Amor (XXXVII).

Duodecimo. De nomine Spiritus Sancti, quod est Donum (XXXVIII).

Decimotertio. De personis in comparatione ad essentiam (XXXIX).

Decimoquarto De personis in comparatione ad relationes, sive proprietates (XL).

Decimoquinto. De personis per comparationem ad actus notionales (XLI).

Decimosexto De aequalitate et similitudine divinarum personarum ad invicem (XLII).

Decimoseptimo. De missione divinarum personarum (XLIII).

QUAESTIO PRIMA.

(XXVII).

DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Prologus.

1. — Quid sit processio. — Quia tota praesens quaestio de processionibus divinis pertractat, ex quibus personarum pluralitas oritur, ideo in antecessum quid processionis nomine veniat statuendum erit.

Porro processionis nomen primitus impositum est ad significandum *motum localem*, secundum quem aliquid transit ab uno loco in alium per media ordinata; postea vero transsumptum est ad significandum quemcumque *ordinem* unius ex altero vel post alterum, quo sensu et omnis immutatio processio dicta est, scilicet sive quae sit ab esse ad non esse, aut vice versa, sive quae sit ab uno essendi modo ad alium. Tandem hoc nomen ad aliquam *emanationem* significandam impositum est, sicut cum dicitur radius procedere a sole, operatio vel operatum ab operante, artificiatum ab artifice, aut genitum a generante [1]. Quocirca, processionis nomen ultimo impositum est ad significandam *originem* unius ab altero.

2. Processio operationis et processio operati. At duce Angelico [2], sedulo distinguere debemus processionem *operationis* a processione *operati* vel per *modum operati*. Revera, quoties aliquid alteri originem dat, potest considerari aut quod operatio ipsa ab operante, a quo egreditur, distinguatur, tanquam perfectio a perfectibili, aut quod illud quod per operationem producitur, a producente distinguatur, sicut artificiatum ab artifice. Sic, in homine qui intelligit, potest considerari tanquam ab ipso procedens aut ipsa operatio in-

[1] Cf. DE POT., Quaest. X, art. 1. — [2] DE VER., Quaest. IV, art. 2, ad 7^m.

tellectiva, aut res ab intellectione producta, quae est verbum mentis. Prior igitur processio vocatur processio *operationis*, altera vero dicitur processio *operati*, aut per *modum operati*.

Porro, planum est nobis esse sermonem in hoc tractatu de processione secundo modo accepta. Licet enim secundum mentis considerationem possimus concipere intellectionem advenire Deo uti nobis advenit, re tamen Deus semper est in actu intelligens, cum sit ipsa intellectionis actualitas. Quapropter processio quae circa ipsum ponitur, nequit esse processio operationis ab operante, sed rei per se existentis ab alia re per se existente. Processio enim operationis distinguit rem a sua operatione tanquam perfectibile a sua perfectione, et bene invenitur in nobis qui ex non actu intelligentibus efficimur actu intelligentes, non autem in Deo, in quo non est distinctio perfectionis a perfectibili: processio autem operati distinguit unam rem subsistentem ab alia re subsistente, sicut artificiatum distinguitur ab artifice; et huiusmodi potest inveniri realiter in Deo, ratione distinctarum personarum.

3. — **Ordo quaestionis.** — In praesenti autem quaestione tria exploranda proponuntur. Cum enim in divinarum processionum existentia totum situm sit huius tractatus fundamentum, hinc primo, earum existentia ex divinarum Scripturarum documentis erit adserenda (1); secundo autem inquirendum veniet quaenam sint, utrum nempe detur processio una secundum intellectum, quae scilicet sit generatio (2) et altera secundum voluntatem (3), quae commune processionis nomen retineat (4); tertio demum binarius processionum numerus ad trutinam revocabitur, ut statuatur plures hisce duabus processiones non dari (5).



Hinc quinque quaeruntur:

Primo. Utrum processio sit in divinis.

Secundo. Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.

Tertio. Utrum praeter generationem aliqua alia processio possit esse in divinis.

Quarto. Utrum illa alia processio dici possit generatio.

Quinto. Utrum in divinis sint plures processiones quam duae.

Articulus I. — *Utrum processio sit in divinis.*

1. — **Ordo articuli.** — Ut ordinatim in hoc articulo procedatur, *primo*, ex fidei documentis vindicanda erit veritas catholica de existentia processionum in divinis; *secundo* ostendetur dogma de processionibus divinis ad intra ratione naturali non posse argui impossibilitatis, imo maximam congruentiam cum iis, quae per eamdem rationem novimus, habere; *tertio*, statuetur, ex sacra Scriptura, tanquam totius tractatus fundamentum, veritas qua tenemus Filium et Spiritum Sanctum, aeque ac Patrem esse verum Deum, inter se tamen et ab illo realiter distingui; *quarto*, quid proprie in divinis processio importet declarabitur, ubi ostendetur quod non debet accipi secundum quod est ad aliquid extra, sed secundum quod est ad aliquid intra; *demum*, difficultatibus solutis, indicabitur quaenam via sit sequenda, ut aliqualis divinae processionis notitia acquiratur.

2. — PROP. I. — **In Deo dantur processiones.**

3. **Auctoritas Sacrae Scripturae et Patrum.** - Haec veritas ita testimoniis divinarum Scripturarum innititur, ut nullo modo esset humanae pervia rationi, nisi divinitus fuisset revelata; nihil enim datur in tota natura creata quo, tanquam effectu, causae similitudinem exhibente, ipsaemet processiones divinae dignosci valeant, ut fusius apparebit ex quaestione XXXII. Quocirca, ex Sacra Scriptura, tanquam ex proprio et adaequato fonte, accedente Patrum commentatione, probationes desumendae sunt.

γ) Cum dixissent Iudaei *Patrem se habere Deum* [1], ita Christus eos redarguit [2]: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi et veni*, ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω. Ubi duo de semetipso Christus testatur, scilicet suam ex Patre ab aeterno originem in consubstantialitate naturae, necnon suum ex Matre in tempore ortum, adventumque in mundum.

Qua in re ait S. Hilarius [3]: *Religiosi nominis assumptionem Dei Filius in his qui se Dei filios confitentes, patrem sibi Deum dicerent, non improbavit: sed temerariam Iudaeorum usurpationem patrem sibi Deum praesumentium, per id quod se non diligerent, obiurgat. Non utique dici potest idipsum esse ex Deo exire, quod venisse. Sed cum ab his qui sibi Deum Patrem dicerent idcirco se diligendum ait, quia ex Deo exisset; causam dilectionis ex causa docuit esse nascendi. Exisse enim ad incorporalis nativitatis retulit nomen: quia religio profitendi sibi Patrem Deum, ex dilectione Christi, qui ex eo genitus est, merenda sit. Nec enim in Deum Patrem fit religiosus qui non diligit Filium, cum diligendi Filii non alia causa sit, quam quod ex Deo sit. Ex Deo igitur Filius est, non adventu, sed nativitate. Dilectio autem in Patrem hinc erit omnis, si Filius ex eo esse credatur.* Addit autem S. Pater [4]: *Non esse autem a se sibi originem docuit* (Christus), *cum subdit:* NEQUE ENIM A MEIPSO VENI, SED ILLE ME MISIT. Pariter S. Augustinus: *Sic ergo*, ait [5], *quod de Deo processit Verbum, aeterna processio est: ab illo enim processit ut Verbum Patris, et venit ad nos, quia Verbum caro factum est.*

δ) Rursus, de Spiritu Sancto Dominus noster ait [6]: *Dum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. Quibus in verbis espresse habetur signata ab una persona in aliam processio, ut exposuit S. Augustinus [7]: *Si ergo et de Patre et de Filio procedat Spiritus Sanctus, cur Filius dixit*: DE PATRE PROCEDIT, *nisi quemadmodum*

[1] Ioh., VIII, 41. — [2] Ibid., V, 42. — [3] L. VI, de Trinit. — [4] Ibid. — [5] Tract. XLII. — [6] Ioan., XV, 26. — [7] Tract., XCIII.

solet ad eum referre et quod ipsius est de quo ipse est? Unde illud est quod supra: MEA DOCTRINA NON EST MEA, SED EIUS QUI ME MISIT. *Si igitur haec intelligatur eius doctrina, quam tamen dixit non suam sed Patris, quanto magis intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait:* DE PATRE PROCEDIT, *ut non diceret:* DE ME NON PROCEDIT? *A quo autem habet Filius ut sit Deus, ab eo habet utique ut procedat ab eo Spiritus Sanctus.* Et Theophylactus: *Cum autem audis quod procedit, ne intelligas processum missionem esse illatam extrinsecus, qua mittuntur administratorii spiritus, sed quoddam differens et exceptae actionis proprium processum* [1].

γ) Demum in Veteri etiam Testamento divina Verbi processio praefigurata signatur, cum de increata Sapientia dicatur [2]: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

Ut autem statim, ab huius tractatus exordio, rationalistarum, et maxime Socinianorum, impugnationibus, huius mysterii impossibilitatem conclamantium, occurramus, statuenda est sequens.

4. PROP. II. — **Dogma de processionibus divinis ad intra nequit argui impossibilitatis aut contradictionis.**

5. — Prob. — α) Ad hoc ut quis proclamare posset unitati essentiae personarum trinitatem in divinis repugnare, necesse esset ut adaequate cognosceret divinum Esse, quod est ipsa Dei natura: quonam enim pacto id ille impossibile dicet, cuius naturam ignoraverit? Atqui Deus ille est, qui propter infinitatem suam, *cum aestimatur*, ut ait S. Ambrosius [3], *non potest aestimari; cum comparatur, non potest comparari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit; qui caelum manu sua aperit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt.*

β) Deinde, illa tantum pluralitas enti simplicissimo et perfectissimo repugnat, quae compositionem et potentialitatem importat. Atqui Trinitas personarum ita asseritur, ut nullam compositionem, potentialitatemve in Deo importet.

[1] Cf. CAT. AUR., IN HUNC LOC. — [2] ECCLI., XXIV, 5. — [3] EXAEM., I. II, c. 36.

Ergo Deo simplicissimo et perfectissimo minime repugnat Trinitas personarum.

γ) Rursus, ea tantum multitudo Deo repugnat, quae contradicit eius unitati. Atqui unitas quae in Deo praedicatur, est unitas essentiae, sive entis absolute inspecti; trinitas vero est multitudo quae relative praedicatur. Ergo unitati essentiae non repugnat personarum trinitas.

Ad intelligendum vero quid sit processio et quomodo locum habeat in divinis, necesse est breviter praemittere catholicae veritatis dogma, scilicet tum Filium, tum Spiritum Sanctum, quidquid sit de aliis, quae hucusque fingi possent, personis, ex iis quae fides nos edocet, confitendos esse verum Deum, realiter ab invicem distinctos.

6. — PROP. III. α) **Filius et Spiritus Sanctus sunt vere Deus aeque ac Pater**; β) **tres autem istae personae realiter distinguuntur ab invicem.**

7. — **Prob. 1ª Pars.** — Illi sunt vere Deus α) qui Deus proprie dicuntur; β) qui coessentiales Deo sunt; γ) quibus operatio divina competit; δ) quibus latriae cultus indicitur exhibendus; ε) in quorum fruitione consistit vita aeterna. Atqui tales ex Sacris Scripturis exhibentur Filius et Spiritus Sanctus. Ergo Filius et Spiritus Sanctus sunt vere Deus.

8. **Evolvitur argumentum.** α) Uterque Deus proprie praedicatur. Siquidem de Verbo dicitur [1]: *Hic est verus Deus et vita aeterna*; et [2]: *Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Unde ipsi proprium Dei nomen decernitur [3]: *Et hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus* יהוה *iustus noster.* — Pariter, Spiritus Sanctus expresse Deus appellatur [4]: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

β) Uterque coessentialis Deo exhibetur. Nam, de Filio legitur [5]: *Cui dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* et [6]: *In ipso inhabitat omnis plenitudo*

[1] Io., V, 20. — [2] Rom., IX, 5. — [3] Hier., XXIII, 6. — [4] Cf. Ps., XLIV, 7, 8; Is., IX, 6. — [5] Act., V, 34. — [6] Hebr., I, 5. — [7] Col., II, 9.

divinitatis corporaliter. Pariter [1]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso;* et [2]: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius,* ὅς ὢν ἀπάυγασμα τῆς δόξης καί χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ [3]. — Similiter de Spiritu Sancto [4]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet;* et [5]: *Quae Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.*

γ) Utrique operatio divina tribuitur. Filio quidem mediatio in creatione et redemptio [6]: *Portans omnia verbo virtutis suae purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis,* φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ποιησάμενος, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς· et [7]: *Omnia per ipsum facta sunt* [8]. — Spiritui Sancto autem attribuitur vivificatio et sanctificatio [9]: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum,* et [10]: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Similiter [11]: *Spiritus est qui vivificat;* et [12]: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* — De utroque iterum legitur [13]: *Sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

δ) Utrique latriae cultus, qui soli Deo praestari potest, exhibendus iubetur. De Filio quidem dicitur [14]: *Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem;* et [15]: *Adorent eum omnes angeli Dei.* — De Spiritui Sancto autem [16]: *Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo,* οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, quod S. Ambrosius, S. Augustinus aliique traducunt: *Spiritui servimus.* — Ubi notetur quod vox λατρεύοντες eadem est quam adhibet Christus quando dicit [17]: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Rursus [18]: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Ex quo arguit S. Augustinus [19] Spiritum Sanctum creaturam esse non posse.

[1] Io., V, 26. — [2] Hebr., I, 3. — [3] Cf. Phil., II, 6. Io., I, 14; XVI, 15; XVII, 10. — [4] Io., XVI, 14. — [5] 1. Cor., II, 10. — [6] Hebr., I, 3. — [7] Io., I, 3. — [8] Cf. Io., V, 19; Col., I, 16. — [9] Sap., I, 7. — [10] Matth., X, 20. — [11] Io., VI 64. — [12] Rom., VIII, 15. — [13] Cf. Rom., VIII, 11; 1 Cor., II, 10, 11. — [14] 1 Cor., VI, 11. — [15] Io., V, 23. — [16] Ps. LXXI, 11. — [17] Phil., III, 3. — [18] Matth., IV, 10. — [19] 1 Cor., VI, 19. — [20] L. I de Trin., c. 6.

cuius templum sunt membra christianorum. Nam, cum de christianis dicatur [1]: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*, si Spiritus Sanctus esset creatura, sequeretur membra Christi esse templum creaturae. Aliunde templum habere solius Dei est.

ε) In utriusque fruitione consistit vita aeterna. Quantum ad Filium dicitur [2]: *Haec est vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*; quantum vero ad Spiritum Sanctum: *Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* [3].

9. — **Difficultates contra divinitatem Filii.** — Non obstantibus clarissimis hisce testimoniis, Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus et Photinus dixerunt Christum ante B. Virginem non exstitisse, nec Deum fuisse, nisi per gratiae unctionem. Ariani vero posuerunt illum quidem ante omnem creaturam, sed non ab aeterno aut ex Patris substantia processisse, verum ex nihilo, sive ex non exstantibus; qui tamen testimoniorum evidentia postea coacti, Filium Patri coaeternum, non tamen de Patris substantia genitum agnoverunt. Quod cum tandem admittere compulsi essent, adhuc tamen confiteri noluerunt Filii cum Patre consubstantialitatem.

Arguebant autem α) ex quibusdam Veteris Testamenti locis, in quibus sapientia, quae Verbum est, creata dicitur [4]: *Prior omnium creata est sapientia*; et [5]: *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto*; rursusque ex eo quod in Novo Foedere Christus dicitur [6]: *Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae*, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Unde concludebant Filium creaturam esse Patris.

Sed locutiones huiusmodi cum discretione ita sunt accipiendae, ut non id quod imperfectionis, sed id quod perfectionis important, Verbo attribuatur. Revera, quod generatur apud nos, generantis naturam accipit, quod quidem

[1] 1. Cor., VI, 15. — [2] Io., XVII, 3. — [3] 2. Cor., III, 18. — [4] Cf. Rom., VIII, 14; XIV, 17. — [5] Eccli., I, 4. — [6] Ibid., 9. — Col., I, 15.

perfectionis est; at tum generans, tum genitum mutantur, quod est imperfectionis; quod autem creatur, non mutatur, nec mutationem in creante involvit, quod perfectionis est, at creatum non accipit creantis naturam, quod est imperfectionis; ideoque per hoc quod Sapientia genita dicitur, datur intelligi quod est eiusdem naturae ac generans: per hoc vero quod dicitur creata, datur intelligi quod in eius ortu nulla successerit mutatio, quemadmodum explicat S. Meletius in sua ad populum antiochenum concione, quam S. Epiphanius nobis conservavit [1]. Quod autem Verbum dicitur primogenitum omnis creaturae, hoc ideo non est quod ipsum fuerit prima creatura πρωτόκτιστος, ut volebant Ariani, sed quod unigenitum cum sit, non alterius generatio generationem illius praecesserit, ipsumque ratio fuerit exemplaris productionis creaturarum.

γ) Obiiciebat praeterea Arius plura, quibus in Novo Testamento videtur innui quod Filius sit Patre minor, quae tamen facile solvuntur, si intelligantur de Christo non secundum divinitatem, in qua est Patri aequalis, sed secundum humanam naturam, in qua profecto minor est Patre.

γ) Nec ex hoc quod Filius Dei factus est homo, potest cum Ario concludi: *Ergo factus est*, quod sane symbolo Nicaeno prohibetur; esset enim hoc fallacia a dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter*, sicut si quis ex hoc quod paries est hodie factus albus, concluderet: ergo paries est hodie factus.

10. - **Difficultates contra divinitatem Spiritus Sancti.** — Ex alia vero parte Macedoniani [2], licet de Filio non tam indigna sentirent, divinitatem tamen Spiritus Sancti acriter impugnabant, dicentes illum creaturam esse Patris et Filii. Arguebant autem, tum α) ex eo quod dicitur Spiritus Sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus* tum β) ex eo quod Ecclesia orationes sive collectas ad Spiritum Sanctum non dirigit.

α) Sed priori difficultati satisfacit S. Augustinus, dum ait .

HAER., LXXIII. — [1] Cf. S. Aug., HAER., LII. ROM., VIII, 26 — [2] EP., CXXI, c. 15.

illud quod dicitur Spiritum interpellare pro nobis, non esse *sic accipiendum, ut existimemus Spiritum Sanctum Dei, qui in Trinitate incommutabilis Deus est, et cum Patre et Filio unus Deus, tanquam aliquem qui non sit quod Deus est, interpellare pro sanctis. Dictum quippe est:* INTERPELLAT PRO SANCTIS, *quia interpellare sanctos facit, sicut dictum est:* TENTAT VOS DOMINUS DEUS UT SCIAT SI DILIGATIS EUM, *hoc est ut scire vos faciat.* »

3) Alteri vero difficultati ita respondet S. Thomas [1]: *Spiritus Sanctus ex personali proprietate habet quod sit donum: et ideo magis competit quod ipse petatur, quam quod ab eo aliquid petatur: quamvis etiam ad Spiritum Sanctum Ecclesia orationes aliquas dirigat et hymnos, qui loco orationis in Ecclesia recitantur* [2].

11. — **Prob. 2ª Pars, nempe, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum realiter ab invicem distingui.** — Sabellius, et cum ipso Sabelliani, qui et Patripassiani dicti sunt [3], talem errorem invexerunt, ut nomine tantum personarum Trinitatem agnoscerent, re autem perimerent, dicentes Filium eamdem esse Patris personam, secundum quod iste humanam naturam assumpsit, esse autem personam Spiritus Sancti, secundum quod movet creaturam rationalem per gratiam.

12. — **Refutatur Sabellius.** — Sed contra est. Nam illi α) qui inter se inveniuntur distincti per particulam coniunctivam *et*, β) quibus operationes distinctae attribuuntur; γ) quorum aliqui ab aliis mittuntur, sunt ab invicem realiter distincti. Atqui tales sunt tres divinae personae. Ergo tres divinae personae sunt ab invicem realiter distinctae.

Prob. min. α) Sicut in baptismate Domini, tres personae distinctae sensibiliter manifestatae sunt, iuxta illud [4]: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se, et ecce vox de caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* ita Apostoli [5] iubentur baptisma

[1] 4. DIST., XVI. Quaest. IV, art. 5, ad 2um. — [2] Cf. C. GENT., l. IV, cc. 7. 17. — [3] Invecta semel identitate Patris et Filii, ex hoc quod Filius passus est, ultro sequitur et Patrem passum fuisse. — [4] MATTH., III. 16, 17. — [5] IBID., XXVIII. 19.

conferre *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quam distinctionem articuli repetitio, quae in graeco habetur, evidentius distinctionem manifestat: βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου. Pariter legitur [1]: *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*; in quem locum notat Estius distincte insinuari tres in divinis personas, id quod contra haereticos, Trinitatis mysterio contradicentes, diligenter a graecis commentatoribus est animadversum.

2) Operationes distinctae attribuuntur divinis personis. Sic de seipso Verbum testatur [2]: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; et [3]: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* De Spiritu Sancto item dicitur [4]: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* τὸ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾶ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ; rursus [5]: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

γ) Aliquae personae exhibentur missae ab aliis. Ita de Filio [6]: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*; et [7]: *Haec est voluntas Patris mei qui misit me* [8]. — De Spiritu Sancto vero [9]: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*; et [10]: *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.*

13. — **Obiiciebant Macedoniani** Spiritum Sanctum non esse nisi quamdam accidentalem perfectionem mentis nobis a Deo donatam, et in nobis participatam ad instar cuiusdam accidentis creati, puta sapientiam, caritatem, vel aliquid huiusmodi. — Cui *respondetur* non esse accidens, sed subsistentem personam illum, cui proprium est operari pro suae arbitrio voluntatis: qui exhibetur ut causa perfectionis inter homines, et qui inter divinas personas adnumeratur. Porro, quod sit idem Spiritus qui nobis donatur, et Spiritus Dei, ex hoc apparet quod, cum Apostolus prae-

[1] 2 Cor., XIII, 13. — [2] Io., V, 17. — [3] Ibid., 19. — [4] 1 Cor., II, 10. — [5] Act., XIX, 6. — [6] Io., V, 37. — [7] Ibid., VI, 40. — [8] Cf. Ibid., VII, 28, 33; VIII, 16, 29, etc. — [9] Io., XIV, 26. — [10] Ibid., XV, 26.

misisset [1]: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*, ad rei huius confirmationem subdit [2]: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: et postea concludit [3]: *Ita et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Revera, Spiritus Sanctus non modo mentes sanctorum implet per effectum suae virtutis, quemadmodum et diabolus quando, verbi gratia, dicitur [4] quod *post buccellam introivit in* (Iudam) *Satanas*: sed cum Deus sit, mentes fidelium per suam substantiam inhabitat, et sui participatione homines bonos et sanctos facit [5].

14. — **Errores Arii et Sabellii circa processiones in divinis.** — Porro, quod Filius et Spiritus Sanctus sint Deus aeque ac Pater, ab invicem realiter distincti, sequitur ex doctrina de processione in divinis; at non eo modo quo Arius et Sabellius processionem ponebant. Ille siquidem accipiebat processionem in divinis, secundum quod effectus procedit a causa; unde ponebat Filium procedere a Patre sicut primam eius creaturam, et Spiritum Sanctum a Patre et Filio sicut creaturam utriusque. Sabellius vero, e contra, hanc processionem accipiebat secundum quod causa dicitur procedere in effectum, vel similitudinem suam ipsi imprimendo, vel illam movendo. Unde dicebat Deum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex Maria Virgine et factus est Deus homo; eumdem vero dici Spiritum Sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat et ad vitam movet; unde, secundum hanc positionem, non esset realiter nisi una persona in divinis. At radix huius erroris in hoc sita est, quod uterque acceperit processionem secundum quod est ad aliquid extra. Procedere enim effectum a causa, aut causam in effectum, est procedere ad aliquid quod est extra, et non ad aliquid quod est intra; et haec, non illa, poni debet in divinis. Unde sit

15. PROP. IV. **Processio in divinis non debet accipi secundum quod est ad aliquid extra, sed secundum quod est ad aliquid intra.**

[1] 1 Cor., II, 10. — [2] Ibid. — [3] Vers. 11. — [4] Io., XIII, 27. — [5] Cf. C. Gent., l. IV, c. 18.

16. — **Ostenditur.** — Revera, processio, quae est ad aliquid quod est extra, invenitur etiam in corporibus vel secundum motum localem, vel secundum actionem alicuius causae in exteriorem effectum, aut in exteriorem materiam, ut calor a calefaciente in calefactum [1]. At vero, cum Deus sit super omnia, ea quae in Deo dicuntur non sunt intelligenda per modum creaturarum inferiorum et infirmarum, ut sunt corpora, sed secundum similitudinem ad supremas creaturas a nobis cognitas, quae sunt creaturae intellectuales, a quibus tamen similitudo accepta adhuc deficit a perfecta repraesentatione divinorum. Porro in creaturis intellectualibus invenimus non modo processionem ad extra, verum etiam processionem ad intra. Non modo enim ab artifice procedit artificiatum ad extra, sed etiam procedit ab ipso verbum intelligibile, quod est ratio domus faciendae, manens in ipso artifice.

17. — **Duplex processio.** — Unde processio duplex est: alia ad extra, alia ad intra; quae differentia ab Angelico Doctore assignatur in eo quod, cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, omne enim quod ab aliquo procedit, procedit per aliquam actionem per quam in esse educitur, tot processionum genera esse debent quot sunt genera actionum. Porro, actionum aliae sunt quae tendunt in exteriorem materiam et dicuntur transeuntes, cuiusmodi sunt calefactio, dealbatio, domificatio, etc.; aliae vero sunt quae manent in ipso agente, et dicuntur immanentes, cuiusmodi sunt intelligere et velle. Unde, sicut secundum actionem transeuntem est aliqua processio ad extra, ita secundum actionem immanentem est processio ad intra.

Distinctionem hanc, inter operationem immanentem et operationem transeuntem, luculentissime alibi S. Doctor declarat. *Obiectum*, ait [2], *aliter se habet in actione quae manet in agente, et in actione quae transit in aliquid exterius. Nam in actione quae transit in aliquid exterius, obiectum, sive materia in quam transit actus, est separata ab agente, sicut calefactum a calefaciente, et aedificatum ab aedificante. Sed in*

[1] Ad 1[m]. — [2] 1. Quaest. LVI, art. 1.

actione quae manet in agente, oportet, ad hoc quod procedat actio, quod obiectum uniatur agenti, sicut oportet quod sensibile uniatur sensui ad hoc, quod sentiat actu. Et ita se habet obiectum unitum potentiae ad huiusmodi actionem, sicut forma quae est principium actionis in aliis agentibus.

18 - **Scoti figmentum.** Porro, Scoto non placet haec assignatio: vult enim Doctor subtilis differentiam inter actionem transeuntem et actionem immanentem in eo reponi, quod per illam sit aliquod operatum, per hanc vero non. — Sed ista distinctio non est formalis: nec vera est, nisi cum respectu vel ad necessitatem vel ad ordinem: ad *necessitatem* quidem, ita ut operatio transiens necessario habeat operatum, immanens vero non necessario habeat, sed possit habere, ut cum ex frequentatis actibus habitus generatur, aut etiam, quod ad nos hic proprie attinet, cum intellectus intelligit dicendo verbum, quod verbum est intellectionis operatum; ad *ordinem* vero, quia operatio transiens ordinatur ad operatum, immanens vero non ordinatur ad operatum, sed potius istud ordinatur ad illam perficiendam, sicut conceptus, seu verbum mentis, ad perficiendum ipsum intelligere ordinatur [1].

19. **Difficultates.** — I. In omni processione invenitur diversitas procedentis ab eo a quo procedit. Atqui in Deo nulla est diversitas. Ergo in Deo non est processio.

Resp. Dist. mai.: in processione ad extra, procedens est diversum ab eo a quo procedit, *conc.*: in processione ad intra, *subd.*: si procedens sit imperfectum, *transeat*: si sit perfectissimum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Revera, id quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diversum: imo quanto perfectius aliquid sic procedit, tanto magis est unum cum eo a quo procedit. Quod exemplo claresci. Siquidem, quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis ipsi intelligenti intimior est, et tanto ipse cum conceptione sua fit magis unum. Unde etiam qui fortioris est intellectus, profundiusque rem aliquam intelligit, ita unum fit cum ipso intellecto, ut pene identifi-

[1] Cf. Cajet., in h. l.

cetur cum eo. Deo igitur, cum sit in vertice perfectionis, convenit talis processionis ratio quae, dum salvat conceptum verae originis in eo quod procedit, requirit tamen perfectam unitatem, identitatemque intellectus secundum hoc quod actu intelligit, cum intellecto quod ab eo procedit, absque omni prorsus diversitate [1].

II. Procedere ab alio repugnat rationi primi principii. Atqui Deus est primum principium. Ergo in Deo non est processio.

Resp. Dist. mai.: procedere ab alio, ut extraneum et diversum, rationi primi principii repugnat, *conc.*, ut intimum et absque diversitate, *subdist.*: repugnat rationi primi principii in deitate, scilicet Patri, *conc.*; rationi primi principii rerum creatarum, *nego. Conc. min. Neg. conseq. et conseq.* — Revera rationi primi principii, quocumque modo sumatur, repugnat procedere a principio, ut extraneum et in natura diversum: sic vero nec Filius a Patre, nec Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedunt, sed procedunt ut intimum et secundum emanationem intelligibilem. Rursus, si loquamur de processione ad intra, haec non competit ei qui est principium ad intra, nempe Deo Patri, ut scilicet ab alio procedat; attamen, hoc quod Deus est primum principium rerum, non tollit quin ipse possit ab alio procedere, secundum modum intelligibilem, licet ceterae res ab ipso procedant. Esse igitur primum principium ad intra excludit quod possit procedere ab alio ad intra, non autem esse primum principium ad extra excludit quod ab alio possit procedere ad intra. Siquidem Deus ad res creatas comparatur ut artifex ad artificiata; de ratione autem artificis, ut est principium domus, est ut in ipso sit processio conceptionis suae artis, seu verbi mentalis; et si aedificator esset primum principium, processio huiusmodi includeretur in ratione primi principii [2].

20. — Analogia processionis Verbi Dei, cum processione verbi mentis nostrae. — Hisce positis, ad intelligendas divinas processiones ad intra, manifestior via est ut comparentur cum illa processione quam novimus esse intra nos,

[1] Ad 2°. — [2] Ad 3°.

scilicet secundum emanationem verbi intelligibilis a dicente. *Quisquis*, ait S. Augustinus [1], *potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione volvantur, ...iam potest videre, per hoc speculum atque in hoc aenigmate, aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est* [2]: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM.

Quae quidem via, unanimiter a sanctis Patribus pro intelligendis divinis processionibus indicata, in analogia consistit, non autem in ipsa rei identitate, ut inferius apparebit; quod statim bene notetur, ne quis tam alti et absconditi mysterii intelligentiam se adeptum fuisse praesumat.

21. — **Expenditur analogia.** — *Quicumque*, ait S. Thomas [3], *intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex vi intellectiva proveniens, et ex eius notitia procedens.* Ubi quatuor notanda proponuntur.

I. Terminus *quicumque*, non debet sumi in tota sua generalitate; constat enim quod nec beati in Dei visione faciali verbum efformant, sed nec Filius nec Spiritus Sanctus, licet aeque ac Pater intelligant. Igitur sumendus est pro omni intelligente naturaliter, in quo scilicet res intellecta, ut obiectum intellectum, vel terminus intellectionis, non est naturaliter secundum seipsum; sicut in nobis non est lapis secundum seipsum, ut intellectus naturaliter. Tenet autem principium illud et pro cognitione per fidem; quia licet eius obiectum supernaturale sit, tamen nisi intellectus efformet verbum de hoc obiecto, res intellecta non est in eo in ratione termini cognitionis. At in visione beatifica hoc non habet locum, quia divina Essentia, cum vices gerat speciei tum impressae, tum expressae, immediate terminat intellectum, quin opus sit ut beatus de ea verbum efformet: unde in visione beatifica non aliquid operatum, sed operatio ipsa est finis vel terminus ipsius visionis.

II. Attente legenti textum, patet S. Thomam tria sedulo distinguere, scilicet: *intellectum*, seu vim intellectivam

[1] L. XV, DE TRIN., c. 10. — [2] Io., I, 1. — [3] In corpore artic.

specie informatam, *actum intelligendi*, seu ipsum intelligere, aut intellectionem, sive actum dicendi seu ipsum dicere aut dictionem, et *verbum* ipsum: unde pro S. Thoma, in iis quae non intelligunt nisi dicendo verbum, idem est intelligere et dicere. - Quibusdam autem cum Scoto [1] videtur, intelligere non esse idem ac dicere, et intellectionem non esse productionem verbi: ita ut iuxta eos quatuor ista habeantur: intellectus, intelligere, dicere seu producere verbum et verbum, hac ratione inter se disposita, ut ex intellectu, tamquam ex causa, procedant duo, scilicet intelligere et dicere, quasi effectus distincti et a se invicem independentes. — Verum reiiciendam esse hanc positionem monet Caietanus, hac simplici animadversione, quia sic possibilis esset ista propositio conditionalis: Si intellectus non intelligeret, posset tamen producere verbum, quod falsum est. Revera, cum duo effectus ab una causa ita dependent, ut unus non sit alterius causa, sublato priori, remanet alter. Ergo sublato τῷ intelligere, remaneret adhuc τό dicere, quod est absurdum. Stat ergo id quod inculcat S. Thomas, nempe intellectum producere, seu exprimere, aut dicere intelligendo et intelligere producendo, exprimendo, dicendo.

III Analogia praestituta supponit in nobis dari distinctionem realem inter intelligere seu intellectionem, et id quod intelligitur, seu verbum. — Hoc autem Scoto et Henrico Gandavensi minime placet, qui volunt realem identitatem conceptus seu verbi et actualis intellectionis, et ideo solam inter haec rationis distinctionem haberi: quod si ita esset, non esset in divinis processio operati, sed operationis, contra id quod supra dictum est [2]. Igitur dicendum est in intellectu nostro naturaliter in hac vita haud posse haberi actu intellectionem, quin obiectum fiat praesens ipsi intellectui obiective illum terminando; atqui si obiectum non exprimitur, non terminat intellectionem, sed est tantummodo principium vel conprincipium intellectionis. Ergo in intellectione nostra naturali in hac vita necesse est haberi verbum, quod est aliquod operatum, non quidem quod sit extra potentiam operantem, sicut est operatum actionis transeun-

[1] I Dist., IX et XXVII, et in Quodlib., Quaest. I. — [2] P. 10.

tis, sed quod in ipsa potentia operante maneat; quod quidem in ipsam actionem, tanquam in proprium finem, ordinetur; dum ipsummet operatum actionis transeuntis est finis ad quem actio transiens ordinatur.

Non autem hic sumi debet verbum aut species expressa secundum quod est aliquid in ordine reali, nempe aliquod accidens animae, sed in ordine intentionali, id est, ut est formaliter obiectum seu imago repraesentans aliud. Et quia *idem est motus in imaginem et in rem cuius est imago* [1], ideo intelligens verbum intelligit rem, puta lapidem aut leonem, quin sit opus menti, a consideratione obiecti seu imaginis transire ad considerationem ipsius rei. *Verbum enim*, ut ait S. Thomas [2], *est tanquam speculum in quo res cernitur, sed non excedens id quod cernitur*: quasi speculum prouti est res quaedam, nullo modo videatur, sed ita sit obiecto commensuratum, ut rem in ipso repraesentatam visus tantummodo cernat [3].

IV. Circa *notitiam* intellectus, quam philosophi vocant speciem impressam, ex qua, ait S. Doctor, procedit conceptio rei intellectae seu verbum mentis, advertatur, quod si sit aliquis intellectus, ut de facto est intellectus angelicus in sui ipsius intellectione, cui obiectum intelligibile sit immediate praesens, opus ipsi non erit tali notitia seu specie impressa ad hoc ut exprimat verbum [4]. Quod dicitur, quia haec species ad generandum Verbum in Deo non est, qui est ipse sibi praesentissimus; attamen, pro conditione vitae nostrae, requiritur species seu notitia obiecti intelligibilis, quae est *forma intellectus et intelligendi principium* [5], et secundum quam intellectus speciem exprimit rei similem, quia quale unumquodque est, talia operatur.

22. — Conclusio. — Quae cum ita sint, aliqualem intelligentiam divinarum processionum nobis suppeditat illa emanatio verbi intelligibilis a dicente, quod tamen in ipso dicente manet, qualis in nobis in hac vita invenitur. Cuius-

[1] Arist., I. de Mem. et Rem., c. 1. — [2] Opusc. de Natura Verbi intellectus. — [3] Cf. Caiet., in h. l. — [4] Contra Gent., L. I, cap. 53. — [5] In Tract. de Angelis, Quaest. LVI, art. 1, n. 7, p. 143, docetur quod angelus, licet sit sibi ipse species impressa, de se tamen dicit verbum, seu exprimit speciem.

nam autem rationis sit illud Verbum quod in Deo dicente procedit, subsecuturi ostendent articuli; pro nunc satis erit innuisse illud esse debere rem aliquam subsistentem, siquidem in Deo non potest esse accidens quodcumque. Immo, cum noverimus Deum esse summe perfectum tum in natura, tum in cognitione, quanto autem aliquid perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo a quo procedit [1], hinc iam praelibari potest Verbum ita a Deo distincte procedere, ut tamen cum Deo sit una simplicissima et actualissima res.

Articulus II. — *Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.*

1. — **Ratio articuli.** — Habito ex fidei principiis quod sit in divinis agnoscenda aliqua processio ad intra, et quidem, secundum ultimo deducta, quod sit processio Verbi intelligibilis a dicente, in dicente tamen manens, cum haec processio in Sacra Scriptura *generatio* soleat vocari, nostra intentio est ut non modo momenta ex auctoritate replicentur, quibus haec veritas innititur, verum etiam ut, iuxta propositae analogiae vim, quam consistere diximus in comparatione processionis Verbi Dei cum processione verbi mentis nostrae, exploretur utrum metaphorice tantum, an proprie talis processio generatio dicatur. Cui rei praemittenda est ex Angelico accurata generationis definitio.

2. — **Quid sit generatio.** — Duplici sensu generatio solet accipi: uno, communi; alio vero, proprio. — Sensu *communi*, generatio extenditur ad omnia generabilia et corruptibilia, et sic omnia illa, etiam non viventia, quae a non esse ad esse transmutantur, generari dicuntur, quo sensu aeque loquimur de generatione ignis ac de generatione plantae: unde sic accepta, generatio nihil aliud significat, quam mutationem a non esse ad esse corruptioni oppositam, importat exitum de potentia in actum, et eius subiectum, sicut etiam subiectum corruptionis, est materia [2]. Porro, planum est non hoc sensu accipi posse generationem in divinis: repugnat

[1] Ad 2^m. — [2] Ad 1^m.

enim in Deo esse aliquam mutationem, aut materiam, sive potentialitatem quocumque modo.

Sensu vero *proprio* generatio invenitur tantummodo in viventibus, et proprie dicitur *nativitas*. Definitur autem: *Origo viventis a principio vivente coniuncto, in similitudinem naturae eiusdem speciei.*

3. — **Explicatur.** — Dicitur α) *origo*, quod tenet locum generis supremi; processio enim generaliter significat originem unius ab altero, generatio vero est processio. At non cuiuscumque rei origo generatio proprie dicitur, sed solum rei β) *viventis*. Sola enim viventia apud nos proprie genita dicuntur. Principium autem unde viventia naturaliter oriuntur, vivens esse debet, nulla enim causa potest in effectum maiorem se; idcirco additur γ *a principio vivente*, ut sic excludantur a propriae generationis ratione ortus animalium a putredine, si quidem tales ortus darentur, quod tamen noviter inventis satis aperte reiicitur. At vero principium vivens generans oportet esse δ) *coniunctum* genito viventi in actu generationis, imo et hoc clarius infra apparebit, quo maior coniunctio habetur, eo perfectior et altior est generatio. Quocirca, licet in generationibus quae apud nos sunt, mas et femina sint duae substantiae, et sic duo principia partialia generationis, ambo tamen concurrunt ad integrandum unum numero completum principium generationis per mixtionem seminum. Additur vero ε) *in similitudinem naturae*, nam generatio proprie dicta minime habetur, quando illud quod procedit a principio vivente coniuncto, licet sit vivens, non tamen est eiusdem naturae ac illud a quo procedit: quocirca pili et capilli qui in animalium corporibus crescunt, non habent rationem geniti et filii. Nec tamen sufficit similitudo naturae secundum rationem generis, sed ulterius requiritur similitudo secundum *naturam* ζ) *eiusdem speciei*, quemadmodum homo procedit ab homine et equus ab equo; quocirca non est in vermibus, qui in animalibus generantur, ratio generationis et filiationis, licet habeatur similitudo secundum genus.

4. **Scholion.** — Quod autem id quod generatur penes nos 1° transeat de potentia in actu vitae, aut quod 2° non

sit idem esse generantis et geniti; aut rursus 3° quod generatio non fiat sine decisione partis a generante, aut denique 4° quod genitum non habeat eamdem numero naturam ac generans, haec omnia in creaturis consequuntur ex vi earum aut finitudinis, aut materialitatis. — I. *Finitudinis* quidem, quia in creaturis suum generare non est suum esse: et etiam dato quod suum generare esset suum esse, tamen suum esse non est sua essentia; et ideo in ortu geniti a generante penes nos invenitur transitus de potentia ad actum: iterumque esse in creaturis, cum sit finitum, non potest alteri communicari [1]. — II. Ex *materialitate* autem in creaturis consequitur quod generatio non possit fieri sine decisione partis a generante, quia in hisce individuatio non habetur nisi secundum materiae dimensiones; ex quo ulterius consequitur quod non possit esse una eademque numero natura generantis et geniti. Unde in compositis ex materia et forma, istae quatuor imperfectiones concurrunt; in angelis vero, si generare possent, duae tantum priores invenirentur, ideoque genitor et genitus in ipsis esset in eadem numero natura, non autem in eadem subsistentia aut in eodem esse.

Quapropter, concludendum est quatuor istas imperfectiones, licet plus minusve in creaturis inveniantur, tamen ad formalem conceptum generationis proprie acceptae minime pertinere.

5. — PROP. — Processio Verbi in divinis dici debet generatio et quidem propriissime.

6. — Auctoritas. — Haec veritas solemniter declarata fuit in Concilio Nicaeno; et in symbolo in eodem edito ita recitatur: *Credimus... in unum Dominum Iesum Christum, genitum non factum*, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα. Pariter, in symbolo Athanasiano de Filio dicitur: *Non factus, nec creatus, sed genitus*; rursus: *Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus*.

7. — Prob. Ex S. Scriptura. — I. In *Veteri Testamento* plures sunt loci, in quibus sermo est de generatione in Deo,

[1] Profundissima haec veritas fundamentum est tractatus DE INCARNATIONE.

necnon de aliquo qui generatur, et proinde Filius nominatur. Sic : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ubi non modo generatio, sed aeterna generatio innuitur, in eo quod dicitur *hodie*. Pariter [2] : *Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* ; quibus verbis tria innuntur : scilicet, coexistentia procedentis cum principio a quo procedit, ratio huius processionis ad instar fulgentissimi luminis, necnon intima coniunctio geniti cum principio generante. Rursus [3] : *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus ? Si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus ?* Quibus verbis Deus, argumento desumpto ex naturali fecunditate suae naturae, ostendit a maiori ad minus sibi possibile fore suscitare novum populum loco populi hebraici praevaricatoris.

II. In *Novo Testamento* explicitior adhuc invenitur huius veritatis declaratio, dicente Christo [4] : *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, et rursus : *Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum*. Nec tacendus S. Paulus, qui citata Psalmi secundi verba, ad Hebraeos scribens, egregie commentatur ; ut ex singularitate generationis Verbi illius excellentiam etiam supra quemcumque angelum, commendet : *Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu : ego hodie genui te ?*

Confirmatur demum ex omnibus illis locis, in quibus Verbum vocatur Filius Dei *proprius, verus, unigenitus*, etc. [7].

8. — **Patres.** — Hanc eamdem veritatem *Patres* haud semel inculcant. Sic S. Basilius, quaerens cur Filius appellatur Verbum ac Sapientia, respondet [8] : *Quoniam ex intellecto immediate atque indivisibiliter est.* Pariter S. Athanasius : *Si omnino Deus est Verbi pater*, ait [9], *cur non et hoc quod gignitur Filius est ? Rursus vero Dei Filius quis esse potest, nisi eius Verbum ?* Et S. Hilarius [10] : *Nemo ambigit na-*

[1] Ps., II, 7. — [2] Ps., CIX, 4. — [3] Is., LXVI, 9. — [4] Io., I, 18. — [5] Ibid., IV, 7. — [6] Hebr., I, 5. — [7] Cf. Io., III, 16 ; VIII, 36 ; Rom., VIII, 32 ; 1 Io., V, 20, etc. — [8] Hom. XVI, in Io. — [9] De Deca Syn. Mic. — [10] L. IV, de Trin.

turam auctoris in Filii nativitate connasci, ut ex uno consistat in unum, quod per unum non discernatur ex uno; atque ita unum sint, per quod unus ex uno est. Denique, S. Fulgentius [1]: *Cum mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum.*

9. — **Corollarium.** — Ex quibus omnibus testimoniis confunditur haeresis tum eorum qui cum *Gnosticis* inducunt emanationem aut sectionem divinae naturae, tum eorum qui, post *Marcionitas* ac *Manichaeos*, plura summa principia inter se pugnantia contingunt.

Generationis definitione et eius in divinis existentia ita praestitutis, modo conandum est ut aliqualis illius intelligentia, secundum theologiae principia, attingatur. Ad quod penitius intelligendum, praemittendi sunt, ex S. Thoma [2], diversi processionum et emanationum gradus, quo melius sternatur via ad Verbi divini generationem aliqualiter intelligendam.

10. — **Diversi gradus processionum.** — Cum aliqua processio aut emanatio tanto sit perfectior et nobilior, quanto id quod emanat intimius coniungitur ei a quo emanat, hinc perfectissima dicenda erit illa emanatio, in qua id quod emanat ita perfecte coniungitur cum suo principio, ut sit unum cum ipso.

Porro, in rebus 1°) *inanimatis*, id quod emanat est omnino extra illud a quo emanat: ignis enim non producit ignem, nisi reducendo lignum per alterationem ad qualitatem et speciem sui; unde, haec infimum tenent emanationis gradum, quae nec proprie generatio dici potest.

Succedunt 2°) *plantae*, in quibus primus vitae gradus invenitur, cum moveant se ad formam; et in ipsis emanatio, partim intrinseca, partim vero extrinseca, invenitur. Intrinseca quidem in medio, quia humor plantae intraneus in semen convertitur; extrinseca vero tum in initio cum humor iste ab extrinseco proveniat, nempe a terra, tum in fine, quia in aliquid extrinsecum paulatim decidit. Primo enim

[1] L. III, ad Monim., c. 7. — [2] L. IV, C. Gent., c. 11.

ab arbore egreditur flos, tum fructus a cortice quidem discretus, sed arbori adhuc collegatus: qui tamen, cum ad perfectionem devenerit, separatur et in terram decidens, sementina virtute aliam plantam producit. Unde haec emanatio nobilior est, et generationis nomine proprie designatur.

Supra plantas inveniuntur γ) *animalia*, quae virtute sentiendi pollent, et in quibus, cum perfectiora sint, emanatio intimior est quam in plantis. In initio quidem extrinseca est, cum animalia recipiant ab extrinseco species suarum sensationum: sed in fine, intrinseca est, cum species sensibilis maneat intra sentientem; recipitur enim in phantasia et demandatur in memoria. Non tamen est perfecta ista emanatio, quia in hoc processu, principium et terminus emanationis pertinent ad diversas facultates, cum nulla potentia sensitiva in seipsam reflectere possit.

Supra animalia vero est δ) *homo*, cuius emanatio intellectualis est adhuc altior, cum ipse potestatem habeat reflectendi supra seipsum, seipsumque cognoscendi, et sic emanans est idem ac illud a quo emanat. Hic tamen aliqualis imperfectio admiscetur, quia huius emanationis principium est ab extra, cum homo non possit intelligere sine phantasmate ex rebus sensibilibus desumpto; praeterea, conceptio intellecta, quam homo habet de se, non est ipsa eius substantia.

In ε) *angelo* autem adhuc sublimior gradus emanationis invenitur, in quantum non est ipsi necesse ut emendicet ab extrinseco speciem ad sui cognitionem, cum per se cognoscat seipsum; sed tamen in hoc invenitur deficiens angelus, quod ipse intentionaliter non est ipsemet realiter, quia non est idem in eo esse et intelligere.

Hoc autem in solo ς) *Deo* invenitur, in quo omnes perfectiones adunatae reperiuntur modo longe excellentiori quam sint in creaturis, in quibus nonnisi divisim et finite existunt. Est igitur in Deo emanatio ad intra, quae quidem emanatio et principium sui et terminum habet omnino ad intra; immo procedens ei a quo procedit tam intimo foedere coniungitur, ut idem sit identitate naturae.

Qua cum ita sint, seclusa iam a processione, quae est in Deo, ratione generationis primo modo acceptae, seu late pro

quacumque mutatione de non esse ad esse, eo quod huiusmodi invenitur solummodo in illis quae de potentia in actum procedunt, in Deo vero nulla est potentia, videamus quomodo generatio secundo modo sumpta, quae abstrahit a ratione potentiae et mutabilitatis, inveniatur in Deo.

11. — **Ostenditur generationem esse in Deo** Iam dictum est in Deo procedere Verbum per modum conceptionis intellectae; talis igitur processio generatio erit dicenda, si omnes conditiones ad generationem requisitas habeat. Atqui in processione Verbi verificantur, et quidem excellentissimo modo, omnes conditiones ad generationem requisitae. Ergo processio Verbi potest dici generatio, et quidem propriissimo modo.

Prob. min. Et primo quod sit *origo* patet : omnis enim processio originis rationem habet; pariter constat quod sit *a vivente principio*, Deus enim est ipsa vita. Sed dubitatur quomodo sit origo α) *viventis*, cum species intelligibilis aut verbum in nobis non sit vivens; pariter non apparet quomodo sit β) in *similitudinem naturae eiusdem speciei*, cum species representans rem sit res non in esse reali, sed in esse intentionali tantum.

Ad cuius evidentiam recolenda est distinctio superius posita eorum quae in productione verbi concurrunt in nobis, quae sunt intellectus, intelligere, et verbum seu species aut intentio intellecta, ut eam vocat S. Thomas. Pariter, praemittendum est quod *esse intentionis intellectae est ipsum suum intelligi* [1], et consequenter ipsum intelligere, nam *intelligibile in actu est intellectus in actu* [2], seu ut commentatur S. Thomas [3], *ex hoc aliquid in actu sentimus vel intelligimus, quod intellectus noster vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis vel intelligibilis. Et secundum hoc tantum sensus vel intellectus aliud est a sensibili vel intelligibili, quia utrumque est in potentia.*

Porro, de Deo scimus quod ipsum suum intelligere est ipsa eius substantia [4], et quia substantia Dei est eius esse, ideo

[1] C. Gent., loc. cit. — [2] L. III, de Anima. — [3] 1. Quaest. XIV, art. 2. — [4] Ibid., art. 4.

intelligere Dei est esse Dei. Age vero, Deus cognoscit se : ergo Deus est sibimet *intellectus*, iuxta illud [1] : *Verbum erat apud Deum*, ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. Igitur, cum esse intentionis intellectae qua Deus intelligit se, sit suummet intelligere, sequitur quod esse Dei, seu eius substantia est esse intentionis intellectae. Sed esse intentionis intellectae est Verbum : ergo *Deus erat Verbum*, Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Porro, Deus nunquam potuit esse sine Verbo, secus aliquid novi sibi succederet ; unde sequitur quod *in principio erat Verbum*, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Et sic patet quomodo processio Verbi in Deo sit generatio ; nam Verbum procedens procedit a Patre secundum rationem similitudinis naturae eiusdem speciei univoce, scilicet naturae divinae ; exinde procedit ut vivens.

12. — **Processio Verbi est generatio propriissime.** — Addidimus autem quod processio ista *propriissime* generatio dicitur. Revera, tanto magis proprie aliqua processio dicitur generatio, quanto intimius id quod procedit coniungitur principio a quo procedit. Atqui Verbum procedens tam intime Deo, a quo procedit, coniungitur, ut non modo sit in Deo, verum etiam ut sit Deo omnino idem : et proinde ista processio propriissime dicitur generatio.

Exinde est quod, in processione Verbi, Scriptura non solum ponit Verbum procedens coaeternum Deo a quo procedit, iuxta illud [2] : *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, sed etiam ad hanc significandam processionem, utitur speciali nomine. Non modo enim vocatur *conceptus*, secundum hoc [3] : *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram*, quo nomine initium tantum processus generativi indicatur ; sed etiam appellatur proprie *partus* : *Ante colles ego parturiebar* [4] ; qui quidem partus nescit infantiae debilitatem : *Quando praeparabat caelos aderam*. Immo operandi cum parente perfectam habet virtutem : *Cum eo eram cuncta componens* [5]. Quod autem haec omnia non debeant realiter distingui, ex hoc deducitur,

[1] Io., I, 1. — [2] Prov., VIII, 22. — [3] Ibid., 24. — [4] Ibid., 25. — [5] Ibid., 27. — [6] Ibid., 30.

quod in aeternitate perfecta complentur: *Egressus eius ab initio a diebus aeternitatis* [1]. Ex quibus ultimo sequitur quod si Iesus *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se Deo faciens* [2], non est reputandus hoc per iniustitiam fecisse: *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* [3].

13. — **Comparatio Verbi in divinis et verbi mentis nostrae.** Plenius percipi poterit quomodo processio Verbi divini propriissime generatio dicatur, si comparetur cum processione verbi in mente nostra. Cum esse nostrum non sit nostra substantia, nec intelligere est nostra substantia, et consequenter nec esse intentionis intellectae, sed aliud est realiter intellectus, et aliud verbum; unde verbum quod procedit deficit a ratione perfectae generationis propter duo: *primo*, quio intentio intellecta seu verbum quod de nobis ipsi efformamus, non est in similitudinem naturae eiusdem speciei cum substantia nostra, cum illa sit in ordine intentionali, ista vero in ordine reali; *secundo*, quia esse intentionis intellectae in intellectu consistit, non autem est ipsum esse intellectus nostri, cuius esse non est suum intelligere, proindeque coniunctio non est perfecta. Exinde est quod ad significandam processionem verbi intelligibilis ab intellectu nostro utimur nomine *conceptionis*, quia in verbo intellectus nostri invenitur quidem similitudo rei intellectae, sed non invenitur naturae identitas; ad significandam autem processionem Verbi in Deo, utimur proprie nomine *generationis*, et Verbum procedens proprie dicitur *genitum* et *Filius* [4].

14. — **Solvitur difficultas.** — Omne genitum accipit esse a generante. Atqui esse divinum non est esse acceptum. Ergo non est generatio in divinis.

Resp. Dist. mai.: sic quod simpliciter accipiat a generante essendi perfectionem, *conc.*, sic quod illam in materia vel subiecto recipiat, *subdist.*, in creaturis materialibus, *conc.*: in Deo *nego. Dist. min.* Esse divinum non est esse acceptum, id est esse acceptum in eo qui procedit per emanationem Verbi, *nego. Nego conseq. et conseq.* · Esse divinum, cum sit

[1] Mich., V. 2. — [2] Io., V. 18. — [3] Phil., II, 6. — [4] Ad 2[m].

esse per se subsistens, nequit esse receptum in alio ut in materia vel subiecto, quemadmodum inter nos esse filii est receptum in determinata materia: esse enim sic receptum repugnat subsistentiae divini esse. Sed esse divinum potest dici acceptum, in quantum procedens ab alio habet esse divinum, quod tamen esse non est aliud ab esse divino, cum in perfectione divini esse contineatur et Verbum intelligibiliter procedens et principium Verbi, necnon quaecumque ad eius perfectionem pertinent. – Ceterum, non omne *acceptum* est *receptum* in alio subiecto: sic in processione rerum creatarum a Deo, invenitur quod tota substantia rei creatae sit accepta a Deo, quin tamen totius huiusmodi substantiae esset subiectum aliquod receptivum. Quae tamen rerum processio generatio proprie dici non potest, cum non sit in similitudinem naturae: dum Verbum, eo quod procedendo esse divinum accipit a dicente in similitudinem eiusdem naturae, generatum propriissime vocatur [1].

Ex eo quod divina generatio, ait Angelicus [2], *non est materialis, manifestum est quod non oportet in Filio Dei esse aliud recipiens et aliud naturam receptam. Hoc enim in materialibus generationibus accidere necesse est, in quantum materia generati recipit formam generantis. In generatione autem intelligibili non sic est: non enim sic verbum ab intellectu exoritur quod pars eius praeintelligatur ut recipiens, et pars eius ab intellectu effluat, sed totaliter verbum ab intellectu originem habet, sicut et in nobis totaliter unum verbum ex alio oritur ut conclusio ex principiis. Ubi autem totaliter aliquid ex alio oritur, non est assignare recipiens et receptum, sed totum quod exoritur ab eo est, a quo oritur.*

Articulus III. — *Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi.*

1. – **Quid sit procedere per modum naturae.** — *Hoc procedere dicitur in divinis per modum naturae*, ait Angelicus [3], *quod procedit sicut ea quae in creaturis a natura pro-*

[1] Ad 3[m]. — [2] L. IV, C. Gent., c. 14. — [3] De Pot., Quaest. X, art. 2, ad 4[m]. Cf. Ibid., ad 11[m].

ducantur, et non a voluntate. Sic ergo differt naturaliter produci, et produci per modum naturae: dicitur enim aliquid produci naturaliter, propter naturalem habitudinem quam habet ad suum principium; per modum vero naturae produci dicitur, quod producitur ab aliquo principio sic producente sicut natura producit. Cum igitur Deus seipsum intelligens, actu aeterno, qui est ipsa eius essentia, non voluntate, Verbum producat, hinc sequitur processionem Verbi dici posse per modum naturae, cum in hac processione nihil quod voluntatis est, misceatur: nam voluntas Dei non ponitur circa divinum intellectum nisi respectu creaturarum tanquam illarum exemplar, dum e contra Verbum subsistit respectu divinae naturae, non ut exemplar faciendorum, sed ut imago generantis.

Quae cum ita constiterint, supposito quoque quod alibi traditur, nempe in Deo esse etiam voluntatem, seu appetitum rationalem, re quidem unum quid et idem cum intellectu, ratione tamen distinctum ab ipso, supposito etiam quod principale obiectum divinae voluntatis est Deus ipse qui est etiam ratio volendi alia, nunc quaeritur utrum praeter processionem Verbi, quae dicta est generatio, detur alia processio re a priori distincta, secundum operationem voluntatis, quocumque tandem nomine ista processio velit appellari, de quo in subsecuturo articulo determinabitur. Quaeritur autem utrum *in divinis* ista nova processio detur, ita quod tum sic procedens, tum ille a quo procedit sit realiter Deus.

2. — Errores. — Porro, instituitur praesens dubitatio non solum contra antiquos haereticos, silicet Sabellium, qui negavit realem trium subsistentium in deitate distinctionem, et Arium Macedoniumque, qui Spiritum Sanctum esse creaturam impie aseruerunt, sed etiam contra hodiernos incredulos, solam Dei unitatem, reiecta trinitate, adserentes.

3. — Advertenda. — Dubitandi autem momenta duo sunt: *primo*, quod intellectus et voluntas in Deo sint una tantum res; *secundo*, quod non constat aliquid in nobis actu voluntatis procedere. - Ut aequivocationis praecavendae

gratia, statim advertatur, novae processionis rationem a voluntate sumi debere, non ea ratione qua haec est idem re cum intellectu et ab ipso sola ratione distinguitur, sed secundum propriam et formalem rationem operationis utriusque; deinde, instituta analogia inter processiones divinas et processiones quae in nobis inveniuntur, ulterius expendenda erit nova haec processio, quatenus amor oritur ab obiecto amabili ut cognito, nempe a verbo, res enim ut cognita est verbum, necnon a voluntate ut efficiente.

Ad quod melius intelligendum, advertendum est quod, cum principalis actus voluntatis sit amor, in hoc enim ceteri motus appetitivi fundantur, ideo quae secundum voluntatem ponetur processio, processio amoris, quasi generico nomine, erit appellanda. Attamen, nomine amoris non erit intelligenda ipsa actio amandi, novimus enim omnem in Deo actionem ita cum Deo identificari, ut nulla etiam detur inter actiones realis distinctio: unde, si per amoris processionem intelligeretur actio amandi, iam diversitas processionum perimeretur. Igitur, nomine amoris hic intelligitur intima quaedam affectio per modum operati cuiusdam, ita ut amor, in quantum trahit voluntatem, seu in quantum est amor, intelligatur terminare actum volendi. At ea quae sunt voluntatis, minus nobis nota, minusque nominata sunt quam ea quae sunt intellectus; unde, quia operatum illud apud nos proprio nomine caret, ideo nomine operationis nuncupatur, ut dicatur amor, impulsus, inclinatio aut affectio.

4. — **Analogia inter operationem intellectus et operationem voluntatis.** — Quia vero argumentum ad probandam existentiam processionis amoris in divinis, fundatur in proportionali similitudine inter operationem intellectus et operationem voluntatis, hinc modo inquirendum est ubinam ista similitudo reperiatur. Consistit autem in eo quod α) utraque operatio est immanens; β) sicut esse intentionis intellectae in actu est ipsum eius intelligi aut etiam intelligere, ita esse voliti in actu est ipsum velle; γ) denique sicut res dicta vel intellecta est in dicente vel in intelligente, ita res amata est in amante.

At circa hoc tertium similitudinis caput, notandus est

diversus sensus particulae *in*. Aliquid enim potest esse in alio α) per *essentiam*, quemadmodum anima est in corpore; β) per *similitudinem*, sicut per sonaest in speculo: aut denique γ) per *inclinationem*, sicut esse deorsum est in gravi et esse sursum est in levi. Cum ergo dicitur quod sicut res dicta vel intellecta est in dicente vel in intelligente, ita res amata est in amante, ly *in* diversum sensum exhibet: dictum est enim rem intellectam esse in intelligente per similitudinem; res vero amata est in amante per inclinationem aut per affectionem, quemadmodum esse deorsum est in gravi et esse sursum est in levi; est enim amatum in amante per affectionem amantis, sicut esse deorsum est in gravi per inclinationem gravis. Ex eo igitur quod dicimus amatum esse in amante, falso quis argueret quod intendimus amatum trahi ad amantem, nam amatum esse in amante non est amatum ferri ad amantem, sed e converso, amantem ad amatum, iuxta illud S. Augustini: *Pondus meum, amor meus; eo feror, quocumque feror* [1]. Scilicet ex hoc quod aliquid amatur, generatur in amante affectio quaedam, vi cuius ipsum amans fertur in amatum, et hoc modo amatum est in amante, ea nempe ratione qua superius dicebatur quod esse deorsum est in gravi, scilicet per inclinationem. Et sic utrumque salvatur, et quod amatum fit ut trahens, amans vero ut tractum, et quod ratione huius attractionis, hinc datae, illinc receptae, amatum sit in amante [2].

5. – PROP. **In divinis, praeter processionem Verbi, est alia processio, quae est processio Amoris.**

6. – **Sacra Scriptura.** — Haec propositio est simpliciter *de fide* tenenda. Dicit enim Christus [3]: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Circa quod tria notanda veniunt. *Primo*, realis Filii rogantis a Patre quem rogat distinctio: *Ego rogabo Patrem*, nemo enim seipsum rogat: *secundo*, promissio quam facit Christus, quod scilicet Pater sit daturus aliquem a seipso distinctum, cuius tamen officium proportionaliter

L. XIII, Confess., c. IX, n. 10. — [2] Cf. Caiet. — [3] Io., XIV, 16, 17.

erit idem ac officium Filii, scilicet consolari: *Alium Paracletum* (id est consolatorem) *dabit vobis. Tertio*, de hoc Spiritu expresse dicitur [1] quod *a Patre procedit.*

7. — **Patres.** — Haec testimonia commentans S. Ambrosius ait [2]: *Inquit* A PATRE PROCEDIT, *propter originem: inquit* QUEM MITTAM, *propter societatem unitatemque naturae.* Qui alibi scribit [3]: *Sicut creata dici non potest Sapientia quae ex ore Dei procedit, nec Verbum quod eructatur ex corde, nec virtus in qua plenitudo maiestati aeternae est: ita etiam creatus non potest Spiritus aestimari, qui ex ore Dei funditur, cum ipse Deus tantum ostenderit unitatem, ut effundere se de Spiritu suo dicat.*

8. — **Ostenditur haec veritas.** — Processio in divinis attenditur secundum operationem immanentem. Atqui praeter operationem intelligibilem, secundum quam attenditur processio Verbi, datur etiam operatio voluntatis in Deo, secundum quam attenditur processio Amoris. Ergo praeter processionem Verbi, ponitur alia processio in divinis, quae est processio Amoris.

Pulcre ab Aligherio exprimitur haec veritas [4]:

Guardando nel suo Figlio con l'Amore
Che l'uno e l'altro eternalmente spira,
Lo primo ed ineffabile Valore.

9. — **Confirmatur.** — Quod detur in Deo processio aliqua praeter processionem Verbi, confirmatur ex eo quod talis processio invenitur adumbrata, licet valde imperfecte, in ipsis rebus creatis. Revera, processioni quae est in divinis per modum intellectus, seu generationi, quae est formaliter in similitudinem naturae, ut iam diximus et fusius explicabitur articulo sequenti, correspondet, in creatis rebus, processio per modum naturae, qua natura univoce communicatur, in quantum natura ipsa est principium producendi simile sibi. Processioni vero quae est per modum amoris, correspondet in

[1] Io., XV, 26. — [2] TRACT. IN SYMB. AP., et L. DE SP. S., c. 1. — [3] IBID., c. 7. — [4] Parad., Cant. X, v. 1, seq.

humanis processio quae est per actionem, cuius principium est voluntas; sed quia per actionem, cuius voluntas est principium, effectus non potest recipere nisi similitudinem eius quod est in voluntate, sicut finis vel formae, ut in artificialibus patet, ideo deficientia invenitur in hoc quod illud quod sic procedit non est hypostasis per se subsistens, sed est tantummodo accidens; in Deo autem est ipsa divina natura [1]. Quod ideo est, quia res creatae, finitae cum sint, habent tantummodo unum modum communicationis illius naturae, quod in divinis non contingit, quia quidquid est in Deo, Deus est; et ideo per quamlibet processionem quae non est ad extra, communicatur divina natura; et quia operationes secundum terminos habent unitatem et diversitatem, ideo duplex processio in divinis est agnoscenda, tanquam duplex modus communicationis divinae naturae [2].

10. — **Scholion.** — Porro, haec realis processionum distinctio non est sic accipienda, quasi procedens secundum actionem intellectus habeat tantum id quod est intellectus, et procedens secundum actionem voluntatis habeat tantum id quod est voluntatis, cum uterque habeat omnia attributa essentialia, sic quod in Verbo procedente ut intellecto in actu sit etiam voluntas, et in Amore procedente ut obiecto amato in amante sit etiam intellectus. Igitur hoc sensu haec distinctio sumi debet quod, quidquid in processione divina invenitur quod in una processione statim potest intelligi alia non intellecta, unius est processionis; et ubi eadem quae per primam processionem sunt accepta iterum derivantur in aliam, alia processio inveniri debet. Unde divinae processiones non debent intelligi ex aequo, seu collateraliter se habentes, sed ordine quodam [3]: *Quod aliquid sit in voluntate*, ait Angelicus [4], *ut amatum in amante, ordinem quendam habet ad conceptionem qua ab intellectu concipitur, et ad ipsam rem, cuius intellectualis conceptio dicitur verbum; non enim amaretur aliquid nisi aliquo modo cognosceretur, nec solum amati cognitio amatur, sed secundum quod*

[1] Cf. DE POT., Quaest. X, art. 2, ad 2[m]. — [2] Ad 2[m]. — [3] Cf. DE POT., l. cit. — [4] C. GENT., l. IV, c. 19.

in se bonum est. Necesse est igitur quod amor, quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei, et a Deo, cuius est Verbum, procedat: amicitia enim, quae est mutua duorum convenientia, procedit a duobus ad invicem se amantibus.

Ex quo ulterius sequitur quod utraque processio in divinis convenit quasi in una specie propter unitatem rei, scilicet naturae divinae communicatae, sed distinguitur quasi secundum speciem ratione proprietatis hypostaticae, quia processiones istae terminantur ad duos subsistentes proprietate personali distincta in una eademque natura. Attamen pluralitas ista processionum usque in infinitum non debet protrahi, quia processio quae est ad intra in intellectuali natura, terminatur in voluntatis processionem [1].

11. — **Difficultas.** — Processiones realiter non distinguuntur, nisi earum principia distinguantur. Atqui principium processionis Verbi non distinguitur a principio processionis Amoris in divinis: intellectus enim qui est principium processionis Verbi, et voluntas quae est principium processionis Amoris, in Deo sunt unum et idem. Ergo processiones in divinis ab invicem realiter non distinguuntur.

Resp. Dist. mai.: nisi earum principia distinguantur realiter, *nego*. ratione, *conc. Dist. min.* realiter, *conc.*, ratione, *nego. Nego. conseq. et conseq.* — Revera, quamvis intellectus et voluntas in Deo sint idem secundum rem, quia tamen ratione distinguuntur, hinc de ratione processionis quae est secundum voluntatis operationem est quod praesupponat processionem quae est secundum intellectus operationem; ideoque istae processiones se habent secundum ordinem quemdam. Sane, non est processio Amoris, nisi in ordine ad processionem Verbi, quia nihil potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Quod et clarius apparebit, si attendatur quod in divinis est eadem substantia intellectus et conceptio intellectus sive Verbum, et tamen est realis ordo Verbi ad principium a quo procedit; ita, licet in Deo sit idem voluntas et intellectus, tamen, quia de ratione

[1] Ad 1[m].

amoris est, quod non procedat nisi a conceptione intellectus, ideo processio Amoris in divinis habet ordinis distinctionem a processione Verbi. Quocirca processiones comparatae ad naturam divinam ut ad principium a quo sunt et ad terminum ad quem sunt, ab hac non distinguuntur nisi ratione; sed comparatae ad invicem, secundum quod una est alterius principium et non viceversa, tunc realiter ab invicem distingui ponuntur, et procedentes etiam realiter ab invicem distinguuntur [1].

Articulus IV. — *Utrum processio Amoris in divinis sit generatio.*

1. **Ratio articuli.** — Postquam de reali distinctione seu alietate processionis Verbi a processione Amoris in divinis actum fuerit, modo quaeritur de distinctione formali inter utramque; ut determinetur utrum haec altera processio sit generatio et generationis nomine debeat appellari; quo negato, subibit inquirendum quid formaliter sit et quonam nomine proprio nuncupari debeat. Gravis sane quaestio, quam tanquam nimis reconditam, resolvere renuerunt summa Ecclesiae lumina, videlicet Cyrillus [2], Basilius [3], Nazianzenus [4], Augustinus [5], Damascenus [6], aliique; quam tamen ut enodare conemur cogit Macedonii perversitas, existimantis non posse naturam divinam ab alio accipi, nisi per generationem a Patre; cum autem haec generatio in Scripturis sanctis relate ad Spiritum Sanctum non inveniatur recensita, ideo nec ipse Spiritus Sanctus, iuxta illum, dici potest Deus aut Patri consubstantialis.

2. **Dubitandi rationes.** Ex altera vero parte, haud desunt rationes, et hae quidem satis speciosae, quibus suaderi videretur quod procedens per modum amoris in divinis procedat ut genitum et nascens, et amoris processio sit debeatque dici generatio. Revera, a) si ideo Verbi processio

[1] Ad 3[m]. Cf. 1. Dist., XIII, Quaest. I, art. 2. — [2] In Pasch., 12. — [3] Or. contra Sabell. — [4] Or., 23. — [5] L. XV, de Trin., c. 27, et L. III, Contra Maxim., c. 14. — [6] L. I, Orth. Fid., c. 10.

est dicitur*que* generatio, quia Verbum procedit in similitudinem naturae eiusdem speciei, non alio nomine vocanda erit processio Amoris, cum id quoque, quod in divinis per hunc modum procedit, procedat in similitudinem naturae et quidem specifice, alias procedens extraneum esset naturae divinae, et sic esset processio ad extra. Quod eo vel magis dicendum videtur, 2) quia de amoris ratione non secus ac de ratione verbi, est similitudo, vi cuius procedenti convenit generari et nasci, siquidem amor significat coadaptationem, convenientiam, proportionem amati cum amante et vice versa, quae convenientia in similitudine fundatur: unde dicitur : *Omne animal diligit simile sibi.* Crescit vero difficultas, si consideretur 3) quod generatio se habet ad processionem tanquam species ad genus: est enim specialis quidam modus processionis: at non est in genere quod non est in aliqua eius specie: igitur aut erit dicendum processionem amoris esse generationem, aut inveniendum aliquod speciale nomen, quo designetur amoris processio; quod tamen nomen minime datur.

Hisce tamen non obstantibus, catholica fides haud sinit ut quis hac in re anceps haereat: credere enim debemus quod

3. — PROP. I. **Processio Amoris in divinis non est generatio.**

4. — **Auctoritas.** Haec veritas consignata reperitur in Symbolo Athanasiano, quod ab Ecclesia tanquam tessera fidei recipitur: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus* (ad modum rerum materialium), *nec creatus* (ad modum substantiarum intelligentium), *nec genitus* (ad modum Verbi), *sed procedens*, retento generali nomine processionis propter deficientiam specialioris nominis ad illius processionem designandam.

5. — **Sacra Scriptura.** — Huius autem rei argumentum imprimis *Sacra Scriptura* suppeditat in illis locis, in quibus Filius, de quo scimus quod procedit ut Verbum, *unigenitus*,

[1] Eccli., XIII, 19.

μονογενής, dicitur. Sic [1]: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Pariter [2]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre* [3]. Si igitur Verbum Unigenitum dicitur, constat non haberi, nec haberi posse in divinis, praeter ipsum, aliquem qui genitus sit, et cui generatio convenire possit. — Ubi ulterius adnotetur Filium Dei dici simpliciter Unigenitum; quandoque enim aliquis in Scriptura unigenitus dicitur non simpliciter, sed aliquo addito, scilicet ad aliquid speciale designandum, sicut cum Salomon se dicit [4] *unigenitum coram matre sua*, siquidem dicitur hic unigenitus, non simpliciter, cum illum habuisse fratres noverimus [5], sed ad significandum quod a matre plus ceteris diligebatur. Christus vero simpliciter et absolute Unigenitus appellatur.

6. — **Ratio theologica** desumitur ex formali differentia processionis quae est secundum operationem intellectus, a processione amoris. Siquidem intellectus fit in actu, secundum quod informatur actu similitudine rei intellectae, voluntas vero secundum quod actu habet inclinationem in volitum. Unde in intellectu, vi illius similitudinis, emanat vel procedit verbum simile intelligenti; in voluntate autem, vi illius inclinationis, emanat vel procedit amor, de cuius ratione est ut moveat, impellat volentem. Consequenter processio quae est secundum operationem intellectus est generatio, est enim secundum rationem similitudinis formaliter, generans vero generat sibi simile; processio autem quae est secundum operationem voluntatis non ita, quia non est secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis vel moventis in aliquid.

Revera, intellectus, sicut natura, producit aliquid in similitudinem sui, tum intra, tum extra: intra quidem, sicut verbum quod est similitudo rei intellectae, extra vero, ut quando forma intellecta in artificiatum inducitur. E contra, voluntas non producit suam similitudinem, sive intra, sive extra; non intra, quia processio intranea voluntatis, scilicet

[1] Io., I, 18. — [2] Ibid., 14. — [3] Cf. Ibid., III, 16-18, etc. — [4] Prov., IV, 3. — [5] 1. Paral., III.

amor, potius quam similitudo voluntatis, aut voliti, est quaedam impressio relicta ex voluntate in volito, aut quaedam unio unius ad alterum: non extra, quia artificiatum habet impressam formam intellectam, potius quam volitam: unde primo et per se est similitudo intellectus, voluntatis autem tantum secundario [1].

7. **Ulterius explicatur.** — In definitione superius exhibita, dictum est quod generatio est *origo viventis a principio vivente coniuncto, in similitudinem naturae eiusdem speciei.* Iamvero ad hoc ut aliquod nomen alicui possit tribui, necesse est ut ratio per illud nomen significata ipsi formaliter conveniat; ratio autem per nomen significata est definitio. Unde si una definitionis pars rei non conveniat, iam res non poterit isto nomine designari: *bonum enim est ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu.* Atqui in processione per modum Verbi, omnia elementa in definitione generationis contenta verificantur formaliter; in processione autem per modum amoris deficit istud: *in similitudinem.* Nam procedens per modum amoris non procedit formaliter in similitudinem, sed tantummodo realiter.

Quod clarius intelligetur, si comparentur verbum et amor ad suas quasi partiales causas. Siquidem verbum procedit ut simile a duplici sua causa: a re cuius est similitudo expressa, et ab intellectu qui producit illud sibi simile; unde simile est totali suo productivo. Amor vero procedit ab appetitu, quasi a simili; ab appetibili vero, quasi a non simili: unde non est simile totali suo productivo.

Et si quis dicat quod procedit etiam ab appetibili ut a simili, quia impulsus amoris est in appetibile ut conveniens amanti, et sic appetibile agit in amantem ad producendum amorem per suam formam, agendo autem per suam formam agit sibi simile, *respondendum* est quod appetibile agit in appetentem ad producendum amorem per suam formam ut cognitam, non autem per suam formam ut rem. Atqui agere per formam ut cognitam non est formaliter agere simile, quia ex eo quod aliquid cognoscitur tale, non est necesse ut habeatur operatum simile formae cognitae, sed

[1] Cf. DE POT., Quaest. X. art. 2. ad 11^m.

tantum si agatur per formam ut rem. Verbi gratia, architectus, si agat per suam formam, id est per artem architectonicam, ut est *res* aliqua, producit simile suae arti, domum nempe; si autem agat per suam formam simpliciter ut cognitam, potest producere aliquid omnino diversum, verbi gratia, potest destruere domum. Unde stat quod amor, licet procedat ab amante ut quasi a simili, tamen procedit ab amato ut a dissimili, et consequenter productum totali suo productivo ut dissimile procedit [1].

8. — **Auctoritas S. Anselmi.** — Ubi optime quadrat sententia illa S. Anselmi [2]: *Verbum, mox ut consideratur, se prolem eius a quo est, evidentissime probat, promptam praeferendo patris imaginem* (quemadmodum filius patris sui lineamenta vultus, oculorum aciem, vocis ipsius sonum, gestum, incessum refert). *At amor aperte se prolem negat, quia dum a Filio et Patre procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, eius a quo est, similitudinem; quamvis ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse quod Pater et Filius.*

9. — **Corollarium.** — Quocirca si quando a sanctis Patribus, puta ab Athanasio, Basilio, Cyrillo Alexandrino aliisque, Spiritus Sanctus appellatur *Imago* et *Verbum* Filii, ut videre est apud Petavium [3], hoc ideo dixerunt, ut probarent consubstantialitatem eiusdem Spiritus Sancti cum Filio, et quatenus per Spiritum promissionis Sanctum, ad Filii imaginem signamur, nobisque Sancta Trinitas, maxime autem Filius manifestatur, non vero quasi ipse Spiritus Sanctus formaliter procedat per viam generationis ut Verbum: quandoquidem Filius neutiquam ab istis Patribus Pater dicitur, ut exponit S. Thomas in opusculo *Contra errores graecorum*, et fusius infra [4] declarabimus.

10. — PROP. II. — **Procedens in divinis per modum Amoris, procedit ut Spiritus, ut eius processio potest nominari spiratio** [5].

[1] Cf. Caiet. — [2] Monol., c. 8. — [3] De Trin., l. VII, c. 7. — [4] Quaest. XXXV, art. 2. — [5] Ad 3[m].

11. — **Probatur.** — Amor significat motionem vitalem, impulsum amantis in amatum, quae motio, qui impulsus optime significatur nomine ἀνέμου, πνεύματος, *venti, spiritus*: spiritus enim dicit vitalem motionem, vitalemque impulsionem: ideoque actio seu operatio qua procedit amor, nomine accommodato, *spiratio* dici potest. Unde saepius in Divinis Litteris, cum de S. Spiritu agitur, nomina usurpantur quae motionem seu impulsum significant; sic [1]: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*; pariter [2]: *Irruit Spiritus Domini in Sampson*: rursus [3]: *Spiritus Domini super me; evangelizare pauperibus misit me*; demum [4]: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Similiter de tempore manifestationis, seu epiphaniae Spiritus Sancti legitur [5]: *Factus est repente de caelo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Demum talis in divinis Scripturis exhibetur Spiritus Sancti motio, ut si quis ipsi resistat, magnae pervicaciae indicium sit, quandoquidem vehementissimae impulsioni resistit; qua de causa, Iudaei acrius arguuntur [6]: *Dura cervice... vos semper Spiritui Sancto resistitis.* In humanis quoque audacis animi virtutem spiritus designat: unde dicitur [7]: *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.*

12. — **Scholion.** Attamen nomen spiratio non est nomen proprium, sicut est nomen generatio, quia non significat formaliter communicationem eiusdem naturae vi amoris seu impulsus, sicut nomen generatio. Siquidem apud nos non habetur nisi unus modus participandae alicuius formae, scilicet per generationem, quae est vi similitudinis; et consequenter unum tantum habetur nomen ad significandam huiusmodi processionem. Quod si esset possibile haberi apud nos processionem viventis a vivente in eamdem specifice similem formam, sed non vi similitudinis, id est alia via quam via generationis, aliquod nomen speciale fors haberetur ad significandam processionem Amoris in divinis, et aliqua via suppeteret ad hanc processionem melius intelligendam: quod esset si, verbi causa, Deus concederet homini ut per aliquem

[1] Gen., I, 2. — [2] Iudd., XIV, 6. — [3] Luc., IV, 18. — [4] Io., III, 8. — [5] Act., II, 2. — [6] Ibid., VII, 51. — [7] Is., XXV, 4.

sui impulsum produceret hominem, quemadmodum Deucalioni ex Themistos oraculo concessum fuisse poetae confingunt. Sed pudet theologum ad mythologiae fabulas confugere. Quocirca deficiente proprio nomine, cogimur nomine generico *processionis* designare originem Spiritus Sancti a Patre et Filio, non quod ista processio sit priore imperfectior, sed quia, ut ait Damascenus [1], Spiritus Sanctus procedit a Patre, non filiationis, sed processionis modo : quae processio spiratio dici potest.

13. - **Difficultatum solutio**. Hisce habitis, facilis patet via ad difficultatum solutionem. — Et α) primo dicendum est, quod ratio propria huius vel alterius processionis et ratio distinctionis unius ab altera non debet sumi ex parte unitatis divinae naturae in iis qui procedunt: quidquid enim est, in divinis, unum est cum divina natura. Igitur ratio propria distinctionis processionum debet sumi secundum ordinem unius processionis ad alteram, ut dictum est, qui ordo attenditur secundum propriam rationem operationum intellectus et voluntatis, in quibus hoc formaliter invenitur, quod procedens secundum operationem intellectus, in similitudinem naturae formaliter procedat, ut sic dici debeat genitus; procedens vero secundum operationem voluntatis, divinam quidem naturam accipiat, non tamen propterea dicatur genitum aut natum [2].

β) Pariter requiritur quidem similitudo quaedam, quasi coaptatio congruitatis inter amatum et amantem; sed similitudo ista non est ipse amor, verum est amandi principium, quasi conditio sine qua non; dum similitudo ad Verbum pertinet, in quantum ipsum est quaedam similitudo rei intellectae, sicut genitum est similitudo generantis. Filius igitur procedit ut genitus, id est, ut formaliter similis: Spiritus Sanctus vero procedit ut amor, id est non formaliter ut similis, sed ut impellens, scilicet in simile; amor enim etiam in nobis aut similem invenit, aut facit [3].

γ) Ex quo derivatur et ratio diversitatis nominum. Nomen quippe genericum processionis retinetur ad significan

[1] L. I. DE FIDE ORTHOD., c. 11. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 2[m].

dam specialem Spiritus Sancti processionem, cuius proprium est non tantum ut procedat, sed ut a procedente procedat, et cuius proinde processio nobis minus nota existit, et propterea minus etiam nominata [1].

14. **Scholion.** Digna sunt quae hic recenseantur verba quibus Nazianzenus differentiam quae est inter duas illas processiones indicat [2]: *Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus, non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, mutuaeque eorum habitudinis differentia diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc ut sit Pater, nec enim defectus est filiatio, nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius: nec enim Pater Filius est. Sed haec defectum procul dubio non arguunt, nec essentiae submissionem; quin potius ex his verbis quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur.* Et Nyssenus [3]: *Eius quod est ex principio aliud discrimen intelligimus. Nam aliud proxime est a primo, aliud per id quod proxime est a primo; adeo ut et Unigeniti proprietas sine ulla controversia maneat in Filio, neque dubium sit quin ex Patre Spiritus existat, cum ipsa Filii interpositio et Unigeniti conditionem ei conserret, et Spiritum ab naturali, quam ad Patrem habet, habitudine non excludat.*

Articulus V. — *Utrum sint plures processiones in divinis quam duae.*

1. — **Ratio articuli.** — In ultimo hoc articulo S. Doctor in hucusque dicta oculos retro coniiciens, inquirere vult, utrum adsignatae processiones ita divinae naturae communicabilitatem ad intra exhauriant, ut plures quam duae adseri non valeant. Ubi non tam de numero ipso determinando, quam de huius numeri propria ratione reddenda sollicitum se exhibet.

[1] Ad 3[m]. — [2] Or., 37. — [3] Ad Ablab.

2. — **Rationes quae suadere videntur maiorem numerum processionum.** — Equidem, quod duae tantum sint processiones in divinis agnoscendae, fides edocet; quod autem plures quam duae esse deberent, suaderi videretur α) ipsa in Deo potentiae ratione, quae, non secus ac scientia et voluntas, operationis principium existit. β) Rursus, Deus infinite bonus est: bonitas vero videtur maxime esse principium processionis: bonum enim est diffusivum sui; unde etiam secundum bonitatem divinam aliqua processio videretur in divinis admittenda. Tandem γ) divina natura longe fecundior est quam natura nostra; at, in nobis, non modo invenitur processio unius verbi ab intellectu, uniusque amoris a voluntate, sed plurimae processiones huiusmodi. De verbo enim nostro aliud verbum concipimus, cum super illud reflectimus; item amorem nostrum diligimus, hocque non semel, sed infinitis quasi vicibus. De verbo enim verbi nostri aliud verbum efformare possumus, non secus ac si imago quaedam in speculo recepta, in aliud ex adverso positum speculum recipiatur, cuius imago rursus in aliud speculum reflectatur, usque infinitum. — Haec ea sunt quibus, si cognoscerent, pantheistae et evolutionistae moderni, si vero cognovissent antiquiores valentiniani, sua placita potuissent confirmare, de uno Deo continuo sese explicante, multiplicante, evolvente, emanatione quadam nunquam desitura.

3. — PROP. — **Non sunt in Deo nisi duae processiones.**

4. — **Auctoritas Sacrae Scripturae et Patrum.** — Revera, nonnisi duas processiones invenimus in S. Scriptura et in Ecclesiae Patribus consignatas: videlicet, unam quae est Verbi secundum intellectus operationem, alteram quae est amoris secundum voluntatis inclinationem. Quod si aliis interdum nominibus quam nomine Verbi Dei Filius nominatur, sicut cum dicitur a S. Paulo [1] Dei *virtus* et Dei *sapientia*, aut a S. Athanasio [2] Dei *potentia*, aut a S. Augustino [3] Dei *essentia*, non his nominibus alia processio est intelligenda.

[1] 1 Cor., I, 24. — [2] L. II, Contra Arian. — [3] L. VII, de Trin., c. 1 et 2.

sed expressiora nomina posita sunt ad designandam nam eamdemque processionem, qua procedens ut Filius realiter est Dei virtus, sapientia, potentia, etc.

5. — **Prob.** — Suadetur autem haec processionum dualitas: *primo*, ex consideratione ipsius entis. Siquidem ens, ut sumitur transcendentaliter et in tota sua latitudine, secundum hoc dividitur, quod aut consideratur absolute in se, aut consideratur per respectum ad aliquid. Ut consideratur in se, est indivisum in se divisumque ab aliis, et sic est unum et aliquid; ut autem dicit respectum ad aliud, cum hoc aliud non sit nisi anima, hinc, secundum quod refertur ad facultatem apprehensivam, induit rationem veri, secundum vero quod refertur ad facultatem volitivam, induit rationem boni. Ergo quemadmodum Deus in sua essentia consideratus, est indivisus in se et distinctus a quocumque alio, ita quatenus consideratur ut est in ipso ordo ad verum cognitum, dicitur per respectum ad Verbum procedens: quatenus vero consideratur ut est in ipso ordo ad bonum, dicitur per respectum ad amorem procedentem: unde duplex processio ad intra: una Verbi, Amoris altera.

Idipsum, *secundo*, patet ex procedentium numero, qui nonnisi duo sunt, scilicet Filius et Spiritus Sanctus. Ergo duae tantum processiones sunt agnoscendae, cum secundum unam processionem sit unus procedens.

Tertio, demum, id constat ex analogiae via, quam supra indicavimus. Siquidem, processiones in divinis non possunt accipi, nisi secundum actionem quae in agente maneat. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae, scilicet intelligere et velle. Ergo processiones sunt tantummodo duae.

6. — **Tacita obiectio.** — Nec dicatur quod in nobis est operatio immanens non solus secundum intellectum et voluntatem, sed etiam secundum sensum, cum sentire, licet incipiat a sensu, tamen perficiatur in ipso subiecto sentiente, quemadmodum intelligere; unde aliqua alia emanatio videretur ponenda in Deo praeter recensitas processiones, sensationi in nobis correspondens. — Nam vane hac in re fallitur ima-

ginatio. Imprimis enim operationes in nobis immanentes consideravimus, quatenus pertinent ad immaterialem et altiorem naturam; sensatio autem ad naturam materialem formaliter pertinet; unde in Deo, sicut etiam in angelis, non invenitur operatio correspondens sensationi quae in nobis est, ideoque non est in Deo processio quae sit secundum sensationem; alioquin et aliae inferiores operationes animalium propriae essent Deo tribuendae. Praeterea, operatio sensitiva non est pure immanens, cum non modo eius principium sumi *necessario* debeat ab exterioribus, sed nec in eadem facultate compleatur, cum possibile non sit sensum supra semetipsum reflectere.

7. — Solutio difficultatum. — Ex his facile est difficultates supra positas solvere. — α) Imprimis, *potentia* non est principium operationis ad intra, ut possit secundum eam aliqua in divinis processio accipi, sed est principium operationis ad extra; unde secundum rationem potentiae nequit haberi processio divinae personae, sed tantummodo processio creaturarum a Deo; cum vero potentia de se subaudiat intellectum et voluntatem, hinc operatio quae est secundum potentiam dirigitur ab intellectu sub motione voluntatis, ideoque creaturarum processio subaudit processionem Verbi et Amoris [1].

β) Quod autem ad *bonitatem* divinam attinet, non debet accipi alia processio secundum ipsam. Nam bonum potest considerari, vel ut pertinens ad essentiam, vel ut pertinens ad operationem. Et proprie quidem bonum ad essentiam pertinet, secundum quod essentia consideratur in actu perfecta; unde, sicut processiones divinae non attenduntur secundum Essentiam aut essentialia attributa, ita nec secundum bonitatem. Bonum vero ad operationem non pertinet, nisi sicut obiectum voluntatis; bonum enim dicit respectum ad appetitum alliciendo illum, sed tunc non potest esse principium alicuius processionis. Revera processiones attenduntur secundum aliquas operationes, non autem secundum quod veritas aut bonitas sunt obiecta istarum operationum;

[1] Ad 1[m].

sic enim bonitas et veritas aliud non sunt, nisi Deus secundum essentiam consideratus [1].

γ) Demum quod nos *plura verba* efformemus et quod *pluribus amoribus* trahamur, hoc non est nisi ex imperfectione tum verbi mentis nostrae, tum amoris voluntatis nostrae: Deus vero uno simplicissimo actu omnia intelligit et omnia vult; unde in eo non est processio verbi ex Verbo, aut amoris ex Amore. Revera quanto altius in ordine rerum ascendimus, tanto videmus nobiliores creaturas paucioribus actibus suas operationes specificas perficere [2]. *Verum*, advertit Card. Satolli [3], *a multis ad unum, reductio fieri debet in universo, quantum ad intelligibiles processiones, sicut quantum ad veritatem, qua omnia vera sunt, et ad bonitatem qua bona.*

8. — Advertenda. — I. Quantum ad processionem Filii, hoc advertendum est, quod licet accipiat a generante consubstantialem naturam, tamen non accipit potentiam generandi, seu paternitatem quae in divinis personalis est: in humanis vero filius accipit a patre suo eamdem specifice naturam cum potentia generativa: unde sic filius generatur, ut sit in potentia ad paternitatem: quod ita divinitus provisum est, ne cum individua composita ex materia et forma defectibilia sint et corruptibilia, species ab essendo aliquando desinat.

II. Ex hoc quod in humanis alia sit processio per modum naturae, alia per modum intellectus, et alia per modum voluntatis, perperam quis induceretur ad ponendam trinitatem processionum in divinis; siquidem Deus immaterialis omnino est, ideoque de potentia in actum transire non potest; unde procedere in ipso per modum naturae, est procedere per modum intellectus: unde processio intellectus nullam aliam processionem praesupponit, dum processio voluntatis principium sumit ex processione intellectus [4].

9. — Durandi obiectio. — Occasione ultimi commatis S. Thomae, in responsione ad *tertium*, ubi dicit quod ex eo

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. — [3] In h. l. — [4] De Pot., Q. X, a. 2, ad 7[m].

quod in Deo est solum unum Verbum perfectum et unus amor perfectus quo *eius perfecta fecunditas manifestatur*. — proponi hic potest dubitatio Durandi, putantis divinas processiones esse formaliter ex vi fecunditatis naturae divinae, non autem ex vi operationis intellectus et voluntatis. — Sane, arguit ille, natura, ut distinguitur a facultatibus, est principium operationis, unde penes illam, non penes istas, debent processiones attendi; ideoque si supponeretur orbata facultatibus, adhuc posset se communicare; praeterea, et in Verbo et in Spiritu Sancto inveniuntur intellectus et voluntas, quae tamen non sunt in istis personis processionis principium, alias unaquaeque processio originem daret duabus aliis processionibus.

10. — Refutatur. — Ad cuius difficultatis enodationem, notandum est: 1° non omnem naturam esse fecunditate communicationis dotatam. Non enim angelus potest alium angelum generare, secus essent duo angeli subsistentes in una singulari natura, quod impossibile est, cum forma separata individuetur per se; sic, aliquis frustra exspectaret ut sol generaret solem, dato quod, ut antiqui ponebant, forma solis exhauriret totam potentialitatem illius materiae. 2° Non satis est dicere quod natura est principium operationis, sed debet adiici, *primum* seu *remotum*, ut contradistinguitur principio *secundo* seu *proximo*. Esse igitur remotum operationis principium competit naturae; facultatibus autem esse proximum principium, sive in actu primo, sive in actu secundo; et eo ordine ista ad invicem se habent, ut subordinatio et dependentia habeatur naturae a potentiis in operatione elicienda. Quocirca, si natura aliqua debeat esse principium alicuius operationis ad extra, hoc non erit nisi per potentiam quae terminatur ad extra; si autem sit principium alicuius operationis ad intra, scilicet immanentis, hoc non erit nisi per potentiam quae terminatur ad intra, quae quidem in natura intellectuali non est nisi intellectus et voluntas.

11. Quomodo divina essentia sit principium processionis. — Igitur, divina essentia, utpote fecunda, est principium processionis in divinis, non hoc sensu quod ipsa sit imme-

diatum principium *quo* divinarum processionum, sed secundum quod est principium *quo* in actu primo remoto. Quemadmodum enim in humanis, *est suppositum quod generat, natura autem fecunda est generationis principium quo mediatum, potentia vero generativa est principium quo immediatum, ita in divinis, qui generat, est suppositum Patris, principium quo mediatum istius generationis est essentia prout est in Patre, sed principium quo immediatum est intellectus. Et secundum haec, intelligenda sunt quae latinus disputator affirmat in Sessione XVIII Concilii Florentini, dicens inter cetera: Patris persona suppositum est atque generans, divina vero natura generativum principium quo Pater Filium generat* [1].

Quod autem et Filius et Spiritus Sanctus, licet intelligant et velint, tamen non producant aliam personam, hoc ideo est, quia actus intellectus non essentialiter sumptus, sed secundum quod importat rationem ad Verbum dictum, quod est formaliter *dicere*, notionalis est, solique Patri convenit; actus vero voluntatis non essentialiter sumptus, seu secundum quod importat solam habitudinem amantis ad rem amatam, sed secundum quod sumitur pro eo quod est amando producere seu *amorem spirare*, notionalis pariter est, solisque Patri et Filio convenit, ut fusius infra declarabitur.

Quod si divina natura, ut natura fecunda est, esset immediatum principium et ratio formalis divinarum processionum, non esset ratio cur duae tantum processiones agnosci debeant, et cur Filius a solo Patre et Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedant, et cur sola Filii processio generatio sit et non similiter processio Spiritus Sancti, nec denique cur ordo inter divinas processiones sit agnoscendus [2]. Insuper in hac sententia sequeretur quod essentia divina produceret, quod repugnat definitioni Concilii Lateranensis IV, in quo dicitur quod *essentia nec producit, nec producitur; nec generat, nec generatur.*

12. — Corollarium. — Ex quibus colligitur quod processiones divinae in aliquo conveniunt et in aliquo discrepant. Conveniunt in hoc quod utraque a) fundatur in intellectuali

[1] Fr. Sylvius, in hunc loc. — [2] Cf. Caiet., h. 1.

natura, ζ) sequitur ad operationem immanentem, γ) immaterialis est, δ) simplex et omnino perfecta, ε) habet pro unico principio et pro unico reali termino naturam divinam.

Differunt autem in eo quod α) una est secundum operationem intellectus, alia secundum operationem voluntatis; β) una est formaliter per modum similitudinis, ideoque proprie vocatur generatio, altera vero formaliter per modum impulsus, et ideo, nomine non tam proprio, spiratio dicitur; γ) una habetur, altera non supposita, altera vero subaudit primam: consequenter ε) habetur inter ipsas ratio ordinis.

13. — Solvitur tacita difficultas. — Contra hanc ultimam differentiam posset aliquis opponere quod eadem est ratio processionis unius et alterius, ideoque nullus inter eas ordo habetur, quia quemadmodum in hisce tribus: intellectus, species intelligibilis, et verbum, duo priora sunt identica, ita et in hisce tribus, voluntas, volitum et amor, duo priora possunt esse identica, si scilicet obiectum voluntatis sit ipsamet voluntas. — Contra quod dicendum est quod volitum non est obiectum amoris nisi ut cognitum; et ideo processio, quae est secundum operationem voluntatis, supponit processionem quae est secundum intellectus operationem; ex quibus constat, ut notat Caietanus [1], processiones divinas distingui quidem seipsis formaliter, cum una sit per se essentialiter ad eamdem naturam, altera vero ad inclinationem secundum istam naturam; non tamen distinguuntur seipsis primo, quod contra Scotum assumitur, cum non sint primo diversae, sed una subaudiat alteram.

14. — Scholion. — Ex hisce apparebit quam periculose de revelatis mysteriis ille procedat, qui seposito lumine philosophiae scholasticae, ex qua sola, tuta suppeditatur norma ad eorum quae, per fidem credenda, suscipimus, aliqualem intelligentiam capessendam, proprio ingenio inniti praesumat.

Equidem videtur haec fuisse labes illius theologicarum rerum scriptoris, cui nomen Hermannus Schell qui, de Tri-

[1] In art. praec

nitate edisserens, praemisso quod Deus constat ex logica necessitate et ex perfecto intuitu in logicam necessitatem primae veritatis, addit ipsum vocari Patrem, in quantum hanc necessitatem cogitando exprimit et est fundans in divino seipsum fundante; constitui ut Filium, in quantum logicam hanc necessitatem cogitando, perfecto intuitu et in gratiam suae innatae veritatis, ex ea procedit, et per eam in aeterna existentia fundatur; esse demum Deum, Spiritum Sanctum, quatenus in sua existentia, per hanc sanctam necessitatem et moralem voluntatis actionem fundatur [1].

[1] En implexa obscuri nimis auctoris verba: *Gott besteht aus logischer Notwendigkeit und aus vollkommener Einsicht in die logische Notwendigkeit der Urwahrheit; insofern er diese Notwendigkeit denkend ausspricht und das* BEGRUNDENDE *in der göttlichen Selbstbegründung ist, heisst er* VATER. *insofern er diese logische Notwendigkeit denkend mit vollkommener Einsicht und um ihrer inneren Wahrheit willen aus ihr hervorgeht und durch sie in ewiger Existenz* BEGRÜNDET *wird, besteht er als* SOHN... *Insofern Gott in seinem Dasein durch diese heilige Notwendigkeit und sittliche Willensthat* BEGRÜNDET *ist, ist er* GOTT. DER HEILIGE GEIST. — KATHOLISCHE DOGMATIK, II B., p. 31; Paderborn, 1889.

QUAESTIO SECUNDA.

(XXVIII).

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

Prologus.

1. — **Ratio quaestionis**. — Post quaestionem de processionibus divinis, praesens quaestio de relationibus divinis logico processu instituitur. Siquidem relationes subaudiunt processiones, tanquam suae essendi rationis fundamentum, et hoc quidem necessario. Cum enim de relationibus realibus tantummodo sit in praesentiarum sermo, siquidem de rationis relationibus, quae sunt in Deo ad creaturas, agitur proprie in articulo septimo quaestionis XIII, cum autem ad relationem realem requirantur et reale fundamentum relationis, et reales termini, cum reali extremorum oppositione respectiva, nisi praeconcipiatur esse et realiter haberi fundamentum oppositionis relativae inter duos qui ad invicem ordine reali referantur, nec realis poterit esse relatio, nec de reali relatione sermo institui. Sed nonnisi vi divinarum processionum, quae secundum fidem adseruntur in Deo, ista inveniuntur, secundum quod duo realiter se habent cum oppositione procedentis ad illum a quo procedit. Quocirca, absoluta quaestione de processionibus divinis, nulli alteri quaestioni locus patebat, nisi quaestioni de relationibus divinis.

In hac porro quaestione, de propria essendi ratione et forma divinarum personarum agitur, quam quaestionem pertractans angelicus Doctor, sanctorum vestigia secutus, ceteros theologos longe antecelluit profunditate simul et luciditate doctrinae; unde magni faciendum erit, propter argumenti sublimitatem, quidquid de tanta re, etsi minimum illud sit, attingi valeat.

2. — **Ordo quaestionis**. — In qua quidem quaestione tria praestanda sunt; primum, de relationum existentia (1); alterum de modo essendi relationum divinarum (2-3), tertium, de numero earumdem (4). Et quidem, circa modum essendi relationum divinarum, determinandum veniet, quomodo se habeant, tum ad divinam essentiam (2), tum inter se (3).



Igitur quatuor hic quaeruntur

Primo. Utrum in Deo sint aliquae relationes reales.

Secundo. Utrum illae relationes sint ipsa essentia divina, vel sint extrinsecus affixae.

Tertio. Utrum possint esse in Deo plures relationes realiter distinctae ab invicem.

Quarto. De numero harum relationum.

Articulus I. — *Utrum in Deo sint aliquae relationes reales.*

1. — **Quid sit relatio**. — Relatio, graece πρός τι, est *ordo unius ad alterum*; et relativa ab Aristotele definiuntur: *Quibus hoc ipsum quod sunt, est ad aliud se habere.* Igitur relatio, cum sit unum ex decem praedicamentis, in quae, velut in tot expressiones modos essendi, dividitur ens reale, aliquid habet commune cum ceteris octo accidentalibus praedicamentis, et aliquid proprium, quo secernitur ab ipsis. Commune ipsi cum ceteris accidentibus est *esse in*, seu inesse: accidentis enim esse est inesse. Haec generica ratio praedicamenti acciden-

talis imperfectionem formaliter importat, dicit enim inhaerentiam seu dependentiam, et sic non subsistentiam; unde est aliquid minus substantia: ideoque, secundum hanc rationem, nullum praedicamentum accidentale proprie Deo tribuitur; propter quod dicit Boëtius [1] quod *cum quis praedicamenta in divinam vertit praedicationem, cuncta mutantur in substantiam quae praedicari possunt.*

Secundum autem propriam rationem, cetera praedicamenta accidentalia, praeter relationem, aliquem absolutum modum important circa substantiam, utpote esse mensurativum aut modificativum substantiae aut dispositivum eiusdemmet in partes; relatio vero, secundum propriam rationem, respectum importat, seu habitu linem ad alterum, aut sibi vindicat *esse ad*, seu ad aliquid; unde addit idem Boëtius [2]: *Ad aliquid omnino non potest praedicari:* quod sibi vult relationem non sumi per comparationem ad id cui inest, sed ad id ad quod respectum dicit; ideoque relatio non praedicatur per modum inhaerentiae, sed magis per modum ad aliud se habentis [3].

2. — Esse relationis est debile et difficile apprehensu. — Quocirca esse relationis est maxime debile et difficile apprehensu; debile, propterea quod relativum non dicitur ad se, sed ad aliud; difficile apprehensu, quia mens solet quidem in suis speculationibus haerere in eo quod considerat, dum autem considerat relativum, debet et ad correlativum attendere. Non tamen propter hoc est subscribendum iis qui dixerunt relationem non esse nisi figmentum mentis: est enim unum ex praedicamentis realibus, in quibus bonum universi consistit: siquidem ordo vel respectus unius ad alterum et partium ad totum, non minus ad bonum pertinet, quam id quo res sunt in se id quod sunt.

Porro, quod diximus relationem debile esse habere, intelligendum est in creaturis, in quibus esse relationis pendet et ab eo quod est relativum, et ab alio ad quod est; minime vero in Deo hoc est intelligendum, in quo relatio quid maximum est, cetera attributa eminentia sua excedens, cum

[1] L. de Trin. — [2] Loc. cit. — [3] Ad 1[m]. Cf. Card. Satolli, in h. l.

relatio solam ultiplicet rationes subsistendi incommunicabiliter in divinis, constituendo plures personas realiter distinctas in Trinitate.

3. — Relationis divisio. — At, praeter quam quod secundum suam speciem relatio sibi proprium vindicat *esse ad*, hoc quoque specialissimum habet, quod in aliquibus suarum subiectivarum partium, seu individuis in quibus invenitur, possit esse realiter, in aliis vero secundum rationem tantum; nempe respectus ille potest esse et in ipsa rerum natura, et in apprehensione rationis tantum conferentis unum alteri, dum alia genera, ut quantitas et qualitas, secundum propriam rationem, significat aliquid alicui inhaerens. Cum igitur ea quae dicuntur *ad aliquid*, significent secundum propriam rationem solum respectum ad aliud, si iste quidem respectus sit in ipsa rerum natura, utpote quando aliquae res, secundum suam naturam, ad invicem ordinatae sunt et ad invicem inclinationem habent, tunc habentur relationes reales, sicut in corpore gravi est inclinatio et ordo ad locum medium, unde respectus quidem est in ipso gravi respectu loci medii, et similiter est de aliis huiusmodi. Si vero respectus significatus per ea quae dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri, tunc est relatio rationis tantum, sicut cum ratio comparat hominem animali, ut speciem ad genus, aut Petrum ad semetipsum, ut idem ad id quod est idem simpliciter.

Haec autem relatio rationis potest esse aut simplex, quando nempe in utroque extremorum est rationis tantum, ut in exemplis allatis, aut mixta, quando scilicet in uno extremorum est rationis, in altero vero est realis, qualis est relatio quae est inter scientiam et scibile. At haec relatio hic a S. Thoma consulto omittitur; cum enim de relationibus realibus in Deo hic quaeratur, satis est tradere generalem distinctionem inter relationem realem et relationem rationis.

4. — Relatio rationis est vera relatio sicut relatio realis. — Igitur, inveniuntur quidem in caeteris praedicamentis

prima et secunda intentio, verbi gratia, Achilles in re et Achilles in mente, magnitudo in re et magnitudo in mente, etc., sed huiusmodi non se habent tanquam partes subiectivae substantiae aut quantitatis; nam substantia non dividitur in substantiam quae est in re et substantiam quae est in mente, quantitas in quantitatem in re et quantitatem in mente, etc., tanquam in quidditates ultimo diversas aut partes subiectivas, sed solum tanquam in diversos modos essendi, scilicet, simpliciter et secundum quid: nec homo in mente est verus homo, aut quantitas in mente verum accidens substantiae mensurativum. At relatio, quae rationis tantum est, non minus vera relatio est ac quae realis est, dividens relationem in quidditatem ultimo diversam, et non solum faciens modum essendi diversum; ita quod tam vera sit, licet non realis, relatio quam mens efformat Petri ad semetipsum, quam relatio quam mens adinvenit realiter existentem patris ad filium. Utrobique enim vera relatio est, cum ratio relationis possit abstrahi ut quid superius et ab ente rationis et ab ente reali, trahenda ad propriam speciem per differentiam ultimo diversam: et cum esse ad alterum ratione tenus tantum non sit conditio diminuens, ideo relatio vere ac proprie permittitur esse utrumque, scilicet et rationis et realis.

Cum omnia alia genera, in quantum huiusmodi, ait S. Thomas [1], *aliquid ponant in rerum natura, quantitas enim, ex hoc ipso quod quantitas est, aliquid dicit, sola relatio non habet ex hoc quod est huiusmodi, quod aliquid ponat in rerum natura, quia non praedicat aliquid, sed ad aliquid. Unde quaedam inveniantur relationes, quae nihil in rerum natura ponant, sed in ratione tantum.*

5. – PROP. — **Relationes quaedam sunt in divinis realiter.**

6. — **De fide est dari relationes in divinis.** — Licet non inveniantur formaliter in divinis Litteris textus de relationibus loquentes, nec fuerit unquam earum existentia expressis et conceptis verbis ab Ecclesia definita, tamen cum Sacra

[1] Quaest. I, DE VERIT., art. 5, ad 15[m].

Scriptura expresse loquatur de processionibus divinis, has autem immediate sequantur relationes; aliunde cum plura concilia, praesertim Lateranense IV et Florentinum, eas in suis definitionibus supponant, ideo res ista potest dici *ad fidem* pertinere equivalenter et mediate: nam existentia relationum divinarum non est nisi explicitior traditio dogmatis fidei circa existentiam et distinctionem divinarum personarum.

7. — Concilia. — Revera, nisi ponantur in Deo realiter relationes paternitatis et filiationis, nec est, nec dicitur realiter Pater aut Filius, uti nos docet Sacra Scriptura, sed tantum secundum intelligentiae rationem: quandoquidem Pater non dicitur nisi a paternitate, et Filius a filiatione. Sed de fide nobis confitendum est quod *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti* [1]: et in Concilio Lateranensi IV [2] definitum est: *Haec sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates est discreta.* Pariter, in Concilio Florentino [3], qui Latinorum partes agebat, ait: *Sola relatio apud omnes tam graecos quam latinos scriptores, divina processione personas multiplicat..., ita ut non alia ratione quam vi relationis, Pater a Filio, ac una persona ab alia differant.* Unde celebris est ista huiusmet Concilii ex Anselmo sententia: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et in Concilio Toletano XI [4]: *In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur.*

8. — Patres. — Ex *Patribus* sat erit sequentes adduxisse. S. Fulgentius ait [5]: *Pater et Filius relativa sunt nomina, quae naturam gignentis genitique non separant, sed unam sine dubitatione significant. Relativum vero illud dicitur quod ad aliud agnoscendum referimus, ut dum unum nominavimus, alium demonstremus.* Pariter S. Severinus Boëtius haec habet [6]: *Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis, sed servata est substantiae unitas, in eo quod*

[1] Symb. Athan. — [2] Can. I. — [3] Sess. XVIII. — [4] In professione fidei. — [5] L. Resp. adv. Arian. — [6] L. de Trin.

est indifferentia substantiae vel operationis, vel eius omnino, quae secundum se dicitur praedicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Demum S. Isidorus Hispalensis ait [1]: *In relatione personarum Trinitas est; in substantia vero naturae unus Deus est, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

9. — **Ratio theologica**. — Quandocumque procedens et id a quo procedit in eodem ordine conveniunt, oportet quod habeant reales respectus ad invicem. Atqui in divinis procedens et id a quo procedit in eodem ordine conveniunt. Ergo habent reales respectus ad invicem.

10. — **Explicatur argumentum**. — Uti patet, tota vis huius argumenti repetenda est ex praecedenti quaestione, ex qua duo sunt deducta, quae in minori hic assumuntur: scilicet dari processiones in divinis, id est, ad intra, seu in ipsa divina natura, et processiones huiusmodi esse in similitudinem, imo in identitatem naturae; proindeque in eodem ordine convenire et productum et producens, quia productum procedit a principio quod non est alterius naturae ab ipsa producti natura.

Maior est paulo diffusius explicanda. Cum relatio sequatur ad quantitatem et ad actionem et passionem, hic non consideratur nisi secundo modo, processio enim ad actionem aliquam sequitur, et in divinis non est quantitas, ut patet [2]. In hisce autem relationibus, non est semper mutuus ordo realis ex utraque parte. Revera, cum patiens vel motum vel effectus perficiatur ab agente vel movente, oportet ut dicat ordinem realem ad illum, ut ad suum perfectivum, a

[1] DE DIFFER., diff. 2. — [2] *Sunt autem quaedam relationes*, ait S. Thomas (Supplem., Quaest. LV, art. 2), *quae habent pro causa actionem vel passionem aut motum; quarum quaedam causantur ex motu, in quantum aliquid movetur actu, sicut ipsa relatio quae est moventis et moti; quaedam autem, in quantum habent aptitudinem ad motum, sicut motivum et mobile, vel dominus et servus; quaedam autem ex hoc quod aliquid prius motum est, sicut pater et filius: non enim ex hoc quod est generare tunc, ad invicem dicuntur, sed ex hoc quod est generatum esse.*

quo dependet. Rursus, quando agens perfectionem assequitur suo actu vel effectu, oportet pariter ut ipsum dicat realem ordinem ad actum vel ad effectum, quasi ab ipso quodammodo dependeat in sui perfectione; quod locum habet quando, verbi gratia, agens actu suo transit de potentia ad actum, vel pater generat filium ad conservationem speciei: quibus in casibus, procedens et id a quo procedit in eodem ordine conveniunt. Sed quando duo ita se habent, ut unum quidem ab alio dependeat tanquam a sui perfectivo, non autem vice versa, tunc res in eodem ordine non sunt, nec datur mutua relatio realis; sed in uno tantum est relatio realis, in altero vero relatio rationis. Exempla sunt: scibile ad scientiam, sensibile ad sensum, homo ad imaginem suam, nummus ad pretium, columna ad animal. — *Ad min.* Porro, prioris generis est relatio in divinis, quia processiones sunt in eadem natura.

11. — **Tacita obiectio.** — Obiicienti, ex hoc sequi, esse aliquam dependentiam inter divinas personas, — *respondetur* quod licet possit aliquo modo hoc admitti, quia et S. Basilius [1] dicit quod *Spiritus a Filio dependet*, et idem repetit qui in Concilio Florentino Latinorum partes agebat [2], tamen locutio ista non est extendenda, cum ea proprie dicantur dependere ab aliis, quae habent esse diversum: trium autem divinarum personarum est unum et idem esse.

12. — **Quomodo solvit Suarez difficultatem sumptam ex hoc quod videretur Pater perfici sua ad Filium relatione.** — Ex praecedendi doctrina sequi quoque videretur quod Pater perficitur relatione sua ad Filium, et vice versa; et consequenter quod relatio paternitatis in Patre et filiationis in Filio sit perfectio, quod videtur implicare; quia tunc Pater haberet aliquam perfectionem quam Filius non habet, et vice versa.

Huic difficultati *respondet* Suarez [3], dicendo relationes personales in Deo, qua ratione ab essentia divina intelliguntur distinctae, esse quidem perfectiones, sed non simpliciter sim-

[1] Ep. XLIII. — [2] Sess. ult. — [3] De SS.mo Trinitatis mysterio, L. III, c. X, n. 7.

plices, et propterea non sequi inconveniens adductum. – Quod relationes reales sint perfectiones, ex hoc ostendit, quod sunt id α) quo communicatur divina natura, et β) quo constituuntur hypostases: ergo perfectiones sunt. Unde, quantum ad primum, ait S. Doctor [1]: *Non esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio Verbi et Amoris*: quantum vero ad secundum, ait [2]: *Proprietas distinguens ad dignitatem pertinet*; et [3]: *Non posset esse Pater perfectus, nisi Filium haberet, quia nec Pater sine Filio esset; nec esset Deus perfectus, nisi haberet Verbum.* — Attamen, addit eximius theologus, istae non sunt perfectiones simpliciter simplices, quia licet limitationem adiunctam non habeant, tamen non meliores sunt ipsae quam non ipsae in quocumque individuo deitatis, sed tantummodo in hoc individuo determinato; puta paternitas, quae est in Patre perfectio, in Filio non esset perfectio; unde propter oppositionem quam filiatio dicit ad paternitatem, una alteram secum non compatitur. Et propter hanc rationem non sequitur inconveniens indicatum, nempe in Patre esse aliquam perfectionem quae desit in Filio, quia relationes formaliter oppositae sunt; ideoque promiscue de divinis personis praedicari non permittuntur, sed tantummodo de personis quas constituunt; nec quantum ad relationes attenditur simpliciter perfectio uniuscuiusque personae, licet nihil Filio desit quod est in Patre, iuxta illud [4]: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*; et rursus [5]: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* — Quocirca, *instanti*: Haec paternitas non est in Filio; sed haec paternitas est aliqua perfectio; ergo aliqua perfectio non est in Filio; *respondendum* ait Suarez, ibi esse sophisma quo mutatur ad aliquid in quid: nam, in minori, perfectio relative sumitur, prouti afficit solam personam Patris, in conclusione vero absolute accipitur.

13. — Doctrina S. Thomae. – At, si quis rem profundius consideret, facile deprehendet, in conceptu relationis, *esse ad* formaliter abstrahere a perfectione vel imperfectione,

[1] Quaest. XI, DE POT., art. 5, ad 23^m. — [2] 1, Quaest. XL, art. 3, ad 1^m. — [3] Opusc. 1, CONTRA ERRORES GRAEC., c. 7. — [4] Io., XVI. 10. Ibid., XVII. 10

prout acute advertit S. Thomas, qui haec etiam sapienter scribit [1]: *Nec tamen sequitur quod quamvis paternitatem Filius non habeat quam Pater habet, aliquid habeat Pater quod non habet Filius: nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subiecto, sicut in creaturis. Unde cum id quod est absolutum, communiter sit in Patre et Filio, non distinguuntur secundum aliquid, sed secundum ad aliquid tantum; unde non potest dici quod aliquid habet Pater quod non habet Filius: sed quod aliquid secundum unum convenit Patri et secundum alium aliquid Filio.* — Et rursus [2]: *In omnibus oppositionibus alterum est ut perfectum, alterum ut imperfectum, praeter relationem; quod patet per se in affirmatione et negatione et privatione et habitu. Patet etiam in contrarietate. . In relativis autem neutrum est sicut privatio alterius, vel defectum aliquem importans. Cuius ratio est quia in relativis non est oppositio secundum id quod relativum in aliquo est: sed secundum id quod ad aliud dicitur. Unde quamvis una relatio habeat annexum negationem alterius relationis in eodem supposito non tamen ista negatio importat aliquem defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid quod in aliquo natum est esse: unde cum id quod habet oppositionem relativam ad ipsum, secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio vel defectus: et ideo sola talis oppositio competit distinctioni personarum*

14. Difficultates. — I. Ad relationem realem requiruntur duo relativa inter se realiter discreta, et realis ordo cum quadam extremorum oppositione. Atqui in divinis paternitas et filiatio non supponunt extrema realiter non distincta, cum Pater et Filius non constituantur et non distinguantur nisi per illas relationes. Ergo non sunt in divinis relationes reales.

Respondet S. Doctor [3] differentiam inter relationes quae

[1] 1, Quaest. XL, art. 2, ad 3[m]. — [2] De Pot., Quaest. II, art. 5, c. 10 — [3] Quaest. X, de Pot., art. 3, ad 4[m].

reperiuntur in creaturis, et relationes quae sunt in Deo, in hoc consistere, quod illae sunt accidentia, ideoque supponunt subiectum cui inhaereant; istae vero, cum sint substantiae, non supponunt subiecta quibus inhaerant: sed per se subsistunt et per se distinguuntur, secum adferentes extremorum distinctionem, quae per eas tanquam per proprias rationes constituuntur et distinguuntur.

II. Relatio eius quod est idem ad id quod est idem, est relatio rationis tantum: omnis enim relatio exigit duo extrema realiter. Sed talis est relatio in divinis; ait enim Boëtius [1]: *Similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum Sanctum, ut eius quod est idem ad id quod est idem.* Ergo relationes in divinis non sunt reales sed tantummodo rationis.

Resp. Dist. mai.: relatio eius quod est idem ad id quod est idem *simpliciter*, est rationis tantum, *conc.:* ad id quod est idem in natura generis aut speciei, non autem *in numero, nego. Dist. min. in eodem sensu. Nego conseq. et conseq.* — Aliqui duo possunt esse idem in natura generis aut speciei, qui tamen distincti sint numerice; et iterum possunt habere identicam naturam, et tamen esse distincti secundum supposita; unde, cum non sint idem simpliciter, hinc non est inter eos relatio rationis tantum, sed realis. Esset autem relatio rationis tantum, si isti duo essent idem etiam secundum suppositum; atqui Pater et Filius non sunt idem secundum suppositum: unde relationes quae sunt in divinis nequeunt assimilari relationi identitatis, nisi quantum ad hoc quod per huiusmodi relationes, non diversificatur substantia divina [2].

III. Relationes quae consequuntur operationem intellectus sunt rationis tantum. Sed paternitas et filiatio, quae dicuntur secundum generationem verbi intelligibilis a dicente, consequuntur operationem intellectus. Ergo sunt relationes rationis tantum.

Resp. Dist. mai. Relationes quae consequuntur solam operationem intellectus in rebus ipsis intellectis, *conc.*, quae consequuntur operationem intellectus, quae sunt inter ver-

[1] L. DE TRIN., c. 6. — [2] Ad 3m.

bum intellectualiter procedens et id a quo procedit, *nego. Dist. min. Nego. conseq. et conseq.* — Relationum quae consequuntur operationem intellectus, aliae consequuntur operationem intellectus in rebus intellectis, sicut in homine consequitur relatio subiecti et praedicati ex operatione intellectus componentis, cum dicit: *Homo est albus*; huiusmodi enim relationes ratio adinvenit inter duas res intellectas. Aliae vero sunt quae consequuntur operationem intellectus, non in rebus ipsis intellectis, sed in ipso intellectu: intellectus enim ex eo quod intelligit, format verbum, quod comparatur realiter ad intellectum, qui et ipse, cum sit res quaedam, comparatur realiter ad id quod ab eo procedit intelligibiliter, sicut res corporalis ad id quod ab ea corporaliter procedit [1].

15. — **Scholia.** — I. Cum sanctus Thomas aliquando dicat personas distingui relationibus, aliquando origine, aliquando, utroque copulato, relationibus originis, advertendum est eum idem re dicere, sed distinctionem esse in modo dicendi. Origo enim significatur per modum *actus* et sic non est aliud realiter nisi processio; quo sensu generatio est origo, sicut etiam Spiritus Sancti processio. Relatio vero dicitur per modum *formae*, nam paternitas est relatio. Quia vero persona constituitur formaliter per formam suam, prius et principaliter et formaliter constituitur per ralationem, secundario vero et realiter, per actum, id est per originem. Unde si utrumque copuletur, dici poterit personas distingui per relationes originis, quae etiam relationes personas constituunt. Sic ad rem Card. Bessarion [2]: *Cum relatio et origo, etsi secundum modum intelligendi differant, siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio, relatio vero per modum formae, ut paternitas, re tamen non differunt, ideo utroque quidem modo distinguuntur divinae personae, prius tamen et principaliter, secundum modum intelligendi, per relationes, per quas etiam constituuntur divinae personae* [3].

II. Cum tota argumenti vis ad probandam in divinis

[1] Ad 4[m]. — [2] In Concil. Florentino, Harduin., t. IX, p. 347. — [3] De hac re tamen agetur infra ex professo Quaest. XL, art. 2.

existentiam relationum realium ex eo desumatur, quod processiones sunt in identitate naturae, si quis sustinere velit, ut faciunt emanatistae, Deum creaturas ex necessitate suae naturae produxisse, et non per intellectum et voluntatem. iam admittere debebit realem in Deo relationem ad creaturas, realem quoque Dei a creaturis dependentiam, realem denique rationem perfectibilitatis [1]. Quod sane inconveniens incurritur a Rosminio, dum dicit [2]: *Amor quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit quae in ente perfectissimo semper inducit effectum: huiusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem.*

Articulus II. — *Utrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia.*

1. — Ratio articuli. — Absoluta quaestione de existentia realium relationum in divinis, succedit comparatio duplex facienda, scilicet, tum relationum ad divinam Essentiam, tum relationum inter se, ut sciatur de identitate aut de differentia, quae intercedit, primo, inter relationes et divinam Essentiam, et secundo, inter ipsasmet relationes: in qua duplici quaestione, *aenigmatis sacratissimi*, quo nomine Trinitatis mysterium vocat Nyssenus, nodus consistit, cuius plena intelligentia apertae visioni in patria reservatur. — Et quantum ad primum, utrinque difficultates exurgunt; si enim dicatur relationem idem esse ac essentiam, iam, quia relationibus constituuntur personae, non apparet quomodo salvari possit realis personarum pluralitas. Si vero differre praedicentur, non intelligitur quomodo Pater et Filius et Spiritus Sanctus Deus sint in eadem indivisa natura.

2. — Advertendum. — Ubi recolendum venit quod dictum est supra, nempe in quolibet novem generum accidentium duo consideranda esse: quorum primum est omnibus commune, et hoc est inesse subiecto, accidentis enim esse est inesse; alterum vero est propria uniuscuiusque generis ratio,

[1] Ad 3[m]. — [2] Prop., XVIII.

quae in aliis generibus a relatione, verbi gratia, in quantitate, qualitate, etc., accipitur secundum comparationem ad subiectum; quantitas enim dicitur mensura substantiae, qualitas vero dispositio substantiae; relationis autem propria ratio non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra.

3. — Errores. — Igitur ad praesentem quaestionem solvendam, imprimis seponenda est, tanquam minus probabilis, opinio 1) de distinctione *actuali formali a natura rei*, quam inter attributa, sive absoluta sive respectiva, et divinam ipsam essentiam, invexit Doctor subtilis, et de qua alibi [1] sermo recurrit. Seponenda pariter est, tanquam simpliciter reprobanda, opinio 2) *Nominalium*, ne rationis quidem distinctionem inter attributa et divinam essentiam admittentium, sed solam materialis vocis distinctionem. Quapropter, hic proprie examinanda proponitur sententia 3) *Gilberti Porretani*, Episcopi Pictaviensis, quem hac in re secutus est celeber Abbas Ioachim.

Hic auctor igitur, ea quae connectenda sunt distinguens, unitaque dissocians, sicut docuerat, naturam divinam, attributaque divina realiter distinguenda esse a Deo, ita etiam posuit relationes in divinis non esse ipsam divinam substantiam, sed esse ipsi adsistentes et extrinsecus adfixas. Et illud quidem alibi [2] confutatum est, ubi adserta est realis identitas inter Deum, deitatem, bonitatem, aeternitatem, et cetera attributa quae absoluta dicuntur. Igitur, quemadmodum asserebat Deum non esse deitatem, ita etiam negabat paternitatem esse Deum; sed relationes huiusmodi volebat esse ab essentia realiter distinctas, tanquam aliquid ipsi adfixum extrinsecus. Contra quem sit

4. — PROP. — Relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, et differt secundum rationem.

5. — Auctoritas. - Haec propositio *de fide* omnino est tenenda. Cum enim doctrina Gilberti in Concilio Rhemensi [3] a S. Bernardo denunciata fuisset, ab Eugenio III in eodem con-

[1] Tr. de Deo uno, Quaest., III, art. 6. — [2] Ibid., art. 3. — [3] A. D. 1148

cilio damnata est, decernente *nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quae sint ab aeterno et non sint Deus* : unde suum errorem in eodem concilio Gilbertus reprobavit. Ulterius patet haec veritas ex hoc Innocentii III dicto [1]: *In Deo Trinitas est solum, non Quaternitas.* Atqui, si relationes divinae non essent re ipsamet essentia divina, haberentur quatuor realiter subsistentes, seu quaternitas. In liturgia quoque hoc praedicamus, in qua statuitur, *ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas.* Atqui, si proprietas, quae est ipsamet relatio, Deus non esset, profecto esset mera creatura, proindeque minime adoranda adoratione latriae.

6. — Patres hanc veritatem uno ore profitentur, in quorum persona sic loquitur S. Augustinus [2]: *Non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Neque in hac Trinitate, cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris.* Et S. Bernardus [3]: *Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam et summam maiestatem, fides catholica confitetur.*

7. — Suadetur haec veritas. — I. Secundum communiter receptum axioma, *in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui inter relationes et essentiam divinam non obviat relationis oppositio. — II. Si relationes non sint ipsa divina essentia, cum in qualibet persona sit et divina essentia qua Deus est, et relatio qua formaliter constituitur, sequetur quod quaelibet persona esset composita ex essentia et relatione. — III. Demum hoc in casu, potentia esset admittenda in Deo, sive in essentia relate ad relationes, sive in relationibus relate ad essentiam, quod aeque repugnat. Ergo relatio in Deo realiter idem est ac essentia.

8. — Propria ratio huius rei repetenda est ex ipsa relationis indole. Dictum est relationem debere accipi et secundum quod est accidens, et secundum quod est tale accidens.

[1] Conc. Lat. IV. — [2] L. VII, DE TRIN., c. 6. — [3] L. V, DE CONSID.

Si igitur relatio consideretur secundum quod est accidens, sic in creaturis est inhaerens subiecto et habet esse accidentale in ipso. At, quidquid habet esse accidentale in creaturis, secundum quod transfertur in Deum, esse substantiale accipit; quidquid enim est in Deo, est ipsa eius essentia, cum nihil in Deo sit ut accidens in subiecto. Unde relatio, ex qua parte in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, cum in Deum transfertur, habet esse divinae Essentiae idem omnino ei existens.

Sed si relatio sumatur secundum quod est *tale* accidens, id est secundum quod de ratione eius est ut dicat respectum ad alterum, id est ad oppositum, sic in creaturis invenitur esse adsistens, non intrinsecus affixa, quasi significans respectum quodammodo contingentem rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Et sic, secundum quod transfertur in Deum, differt secundum intelligentiae rationem a divina essentia, in quantum in eo quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum: importatur enim in relatione respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae: quapropter, relatio in divinis idem est re ac essentia, at differt secundum rationem.

9. — **Confirmatur.** — I. Quod relatio in divinis sit *idem re* ac essentia, ulterius apparet ex differentia quae est inter relationem in Deo et relationem quae est in creaturis. Siquidem in creaturis id quod continetur sub significatione nominis relitivi, seu ens relativum, alia res est ab ipsa substantia rei ipsius, vel ab ente absoluto; alii verbis, relatio aliud est et a fundamento et ab ipsa substantia, sicut in eo quod dico *rex*, aliud est relatio regalis maiestatis ad subditos, aliud actio regendi, aliud demum homo qui regit, seu, ut ait S. Augustinus [1], *omnis res, quae relativa dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo, sicut homo dominus et homo servus*; et hoc ideo, quia aliud est subiectum, aliud vero accidens. In divinis autem non est aliud id quod significatur nomine relationis, a fundamento eius et ab ipsa sub-

[1] L. VII, de Trin., c. 1.

stantia rei, seu absolutum et relativum idem sunt. Impossibile enim est aliquid esse in Deo aut dici de ipso, quod non sit identicum omnino cum eo in quo est aut de quo dicitur, quia divina simplicitas non secumpatitur ullam a parte rei divisionem, ullumve reale discrimen, sed omnia includuntur in uno esse actualitatis divinae essentiae [1].

II. Quod vero relatio in divinis debeat *distingui ratione* a substantia, ex hoc confirmatur, quod ratio relationis est alia a ratione substantiae, et modum habet praedicationis diversum a modo praedicationis substantiae. Revera, quod praedicatur per modum substantiae, praedicatur ut absolute existens in eo de quo dicitur; quod vero praedicatur per modum relationis, praedicatur ut ad alterum se habens; unde dici solet quod ex decem praedicamentis duo tantum sunt in divinis, scilicet substantia et relatio; quia quidquid dicitur de Deo, vel importat habitudinem ad id de quo dicitur, et habetur substantia et cetera praedicamenta praeter relationem, vel importat habitudinem ad aliud, et habetru relatio; quod significatur illo S. Augustini [2]: *Non omne quod dicitur in Deo dicitur secundum substantiam: dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium; sed haec non secundum substantiam dicuntur* [3].

10. — **Scholion.** Utrumque autem horum, scilicet et quod esse divinae substantiae est ipsum esse relationis, et quod ratio substantiae non est ipsa ratio relationis, idem S. Augustinus complectitur, dicens [4]: *Idem est quo Pater est Deus, et quo est; non autem eo Pater, quo Deus.* Idipsum quoque replicat S. Thomas his verbis [5]: *Licet ad aliquid non significetur ut inhaerens, tamen oportet ut sit inhaerens, et hoc quando relatio est res aliqua; quando vero est secundum rationem tantum, tunc non est inhaerens. Et sicut in rebus creatis oportet quod sit accidens, ita oportet quod sit in Deo substantia; quia quidquid est in Deo, est eius substantia. Oportet ergo rationes secundum rem esse divinam substantiam: quae tamen non habent modum substantiae, sed habent alium modum praedicandi ab his quae substantialiter praedicantur in Deo.*

[1] Ad 2[m]. — [2] L. V, DE TRIN., c. 5. — [3] Ad 1[m]. — [4] L. VII, DE TRIN., c. 4. — [5] Quaest. VIII, DE POT., art. 2.

11. — **Radix erroris Gilberti.** — Ex hoc patet undenam ortus sit error Gilberti. Ille siquidem duorum quae sunt in relatione, primum praetermisit, aut perperam intellexit, ad alterum tantummodo suam convertens considerationem. Et ita, cum non attenderet ad relationem secundum quod est accidens, quo modo habet esse inhaerens subiecto, ut transfertur autem in Deum, aliud esse nequit nisi eius substantia, solum illam consideravit secundum quod importat respectum ad alterum, quem respectum, quam habitudinem, per nomen relativum significatam, in divinis extrinsecus esse affixam dixit ipsi divinae substantiae, non advertens quod in eo quod dicitur ad aliquid, non significatur aliqua habitudo ad substantiam, sed magis ad oppositum ipsum relativum.

12. — **Advertenda circa nomen relatio.** — Ad pleniorem huius rei intelligentiam, advertendum est quod hoc nomen *relatio* applicatum divinis, plus continet quam significat, sicut hoc nomen *sapientia* in Deo plus continet quam significat: significat enim aliquid ut non subsistens, continet autem aliquid quod est maxime subsistens; et similiter relatio penes nos, non est aliquid subsistens, ut autem ponitur in divinis est aliquid subsistens. Et sic cum creaturis applicatur, non continetur nisi sola relatio; cum autem Deo tribuitur, non ipsa relatio sola continetur, sed etiam cum ipsa quidquid in genere perfectionis comprehendi potest; perfectio enim divinae essentiae maior est, quam ut significatione alicuius nominis possit comprehendi [1].

Quod ideo est, quia hoc nomen, sicut cetera nomina quae communiter de Deo dicuntur et de creaturis, non pure aequivoce nec univoce sumitur, sed analogice, id est secundum rationem partim eamdem, partim diversam. Nam, applicatum creaturis, nomen *relatio* significat rem, seu formam aliquam, quae non est ipsamet substantia; in ipsis enim ratio formalis relationis non est ipsamet ratio formalis actionis aut substantiae. In divinis autem relatio est ipsamet divina substantia, et ratio formalis ab hoc nomine significata est ipsamet ratio formalis deitatis, sapientiae, etc., ita

[1] Ad 3[m].

quod, cum relatio in creaturis sit ipsa et non alia, in Deo est ipsa et alia, est enim una superior res, quae eminenter est ista omnia. Quocirca ableganda est, tanquam divinae simplicitatis offensiva, sententia Suarezii, ponentis divinas relationes gaudere existentiis relativis, inter se, et ab essentiae existentia virtualiter, id est, ratione distinctis: nam esse Dei est ultima ratio formalis constitutiva omnium quae Deus sunt, aut quae sunt in Deo quocumque modo [1].

13. — Corollarium. — Ex hisce sequitur quod licet relationes divinae sint de essentia deitatis, cum *ipsa perfectio divini esse*, ut ait Caietanus [2], *si secundum se, ut sic liceat loqui, definiretur, haec omnia in se concluderet*, tamen si divina essentia iuxta nostrum concipiendi modum intelligatur, prior est relationibus, easque essentialiter non includit, ita quod *potest intellectus noster intelligere bonitatem et sapientiam divinam et alia huiusmodi quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates* [3].

Quaproptor relationes expressius distinguuntur ab essentia divina quam attributa absoluta, cum de relationis ratione sit formaliter dicere ordinem ad aliud; absoluta vero attributa quodammodo intelliguntur modificare et complere ipsammet divinam essentiam, cui tamen realiter identificantur, propter summam Dei simplicitatem.

Articulus III. — *Utrum relationes quae sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur.*

1. — Ratio articuli. — Comperto quomodo relationes in divinis se habeant ad Dei essentiam, sequitur ut determinetur quomodo ipsaemet ad invicem se habeant. Ubi tamen non tam investigare intendimus de uniuscuiusque relationis natura et munere relate ad alteram, quam de reali discrimine aut de reali identitate earumdem. Nec promiscue de

[1] Cf. Caiet. — [2] In 1, Quaest. XXVII, art. 2, ad 3[um]. — [3] 3, Quaest. III, art. 3.

omnibus relationibus in Deo quaeritur, sed tantum de relationibus oppositis, quales sunt, verbi gratia, paternitas, et filiatio.

Potissima autem dubitandi ratio ex hoc sumitur quod quae sunt uni et eidem eadem, sibi invicem eadem esse debent; paternitas autem et filiatio sunt ipsamet divina natura, unde eadem res esse viderentur. Et si dicatur quod idem sunt paternitas et filiatio cum essentia, sed diversificantur ratione, idecque inter se realiter distinguuntur, idem quoque de ceteris attributis, quae absoluta sunt, videretur dicendum, verbi gratia, de potentia et sapientia, quae idem sunt cum substantia, sed ratione diversificantur: unde ea quoque inter se realiter distincta esse deberent, quod tamen non admittitur.

2. — PROP. — Relationes in divinis realiter ab invicem distinguuntur, non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia, sed secundum rem relativam.

3. — Auctoritates. — Proposito ista, non minus quam praecedentes huius quaestionis propositiones, *ad fidem* aequivalenter pertinet: cum, sine reali relationum distinctione ab invicem, non possit salvari divinarum personarum distinctio, sed Sabellii error incurratur. Unde in Concilio Florentino dicitur [1]: *Sola relatio apud omnes, tam Graecos quam Latinos doctores, divina processione personas multiplicat*; antea in Concilio Lateranensi IV dictum fuerat [2]: *Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates est discreta*: et in Concilio Toletano XI legitur [3]: *In relatione personarum numerus cernitur*. Huc quoque redit Boëtii celebre dictum, quod substantia in divinis continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem. Atqui si relationes non distinguuntur ab invicem realiter, non erit in divinis Trinitas realis, sed rationis tantum. Ergo relationes oppositae in divinis realiter distinguuntur ab invicem.

4. — Prob. ratione theol. Quandocumque aliquid alicui tribuitur, tribui ei etiam oportet ea omnia quae sunt de

[1] Sess. XVIII. — [2] Cap. FIRMITER, DE SUM. TRIN. ET FIDE CATHOL. — [3] In professione fidei.

ratione illius; verbi gratia, si alicui attribuatur *homo*, ea quoque omnia illi debent attribui quae de ratione humanitatis sunt; verbi gratia, esse rationale et esse risibile. Atqui Deo attribuuntur relationes reales. Ergo ei etiam attribui debent ea omnia quae de ratione harum relationum sunt, scilicet distinctio realis.

5. — Explicatur. — *Minor* fluit ex dictis articulo primo. — *Maior* est evidens, nisi quis velit excipere quod aliqua Deo attribuuntur, verbi gratia, sapientia, quin tamen ea omnia ei attribuantur quae sunt de ratione eius, ut puta, esse accidens, etc., — Ad quod *respondetur* quod effatum debet intelligi de iis quae sunt de ratione rei secundum speciem, seu formaliter, non autem de iis quae sunt de ratione rei secundum genus, seu materialiter: siquidem, id quod formaliter significatur per nomen *sapientia* attribuitur Deo, puta esse ordinativum, et ea omnia quae ad hoc requiruntur secundum transcendentalem rationem, puta esse ens, unum, etc.; id vero quod significatur per hoc nomen, in quantum sapientia dicit modum creaturarum, puta esse accidens et non rem subsistentem, non attribuitur Deo, cuius esse est superius eminenter τῷ esse cuiuscumque rei creatae.

Porro, de ratione formali relationis realis est respectus realis unius ad alterum. Respectus vero unius ad alterum secumfert oppositionem realem, non quidem contradictionis aut contrarietatis, sed relativam. Haec autem oppositio relativa realis non potest salvari absque terminorum reali distinctione. Igitur in Deo, cum sit relatio realis, est etiam realis oppositio relativa et realis terminorum distinctio. Atqui haec realis distinctio non potest esse secundum rem absolutam, nam in divina essentia summa est unitas, summa simplicitas; restat ergo ut sit secundum rem relativam, seu secundum relationes reales. Et sic relationes in divinis realiter distinguuntur, non secundum rem absolutam, sed secundum rem relativam; unde, cum unitate divinae naturae pluralitas relationum servatur, quasi ex eodem luminis fonte, et quidem intra idem lumen, tres eiusdem naturae radii distinctim emergentes.

6. **Sensus huius axiomatis: Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.** Cum ex hoc axiomate desumatur ab Unitariis tum antiquis, tum modernis, potissima contra Trinitatis mysterium difficultas, praestat paulisper genuinum illius sensum enodare.

Quae uni tertio eadem sunt, sibi invicem eadem non sunt, nisi illi tertio et re et ratione sint eadem, sicut tunica et indumentum. Sic, tum actio, tum passio idem sunt motui; attamen quia ratione distinguuntur, hinc non sequitur quod actio et passio idem sint: in actione enim importatur respectus ut *a quo* est motus in mobili, in passione vero ut *qui* est ab alio. Porro, paternitas et filiatio sunt quidem idem secundum rem cum divina essentia, attamen, quia in suis propriis rationibus important oppositos respectus, ideo distinguuntur ab invicem: unde valet illud axioma in illis tantum quae sun idem re et ratione [1].

Itaque, ut valeat recitatum axioma, scilicet, *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, necesse est ut duo sint eadem tertio et re et ratione, non necessario ratione ratiocinante, ut videretur inducere exemplum S. Thomae de veste et indumento, hoc enim inducitur ad maiorem claritudinem: sed sufficit ut eadem sint ratione ratiocinata; ita quod ex sola identitate reali duorum cum tertio non possit concludi ea inter se esse eadem, nisi habeatur identitas etiam rationis saltem ratiocinatae.

Ubi etiam debet quis cavere quominus expectet talem identitatem extremorum inter se, qualis est eorumdem in tertio. Nam axioma illud sibi vult quod quidquid dicitur de praedicato, dicatur de subiecto illius praedicati; et sic quod quando dico: *Homo est animal*, quia de animali dico quod est vivens, sequatur quod homo sit vivens, licet in duabus prioribus propositionibus identitas sit immediata, in tertia vero solum mediata. Et quia enunciatum axioma aequivalet principio syllogistico: *Dictum de omni*, quod habet locum quando, ut ait Philosophus [2], *nihil sumere subiecti est de quo alterum non dicatur*, seu quidquid dicitur de aliquo universaliter sumpto, dicitur de omni contento sub illo, argumen-

[1] Ad 1um. [2] L. I Priorum Anal., c. 1.

tum sic in forma propositum: *Deus est paternitas, filiatio est Deus, ergo filiatio est paternitas,* evidenter peccat quia medius terminus *Deus* non perfecte distribuitur. Nam, ut valeret, esset necesse ut sic exponeretur: omnis et tota ea res quae est Deus, seu essentia divina, est paternitas, quod falsum est, cum filiatio sit aliqua res quae est Deus, et tamen non est paternitas [1].

7. — **Scholion.** — Nec est eadem ratio potentiae et bonitatis, aliorumque attributorum quae absoluta sunt, et relationis realis: licet enim inter substantiam et attributa, sive absoluta, sive relativa, distinctio rationis ratiocinatae habeatur, tamen illa attributa tum ex ratione generis, tum ex ratione speciei dicunt ordinem ad substantiam; relatio vero ex conceptu *in*, identitatem cum substantia, ex conceptu vero *ad*, oppositionem ad suum correlativum dicit [2].

Quocirca, post cogitationum verborumque circuitus, huc iugiter mens nostra redire cogitur, nempe ut unitatem relationum in substantia propter divinam simplicitatem, realem vero relationum inter se distinctionem propter realem habitudinem quam importat relatio, asserat. *Sicut sapientia divina,* ait Angelicus [3], *realiter facit effectum sapientiae propter veritatem rationis ipsius quae manet, ita relatio facit veram distinctionem propter rationem relationis veram quae salvatur.* Unde licet relationes, consideratae secundum esse et per respectum ad id cuius sunt, minimam videantur distinctionem facere, tamen, quia reales esse nequeunt nisi realiter inter se opponantur, hinc ex hoc capite maiorem faciunt distinctionem, quam quaecumque absoluta.

8. — **Corollarium.** — Ex hisce patet munus proprium relationum oppositarum in Deo esse ut constituant formaliter personas et unam ab aliis distinguant. Quod quidem praestant non secundum rationem suam generícam, seu *esse in*, sed secundum rationem uniuscuiusque propriam, seu *esse ad*: sic enim distinctionem realem personarum inducunt. Et propterea adverti iam potest quod nequit persona divina

[1] Cf. Caiet. — [2] Ad 2[m]. — [3] 1. Dist. II. Quaest. I, art. 5, ad 4[m].

dici composita, quia esse divinae personae, seu divina essentia est ipsummet *inesse* relationis, dum *esse ad* relationis est proprie ad suum oppositum respectus: unde quod proprie in hoc mysterio habetur est: *unum in tribus, tres in uno.*

Quae omnia ex consociata fidei rationisque principiorum temperie mens pia logice deducit, at non penitus intelligit; licet enim mysterii terminos apprehendat, eorum tamen nexum sive intrinsecam convenientiam ignorat; sicut cum physicus, qui ex mechanicae legibus, algebricis formulis expressis, alicuius phaenomeni existentiam logice quidem demonstrat, comperitque conclusionem rite deductam fuisse, quin tamen eius quod intulit rationem naturamve aperte comprehendat.

9. — **Difficultas.** — Quae in divinis distinguuntur, distinguuntur secundum originem. Atqui relationes in Deo non distinguuntur secundum originem: una enim relatio non oritur ab alia. Ergo relationes in Deo non distinguuntur realiter.

Resp. Dist. mai.: secundum originis relationes, *conc.*; secundum ipsam originem, *subd.*: fundamentaliter, *conc.*: formaliter, *nego. Dist. min.*: proprie loquendo, *conc.*; ita quod non desumantur secundum processionem unius ab alio, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Proprie quidem loquendo, relationes nec oriuntur nec procedunt ab invicem; attamen desumuntur secundum processionem vel originem unius ab altero: et sic distinctio non est in divinis secundum originem formaliter, est tamen secundum originem fundamentaliter: sunt enim origines via ad formalem relationum distinctionem [1].

ARTICULUS IV. — *Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales: scilicet, paternitas, filiatio, spiratio et processio.*

1. — **Ratio articuli.** — Ultimo loco S. Thomas doctrinam de relationibus complet, tum certo numero reales in Deo relationes defigendo, tum potissime quaternarii huiusmodi relationum numeri propriam rationem relegendo; ubi expensis rationibus quae aut maiorem aut minorem relatio-

[1] Ad 3[m].

num realium numerum suadere viderentur, ostendendum erit quam longe a catholica veritate doctrinae huius praetermissio mentem adducere possit.

2. — PROP. — **Sunt in divinis quatuor relationes reales: paternitas, filiatio, spiratio et processio.**

3. — Auctoritas. — Propositio ista *de fide* est accipienda, saltem mediate: quandoquidem, non potest salvari revelata et definita doctrina de trium personarum distinctione reali, nisi hisce subauditis relationibus. Cum enim et Sacra Scriptura saepius loquatur de Patre, de Filio et de Spiritu Sancto, itidemque in Athanasiano Symbolo habeatur: *Pater a nullo est factus,... Filius a Patre solo est,... Spiritus Sanctus a Patre et Filio*, constat non posse haberi Patrem et Filium sine relationibus paternitatis et filiationis, aut Spiritum Sanctum sine relationibus spirationis et processionis.

4. — Patres. — Idipsum constat ex *Patrum, theologorumque* unanimi consensu. - *Obiicienti* priscos Patres de spiratione activa non fuisse locutos, *respondetur* ipsos egisse ut plurimum de proprietatibus personas constituentibus, sed nec universaliter omisisse loqui de spiratione. Nam S. Athanasius Filium dicit spirantem, et Spiritum Sanctum spiratum; quod habent Cyrillus Alex. et Basilius [1]. Expresse tamen Concilia de spiratione loquuntur. Sic Gregorius X, in Concilio Lugdunensi [2], diserte asserit Spiritum Sanctum aeternaliter ex Patre et Filio procedere, *non duabus spirationibus, sed unica spiratione*. Pariter Latinorum partes agens in Concilio Florentino ait [3] *ambos* (scilicet Patrem et Filium) *spirare Spiritum Sanctum*, et dicit [4]: *Ex Patre, Filioque unica spiratione procedit Spiritus Sanctus.* Porro, in hisce Conciliis aperte innuitur spirationem esse relationem realem: origo enim unius ab altero in omnimoda naturae identitate secumfert non rationis tantum, sed realem relationem, quemadmodum in articulo primo huius quaestionis ostensum est.

[1] Apud S. Thomam in opusc. CONTRA ERRORES GRAECORUM. — [2] Cap. unico DE SUMMA TRIN. IN SEXTO. — [3] Sess. XXIV. — [4] Sess. XXV.

5. — Ratio theologica. — Relationes reales fundantur aut super quantitatem, ut duplum et dimidium, aut super actionem et passionem, ut faciens et factum, pater et filius, dominus et servus. Sed in Deo non est quantitas; ergo relinquendae sunt relationes quae quantitatem sequuntur, licet postea de personarum aequalitate agetur, quae tamen non est nisi rationis relatio, cum quantitas in Deo aliud non sit, nisi divinae perfectionis infinitas, quae Deus est. Ubi pariter ostendetur *similes* esse divinas personas, imo *consubstantiales*, cum communicent in una eademque numero forma [1].

Solae igitur considerandae erunt relationes quae fundantur super actionem, seu operationem. Duplex autem est in Deo operatio: altera *ad extra*, altera vero *ad intra* [2]. At, secundum actionem *ad extra*, est in creatura relatio realis ad Deum, in Deo vero relatio rationis ad creaturam, ut dictum est. Ergo solum consideranda manet actio Dei ad intra. Porro, secundum hanc actionem attenduntur processiones ad intra; unde relationes oportet attendere secundum processiones ad intra. At processio altera est secundum operationem intellectus, scilicet processio Verbi, altera autem secundum operationem voluntatis, nempe processio Amoris; et Verbi quidem processio est generatio; processio vero Amoris retinet commune nomen processionis. Iamvero, secundum quamlibet processionem oportet accipere duas relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, altera vero ipsius principii. Relatio procedentis a principio in generatione viventium dicitur *filiatio*; relatio vero principii generationis in viventibus perfectis dicitur *paternitas*. Processio autem amoris nomine proprio caret, ut dictum est; ideoque nec relationes quae secundum hanc processionem accipiuntur, nomen proprium habent. Sed relatio principii processionis vocatur *spiratio*, relatio vero procedentis a principio dicitur *processio*: quae tamen duo nomina magis ad processiones et origines pertinent, quam ad relationes.

6. Rationes suadentes maiorem relationum numerum. — I. Quemadmodum in divinis est relatio paternitatis et filiationis propter generationem Verbi, ita videretur debere

[1] Quaest. XLII. — [2] Ad 4[m].

esse et relationem intelligentis ad rem intellectam; sicut in humanis habetur relatio scientiae ad rem scitam; et quemadmodum datur relatio spirationis et processionis propter processionem amoris, ita deberet dari relatio volentis ad rem volitam, aut amantis ad rem amatam.

Respondetur quod relationes intelligentis ad rem intellectam et volentis ad rem volitam non sunt reales nisi in iis in quibus res intellecta et volita est aliud re ab intelligente et volente, sicut est in nobis. In eo autem in quo haec idem sunt, non est relatio realis, sed tantum rationis, sicut est relatio eiusdem ad seipsum. Porro in Deo idem re est intelligens et res intellecta, volens et res volita : unde relatio horum non est realis, sed rationis tantum, scilicet eiusdem ad idem.

Sed alicui videri posset, propter hoc concludendum esse neque inter Patrem intelligentem et Verbum in Deo esse relationem realem, cum Verbum sit res intellecta quae est ipsummet intelligens. *Respondetur*, inter Verbum intellectum et Patrem intelligentem dari relationes reales, quia Verbum intelligitur ut procedens ab intelligente per actionem intelligibilem: sed in hoc quod dico *rem intellectam*, non intelligitur processio aliqua rei intellectae ab intellectu, quia res intellecta, ut sic, non procedit ab intellectu. Praeterea Verbum non est praecise ipsa res intellecta, sed est id quod ex re intellecta concipit intellectus, seu conceptus per opus intellectus expressus et formatus [1].

II. Relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum. Sed relationes reales in Deo accipiuntur secundum processionem intelligibilem Verbi. Ergo in Deo sunt infinitae relationes reales.

Resp. Dist. mai.: in eo qui non omnia unico actu intelligit, *conc.; secus. nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq. — In nobis.* ait S. Thomas, *relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur: quia alio actu intelligit homo lapidem, et alio actu intelligit se intelligere lapidem, et alio etiam intelligit hoc intelligere; et sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, et per consequens relationes intellectae. Sed hoc in Deo non habet locum; quia uno actu tantum omnia intelligit* [2].

[1] Ad 1m. — [2] Ad 2m.

III. Ideae in Deo distinguuntur ab invicem secundum respectus ad res. Atqui ideae sunt in Deo ab aeterno. Ergo multo plures sunt respectus reales in Deo quam supradicti.

Resp. Dist. mai.: secundum respectus intellectos a Deo, *conc.*: secundum respectus reales in Deo, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Revera relatio ideae ad res quae secundum ideam fiunt, non est in Deo relatio realis, sed tantum rationis, quia ex eo oritur, quod Deus cognoscit essentiam suam ut imitabilem a creaturis pluribus modis: unde isti respectus sunt tantummodo intellecti a Deo, et ita ex eorum pluralitate non sequitur quod sint plures relationes in Deo [1].

7. — Rationes ad inducendum minorem relationum realium numerum. — I. Iuxta Aristotelem [2], *eadem est via ab Athenis ad Thebas, quae est a Thebis ad Athenas.* Ergo pari ratione eadem est relatio a Patre ad Filium, quae dicitur paternitas, et a Filio ad Patrem, quae dicitur filiatio; pariter eadem est relatio Patris et Filii ad Spiritum Sanctum, et Spiritus Sancti ad Patrem et Filium.

Resp Nego conseq. Revera ab Athenis ad Thebas mediat aliquid absolutum, scilicet linea vel via; a Patre vero ad Filium mediat aliquid respectivum, scilicet paternitas. Porro, medium absolutum inter duo extrema est unum tantum, quia abstrahitur aeque ab utroque extremo, nec ab extremis specificatur, unde non variatur ex varia terminorum acceptione; non autem idem dici potest de medio respectivo. Non potest enim abstrahi a terminis ad quos dicit respectum; unde a terminis specificatur. Quocirca, variando terminos ad quos, variatur ipsum medium respectivum, seu relatio, ideoque non est eadem relatio paternitatis et filiationis: siquidem, prima dicitur ad Filium, secunda vero ad Patrem [3].

II. Instanti: spiratio est paternitas, ergo sunt tantum tres relationes in Deo, — *respondetur* spirationem esse quidem paternitatem realiter acceptam, ab ipsa tamen distingui ratione, si formaliter accipiatur; quandoquidem paternitas dicitur relate ad Filium, spiratio vero relate ad Spiritum Sanctum.

[1] Ad 3[m]. Cf. 1, Quaest. XV, art. 2. — [2] Libr. III, Phys., t. 21. — [3] Sed contra.

8. — Scholion. — Hic tamen sedulo cavendum est ne, propterea quod sunt quatuor relationes reales, quaternitas rerum seu entium realium in divinis ponatur, contra id quod fides docet, et signanter contra verba Concilii Lateranensis IV [1] superius recitata.

Revera, duarum processionum primam secunda supponit: non enim est processio Amoris, nisi sit processio Verbi. Unde relationes, quae sunt secundum processionem Verbi, scilicet paternitas et filiatio, aliud re non sunt ab una relationum quae sunt secundum processionem Amoris, nempe a spiratione; a qua non distinguuntur nisi ratione ratiocinata. Unde, quod in articulo praecedenti dicebatur de relationum ab invicem reali distinctione, est accipiendum de ipsismet oppositis relationibus inter se, scilicet in eadem processione, non autem de una ipsarum cum alia alterius processionis. Nam, cum iuxta receptum S. Anselmi ἀξιώρισμόν, omnia in divinis sint unum, ubi non obviat relationis oppositio, dicendum est paternitatem filiationemque unam rem esse cum spiratione, cum non sit inter haec relationis oppositio; quod tamen diffusius infra exponetur [2].

9. — Difficultates. I. Paternitas non est communicabilis. Atqui spiratio est communicabilis. Ergo spiratio non est paternitas.

Resp. Peccat hic syllogismus, quia si velit in bonam formam reduci, sic: Nulla res, quae est paternitas, est communicabilis: spiratio est communicabilis: ergo nulla spiratio est paternitas, *maior* est simpliciter falsa; nam res quae est paternitas in divinis, scilicet essentia divina communicabilis est tribus personis. Unde contra hanc regulam peccat: *Latius hos quam praemissa conclusio non vult.* — Revera, licet de ratione formali paternitatis sit ut alteri non communicetur, de ratione autem formali spirationis sit ut alteri, scilicet Filio, communicetur, tamen, cum illa res quae est paternitas, non dicat oppositionem relativam ad spirationem, hinc sequitur spirationem esse realiter idem ac paternitatem.

[1] Cap. *Damnamus*, tit. DE SUMMA TRINITATE. — [2] Quaest. XXX, art. 2.

II. Idem nequit esse simul producens et productum, principium et terminus. Atqui, si filiatio et spiratio activa sint idem, Filius simul erit producens et productum, principium respectu Spiritus Sancti, et terminus respectu Patris.

Resp. Dist. mai.: sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso respectu, *nego. Dist. min. in eodem sensu. Nego conseq. et conseq.* — Revera, implicatio foret, si sub eodem respectu, Filius esset genitus ex Patre et spirans Spiritum Sanctum. Sed hoc habet sub diversis respectibus, secundum quos mens nostra eamdem omnino rem modo apprehendit ut genitam, modo ut spiratam.

10. — Corollarium. Ex hucusque dissertis, evidenter patet quanti momenti sit in tractatu de Sanctissima Trinitate doctrina haec de relationibus pro componenda essentiae unitate cum personarum pluralitate, iuxta quod Eugegius IV tradit [1]: *Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii; quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Erui etiam potest munus relationum in Deo esse ut constituant personas, et eas ab invicem distinguant. *Commune est deitas,* ait S. Basilius [2], *proprium est paternitas.* Et S. Gregorius Nazianzenus: *Adoramus,* ait [3], *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ita ut proprietates distinguamus, divinitatem autem unam faciamus.* Unde, sicut ille qui unam substantiam, unam essentiam non admittit, unitatem divinae naturae perimat necesse est, ita qui relationis realis oppositionem respuit, pluralitatem personarum tollere debet; ideoque secundus, non secus ac primus, naufragium facit in fide.

11. — Rosminii sententia. — Rosminius vero seponens doctrinam hucusque a sacris Doctoribus traditam et ab Ecclesia receptam de realibus relationibus, et de earum munere in constituendis et distinguendis personis, ex alio capite personarum distinctionem vult repeti, hoc statuens: *Tres supremae formae esse, subiectivitas, obiectivitas, sanctitas:*

[1] In Bulla Cantate Domino. — [2] Ep., 349. — [3] Or., 39.

seu realitas, identitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi, nisi ut personae subsistentes et viventes [1].

Porro haec positio pluralitatem personarum in Deo penitus tollit. Sane, α) nulla est relationis realis oppositio in hisce tribus formis τοῦ esse, nempe in subiectivitate, obiectivitate, sanctitate, aut realitate, idealitate et moralitate Nam, potiusquam relationes ad invicem oppositae, istae tres formae idem prorsus sunt, sub triplici illa ratione qua transcendendale communissime dividitur, nempe in ens, verum, et bonum. Insuper, β) relationes ad invicem realiter oppositae sese invicem excludere debent, sicut paternitas excludit filiationem. At vero, nec subiectivitas excludit sanctitatem, nec idealitas realitatem. Praeterea, γ advertendum est has formas, non propria divinarum personarum significare, ex quibus solis fit multiplicatio in divinis, sed ad summum appropriata, quae quidem communia toti Trinitati sunt, licet propter affinitatem rationis significatae cum proprio unius alteriusve personae, uni potius quam alteri attribuantur. Sed secundum appropriationem multiplicatio non fit in divinis, quin potius appropriata ad unitatem essentiae pertinent. Sed nec δ) ista vere appropriata dicenda sunt, cum ea solum appropriata dici possint, quae ut talia in divinis Scripturis habentur. At nunquam ibi dictum aut suggestum invenitur, quod Pater sit aut dicatur subiectivitas, Filius idealitas, Spiritus Sanctus moralitas; quin potius ε) talia nomina a divinis omnino sunt, ableganda, utpote quae Kantii transcendentalismum aut idealismum Fichtii sapiunt. Subiectivum enim et ideale ita duos ordines, realem et rationis significant, ut quod unius proprium est, ad alterum pertinere minime possit; moralitas autem, aut mos, primo significat consuetudinem, id est frequentiam eorum quae in potestate nostra ponuntur. Tandem ζ) advertatur hoc dictum, sicut cetera Rosminiani systematis placita, fundari in hoc, quod ens univoce dicatur de Deo et de creaturis: unde infertur *Deum esse omnia, omnia Deum* [2].

[1] Prop. XXVI. — [2] Cf. Trut. theol. rosm. Prop., Prop. XXVI.

QUAESTIO TERTIA

(XXIX).

DE PERSONIS DIVINIS.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Tertia haec est praesentis tractatus pars, praecipua sane pro explicando, tuendoque mysterio Sanctissimae Trinitatis. Cum enim fides huius mysterii versetur primo et per se circa trium divinarum personarum existentiam in una essentia, ut certa ratione haec doctrina consisteret, prius fuit de processionibus, postea autem de relationibus divinis peragendum; ita quod cum iam constet quatuor esse originis relationes, ordinata methodo determinandum nunc veniat de personarum trinitate. Cui tamen rei praeponenda sunt revelationis documenta, quibus praetermissis, nunquam mens humana huius, omnium secretissimi mysterii, sive rationem, sive etiam existentiam adinvenire posset.

Quocirca, oculis velo fidei obductis, lucernam revelationis in manibus gerentem theologum incedere oportet, potius ut existentiam ipsam mysterii, et ea quae illud circumstant et exornant detegere possit, quam ut ipsammet illius quidditativam rationem perscrutari praesumat, cui etiam prae mente tenendum est quod S. Augustino olim ad maris littus deambulanti ostensum fuisse traditur, videlicet facilius totam oceani vastitatem in angusto fossulae spatio concludi posse, quam huius mysterii momenta humani ingenii captu comprehendi.

2. — **Dicendorum ordo.** — Quisnam sit huius tertiae partis generalis ordo, superius dictum est. Hac autem quae-

stione auspicamur considerationem eorum quae absolute et communiter ad divinas personas pertinent, quae quatuor sunt, videlicet: 1° nominis personae propria significatio (XXIX); 2° personarum numerus (XXX); 3° consequentia numerum personarum, vel huic numero opposita, ut sunt diversitas, similitudo, etc. (XXXI); 4° denique cognoscibilitas divinarum personarum (XXXII).

Porro, cum nuspiam in tota theologia, magis quam in isto tractatu, abundaverint haereticorum cavillationes circa nomina quibus hoc mysterium exprimitur, hinc integra praemittitur quaestio ad accuratam nominis personae significationem tradendam. Quod quidem fieri debet, tum generaliter (1-2), exponendo quae sit personae definitio (1), et quomodo distinguatur ab aliis quibusdam personae affinibus (2); tum specialiter (3-4), seu secundum quod in Deo dicitur, ut determinetur non solum quod persona potest in divinis poni (3), verum etiam ut propria huius nominis in divinis significatio enucleetur (4).

De persona inquirendum est

communiter, ut sciatur quid sit		specialiter in divinis, ut statuatur	
absolute in se (1)	relate ad quaedam affinia (2)	an ibi sit ponenda (3)	quid ibi significet (4)

Hinc hic quaeruntur quatuor:

Primo. De definitione personae.

Secundo. De comparatione personae ad essentiam, subsistentiam et hypostasim.

Tertio. Utrum nomen personae competat in divinis.

Quarto. Quid ibi significet.

Articulus I. — *De definitione personae.*

1. — **Personae definitio.** — Si unicuique artem aliquam addiscere cupienti prius sunt principia, quibus ars illa innititur, sedulo comparanda, hoc sane potissime praestandum erit, cum agatur de theologicae scientiae sublimissimo obiecto.

Cum igitur praesens mysterium complectatur personarum trinitatem in essentiae unitate, comperto iam quid sit divina essentia, restat ut conceptus personae accurate tradatur. Quod eo sedulius erit peragendum, quo minus convenit theologica vel philosophica huius vocis acceptio, cum acceptione quae penes poëtas, iuristas, sive canonistas obtinet. Igitur a S. Severino Boëtio definitur persona [1]: *Rationalis naturae individua substantia*; quae definitio longo iam saeculorum usu accepta et firmata, a S. Thoma consecrata est, et accurate expensa.

2. Tacita obiectio. — Praeiudicialiter posset contra hanc definitionem obiici quod, sicut de singularibus non est scientia, ita nec definitio; persona vero quoddam singulare est; ergo inconvenienter definitur.

Cui breviter respondetur quod, licet hoc singulare vel illud definiri nequeat, tamen id quod pertinet ad communem rationem singularitatis definiri potest. Unde persona non definitur secundum quod hanc vel illam personam significat, sed secundum id quod pertinet ad communem personae rationem; quo sensu etiam ab Aristotele [2] *substantia prima* aliquando definitur [3].

3. — Explicatur definitio. — Porro tria sunt elementa huius definitionis; dicitur enim: I, substantia: II, rationalis naturae; III, individua; quae tria ita ad invicem se habent, ut secundum restringat amplitudinem prioris, tertium vero secundi; fiatque veluti descensus ab eo quod est tanquam genus, ad id quod ultimae differentiae loco ponitur.

4. — I. Substantia. — Igitur persona primo dicitur substantia, quia licet particulare et universale inveniantur in omnibus generibus, tamen individuum invenitur specialiter in genere substantiae. Hoc enim proprium sibi vindicat substantia, ut individuetur per seipsam, dum accidens individuatur per subiectum, seu per substantiam in qua est.

[1] Lib. DE DUABUS NATURIS. — [2] Lib. DE PRAEDICAM., cap. DE SUBSTANTIA. — [3] Ad 1m.

Revera abstrahimus modo ab hac vel illa specie substantiae, puta a substantia materiali aut immateriali, ab hoc vel illo accidente, puta a qualitate aut quantitate, etc.; nec propositum nobis est inficiari substantiam materialem individuari per materiam sub certis dimensionibus aut quantitatem per seipsam individuari. Sed hoc ideo est quia huiusmodi sunt *talis* substantia, *tale* accidens; in praesenti autem fit sermo de individuis substantiae et de individuis accidentis in communi. Scilicet substantia est *haec* per seipsam: accidens vero est *hoc* quia est in *hac* substantia, sicut lapis est *hic* per seipsum; albedo autem in lapide est *haec*, quia est in isto lapide [1].

Quocirca, individua speciali substantiae nomine donantur; siquidem, dicuntur hypostases, vel subiecta, vel substantiae primae. Ex quo patet quod sola substantia est persona, et sic accidentia excluduntur a dignitate personae.

5. — Tacita obiectio. — Contra hanc primam definitionis particulam posset fieri exceptio, quia non videtur pro quonam ibi stet substantia, utrum scilicet pro substantia prima, an pro substantia secunda. Si enim dicatur quod stat pro substantia prima, superfluum est addere *individua*: substantia enim prima est hypostasis et proinde individua; si autem ponatur pro substantia secunda, est contradictio in definitione, ut patet.

Cui difficultati duplicem praebet S. Thomas responsionem: unam quae est aliorum, et est bona; alteram quae est suamet, et est melior. Prima responsio vult ut dicatur ibi substantiam stare pro substantia prima, nec tamen individuum additum in definitione esse superfluum, quia substantia prima excludit quidem rationem universalis et partis, unde nec homo communis nec manus sunt substantia prima; sed non sufficienter excludit rationem assumptibilis, quam excludit individuum; unde additur individuum theologice, scilicet intuitu mysterii Incarnationis Domini, ubi fide docemur humanam naturam assumptam fuisse a Verbo Dei, non autem personam. — At melius dicendum est quod substantia ibi communiter acci-

[1] Cf. Caiet.

pitur, prout dividitur per primam et secundam; et addendo *individua*, trahitur ad standum pro substantia prima [1].

6. — **II. Rationalis naturae.** — Individuum, licet inveniatur in omnibus substantiis, specialiori tamen et perfectiori modo invenitur in substantiis rationalibus. Nam istae solae habent suorum actuum dominium, cum non modo agantur, sicut aliae substantiae, sed per se agant, unde actiones earum ad ipsas iure pertinent. Atqui *actiones sunt in singularibus, aut singularium*, ut ait Philosophus [2]; illae ergo substantiae prae ceteris speciale nomen sortiuntur et dicuntur personae. *Nullus, lapidis, aut arboris, aut equi, dicit esse personam*, ait Boëtius [3]; *at hominis dicimus esse personam, dicimus Angeli, dicimus Dei.* Quocirca, in definitione personae ponitur *rationalis naturae*, in quantum significat singulare in rationalibus substantiis, sicut, ut mox explicabitur, ponitur *individua*, in quantum significat singulare in genere substantiae.

Advertenda tamen duo sunt. *Primum* est circa vocem *rationalis*, quae hic non sumitur stricto suo significato, prout significat proprietatem cognoscendi per discursum, sed prout dicit naturam intellectualem generaliter; unde extenditur etiam ad Deum et ad Angelum, qui intuendo cognoscunt. Quocirca, substantiae homine inferiores persona non dicuntur, sed supposita.

Alterum est circa vocem *natura*, cuius loco prima fronte in hac definitione videretur potius ponenda vox *essentia*, cum natura sit principium motus et quietis, persona vero sit etiam in rebus immobilibus, sicut in Deo et in angelis, in quibus non est aut motus aut quies. At, revera melius ponitur natura quam essentia. Nam essentia sumitur ab esse, quod est communissimum, natura vero significat specificam differentiam informantem unumquodque, et sic aptior est quam essentia ad designandum singulare generis determinati quale est persona.

Ad quod rectius intelligendum, enucleandus est conceptus huius vocis *natura*. Iuxta Aristotelem [4], nomen *natura*

[1] Ad 2[um]. — [2] L. I, Metaph., c. I, n. 6. — [3] Lib. de Duab. Nat. c. 2. — [4] Libr. V, Metaph.

primo impositum fuit ad significandam generationem viventium, quae nativitas vocatur; postea vero, extensum est ad significandum principium intrinsecum cuiuscumque motus, eo quod generatio est a principio intrinseco. Tum, quia huiusmodi principium est formale vel materiale, ideo tum materia, tum forma, natura vocata est. Demum nomen *natura* impositum fuit ad significandam essentiam cuiuscumque rei, eo quod essentia uniuscuiusque rei completur per formam. Unde, in praesenti definitione, nomen *natura* non sumitur prout est principium motus et quietis, sed sumitur pro essentia; praefertur tamen nomini *essentia*, quia specifica differentia, quam natura prae essentia includit, secundum quod Boetius [1] dicit quod natura est *unumquodque informans specifica differentia*, complet definitionem, ideoque aliquid magis determinatum significat [2].

7. — III. Individua. — Haec particula locum tenet ultimae differentiae. — Ubi primo advertendum est, nemini debere difficultatem facere quod individuum est nomen secundae intentionis, persona vero nomen primae intentionis; nomen autem secundae intentionis non debet poni in definitione nominis rei, aut primae intentionis, sicut non debet dici: *homo est species animalis*. — Hoc, inquam, non obstat quominus persona ultimo definiatur per individuum. Revera sicut, cum aliquam rem definire volumus, et substantialem rei differentiam non cognoscimus, nec consequenter nominamus, usurpamus nomina differentiarum accidentalium loco substantialium differentiarum, eo quod accidentales differentiae nobis sunt magis notae, et sic magis nominatae, sicut cum definitur ignis, corpus leve, calidum et siccum; at quia accidentia propria resultant ex propriis formis substantialibus, easque manifestant, ideo eorum nominibus utimur ad differentias substantiales designandas. Similiter, quod individuum ponitur in personae definitione, hoc ideo est, quia nomen istud, licet sit secundae intentionis, accipitur tamen pro nomine rei quae non est posita, scilicet ad designandum modum subsistendi, qui est de essentia personae, et generaliter substantiarum particularium [3].

[1] Lib. de Duab. Nat. — [2] Ad 4^m. — [3] Ad 3^m

Porro, individuum in personae definitione positum tria secumfert: α) esse completum, β) subsistens, et γ) incommunicabile.

Revera, α) nisi substantia rationalis sit *completa*, et quidem in *ratione speciei*, persona non est. Quocirca, anima humana, etiam separata a corpore, non est persona, aut hypostasis, aut substantia prima, quia est pars tantum humanae speciei, cum retineat ordinem unibilitatis ad corpus. Sic etiam nec manus, nec pes, nec alia quaecumque pars hominis [1]. Insuper β) substantia debet esse *subsistens*: quocirca natura humana quam assumpsit Christus non fuit persona, quippe cui subsistentia propria deerat. — γ) Tandem non est persona, nisi substantia rationalis naturae sit *incommunicabilis*. Ex hoc praecise capite, ut ex dicendis apparebit, natura divina licet completissima sit et in se subsistens, tamen cum tribus distinctis suppositis communicetur, ideo non potest dici persona stricte sumpta, sed tantummodo latiori sensu. Unde Richardus Victorinus ait [2]: *Quantum ad divina, nihil aliud ibi est persona, quam incommunicabilis existentia; illud autem veraciter incommunicabile est, quod commune quidem non est, sed nec esse potest.*

8. — Corollarium. — Ex quibus apparet respuendas esse, tanquam catholici dogmatis de Sanctissima Trinitate funditus eversivas, personae definitiones, sive a Günther et rationalisticae scholae sequacibus, sive a Rosminio et transcendentalistis philosophis traditas. Illi quidem in *sui conscientia*, hi vero in *subiecti libertate* personae rationem ponentes, aeque a vero distant; cum, omisso quod actus tum conscientiae tum libertatis personam iam constitutam supponant, tam illi, quam isti, realem in divinis personarum distinctionem penitus auferunt: cognitio enim et electio, una cum respectivis facultatibus, una res altissima et simplicissima in Deo sunt, quae est sua divina essentia.

Ad 5um. — [1] L. IV, de Trin., c. 18.

ARTICULUS II. — *Utrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia et essentia.*

1. — Ratio articuli. — Cum non semper penes priscos rerum divinarum scriptores uno eodemque fixo sensu fuerint usurpatae istae voces, hinc S. Thomas, quo melius definiretur distinctio quae est in Deo inter divinas personas, quae in essentiae unitate subsistunt, uniuscuiusque horum nominum propriam hic rationem, propriamque distinctionis notam, summa praecisione, determinat. Huic autem quaestioni refertur schisma Antiochenum, ortum ex diversitate sensuum vocibus οὐσία et ὑπόστασις praefixorum ab asseclis S. Meletii, Paulini et Vitalis.

2. — Schisma Antiochenum. — Cum iam ariana labes suum Nicaenae synodi decretis profligata fuisset, et episcopi catholici, Arianorum, a quibus in Ariminensi Concilio decepti fuerant, versutias fraudesque detexissent, mortuo iam indefesso consubstantialitatis Verbi cum Patre adsertore S. Athanasio, rursus illius pestis reliquiae totum Orientem incendere minitatae sunt. Excitata enim, et nondum per auctoritatem definita contentione de sensu vocis ὑπόστασις, alii pro essentia, alii pro supposito illam usurpabant; ex eoque quod catholici trinitatem ὑποστάσεων inconcutanter confitebantur, Ariani substantiarum trinitatem proclamandi occasionem fidenter arripiebant.

Qua de re, exstant S. Basilii litterae tum ad fratrem suum S. Gregorium Nyssenum, ubi docet οὐσίαν significare *essentiam* in genere, ὑπόστασιν vero significare *substantiam* in aliquo supposito, tum etiam ad comitem Terentium [1], qui sectatores S. Meletii et Paulini Alexandriae coadunare volebat. *Quod hypostasis et essentia non sint idem*, ait ille [2], *fratres vestri in Occidente vobis ostenderunt, cum paupertate linguae suae coacti sint suscipere a nobis graecam vocem ousiam, ut distinctione vocabulorum sensus differentia salvaretur.*

At nuspiam tam acriter disceptatum est ac Antiochiae, cum, Valentis urgente persecutione [3], Meletius illius urbis

[1] Ep. CCCXLIX. — [2] Ep. cit. — [3] A. D. 370.

episcopus, sanctissimus praesul, et veritatis catholicae invictus adsertor, in exsilium pulsus fuit, in cuius locum Euzoius ab Arianis suffectus est. A sancto Meletio Meletiani dicti sunt qui eius partes sequebantur; et isti ab Ecclesiis suis, praesertim Paleae eiecti, pluriesque ad necem conquisiti, sub dio congregabantur, in loco qui exercitiorum campus erat, unde etiam *Campenses* dicti sunt, ubi religionis mysteria celebrabant, hymnosque canebant. Praeter hos et Arianos, erat Antiochiae potentissima factio Eustathianorum, qui S. Eustathio fidem nunquam negaverant, et quorum episcopus erat tunc temporis Paulinus, qui olim sacerdos a S. Eustathio ordinatus fuerat, et qui cum haereticis nunquam communicaverat. Hic ordinatus fuerat episcopus a Lucifero Calaritano, qui Meletianos et Eustathianos inde adunare speraverat. Vitalem quoque, olim presbyterum communionis S. Meletii, Apollinaris sectatores suum constituerant episcopum, ita ut in una Antiochena civitate et territorio tres exstarent factiones acriter inter se pugnantes, seseque invicem excommunicantes, ob voces οὐσίαν et ὑπόστασιν.

S. Hieronymum tunc temporis in deserto Syriae delitescentem, poenitentiae, Scripturaeque studiorum causa, fautores uniuscuiusque factionis litteris accersiverunt, ut ipsum ad suas partes quisque traheret. Sed maluit vir sanctus cathedram apostolicam hac de re consulere, quam quidquam propria auctoritate decernere. Quocirca ad Summum Pontificem Damasum epistolam conscripsit, petens ut sibi *sive tacendarum, sive dicendarum trium hypostaseon* (daretur) *auctoritas*. Qui pariter haec celeberrima habet [1]: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum*; et [2]: *Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere si hoc unus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.*

Ex quibus apparet quanti momenti sit citatas expendere voces. Cum autem persona dicta sit substantia, hinc quid substantia significetur prius dicendum erit.

3. **Quid significet nomen substantia.** — Substantia dupliciter sumi potest: uno modo, pro quidditate, seu pro

[1] Ep., LVII. — [2] Ep., LVIII.

principiis essentiae rei, quae definitione significari solent; unde dicitur quod definitio significat substantiam rei. Hoc autem οὐσίαν Graeci consueverunt appellare; Latini vero *essentiam*.

Alio modo, substantia sumitur pro subiecto aut supposito, quod subsistit in genere substantiae. Et hoc quidem communiter acceptum, nomine intentionem significante, nominari potest suppositum, si accipiatur universaliter in toto genere substantiarum; in particulari autem genere substantiarum rationalium, nominatur distinctivo nomine persona. Et bene suppositum dicitur, quippe quod, ut notat Caietanus [1], supponitur universis quae in aliquo sunt, sive sint substantialia, sive sint accidentalia; et accipit eorum praedicationem. Suppositum enim hominis est hic homo, puta Socrates, et de eo praedicatur tam esse hominem, quam esse album, esse quantum, esse filium, esse locatum, esse agentem, etc.

Res vero, quae est suppositum, triplici distincto nomine significatur, secundum unum alterumve respectum ipsiusmet substantiae, quae suppositum dicitur. Siquidem vocatur aliquando *res naturae*, *subsistentia*, et *hypostasis*. — Res naturae dicitur, secundum quod supponitur alicui naturae communi; subsistentia vero, secundum quod in se existit et non in alio: hypostasis autem, quae latine reddita, est substantia, secundum quod substat, seu supponitur accidentibus. Hinc patet nomen *substantiae* aequivoce sumi apud nos, et quandoque significare essentiam, quandoque autem hypostasim [2].

4. — Quid sit essentia. — Igitur, nomine substantiae, prout dicit essentiam, utimur in divinis, non pro eo quod subest accidenti, hoc sensu enim nonnisi *abusive* Deus substantia vocari posset, ut ait S. Augustinus [3], nec pro persona, nisi latiori quodam sensu, quo modo patres Concilii Antiocheni, teste S. Hilario [4], illud adhibuerunt, sed pro significanda essentia, seu quidditate divina. Et quidem praeferenda videtur voci *essentia* vox *substantia*, quia essentia

[1] In 3, Quaest. II, art. 2. — [2] Ad 2[m]. — [3] Libr. VII, DE TRIN., c. 5. — [4] L. DE SYM.

partem rei formalem designat, substantia vero totum comprehendit. Hoc sensu non potest locutio sustineri, qua dicantur in divinis tres substantiae, quia nec tres quidditates ibi sunt, aut naturae divinae, sed una tantum. *Quis*, ait S. Hieronymus [1], *ore sacrilego tres substantias praedicaverit?* Et S. Augustinus [2] potius negandum ait esse in divinis tres substantias, quam affirmandum. Hinc in diversis conciliis, in quibus de hac re actum est, una tantum praedicatur substantia, et tres personae consubstantiales dicuntur [3].

5. — **Res naturae.** Dubitatum quandoque fuit essentne tres res naturae, an una tantum in divinis. Arianorum haeresi vigente, apparet catholicos abhorruisse ab admittenda trinitate rerum seu entium realium in divinis, ne viderentur dividere unitatem divinae essentiae. Attamen, cum res, seu ens, unum de transcendentibus, latissimam habeat significationem, et non modo pro essentia aut absoluto, verum etiam pro relationibus stare possit, non est cur ambigere debeamus, quin possint dici tres res, tria entia unius naturae. Ita S. Augustinus [4]: *Res, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus*; quod dictum S. Thomas suscipiens, egregie commentatur [5]; licet Damasceno [6] visum sit in divinis esse unam rem tantum, scilicet absolutam.

6. — **Subsistentia,** graece οὐσίωσις, significat rem quae per se substistit et proinde quae in se est completa. Unde, licet vox ista ad significandum essentiam aliquando fuerit usurpata [7], tamen communis Ecclesiae traditio, Conciliorum etiam auctoritate firmata, tres praedicat in divinis subsistentias. Sic S. Athanasius in *Sermone de Deipara* dicit orthodoxos unum Deum in tribus subsistentiis praedicare. Basilius quoque subsistentias numero plures in Deo agnoscit [8]. Pariter synodus Constantinopolitana I [9] adprobans doctrinam

[1] Ep., 57. — [2] L. V. de Trin., c. 8. — [3] Cf. Conc. Nicen. I; Later. IV; Tolet. II, etc. — [4] Libro I. de Doctr. Christ., c. 3. — [5] 1. Dist. XXV. Quaest. I, art. 4; cf. etiam S. Anselmum, l. de Incarn., c. 3. — [6] L. I. Orthod. Fid., c. 11. — [7] Ut videre est in concilio Romano apud Theodoretum, libr. II, c. 22, ubi Spiritus Sanctus dicitur unam cum Patre et Filio habere substantiam et *subsistentiam*. — [8] Ep., 64. — [9] In Ep. ad Damasum.

Concilii Nicaeni, vult ut *divinitas et potestas una Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et eiusdem honoris dignitas et coaeternum regnum cum tribus perfectis subsistentiis, sive tribus perfectis personis credatur, ita ut neque Sabellii contagio locum habeat, subsistentiis confusis, seu proprietatibus sublatis*, etc. Pariter, in Concilio Chalcedonensi [1], referuntur Patres Nicaenae Synodi contra haereticos *trium subsistentiarum intulisse doctrinam* [2]. Theodorus quoque Patriarcha [3] dicit se credere et glorificare *Trinitatem in tribus subsistentiis*, subdens: *Divisa est enim numerariis subsistentiis, et numerata personalibus alteritatibus; sed substantiae et naturae identitate unita.* Adde anathema pronunciatum a Concilio Lateranensi sub Martino I [4] in eos qui *non confitentur unum Deum in tribus subsistentiis.* — Utrum praeter tres subsistentias relativas quarta detur absoluta, decursu tractationis ostendetur.

7. — Hypostasis. — Ὑπόστασις, idem est ac substantia, non quidem in eo quod haec significat essentiam, sed in eo quod significat substantem accidentibus. Propter hanc aequivocationem latini nominis, cum vocem ὑπόστασις interpretes aliquo vocabulo latino significare vellent, maluerunt uti nomine subsistentiae quam substantiae; ne, cum dicuntur esse tres hypostases, tres etiam esse essentias quis inferret in divinis [5]. Ubi patet paulisper immutatam fuisse huius vocis significationem nativam, cum ex eo quod dicit substare accidentibus, ad significandam subsistentiam, assumpta sit.

Attamen non desunt loci, in quibus hypostasis pro essentia usurpatur. Sic enim eam aliquando accepit Athanasius [6], et Patres Concilii Sardicensis, apud Theodoretum [7], definiunt Patris et Filii et Spiritus Sancti esse unam hypostasim, hoc est essentiam. Unde S. Hieronymus [8]: *Tota saecularium litterarum schola*, ait, *nihil aliud hypostasim, nisi usiam norerat.* Et S. Augustinus [9]: *Nescio quid interesse volunt inter usiam et hypostasim.*

[1] Act. XVI. — [2] Cf. Syn. V, can. I; Syn. VI, act. 4 et 11; Syn. VII, act. 3. — [3] Syn. VII, in Epist. Synod. — [4] Consult. 5. can. I. — Ad 2[m]. — [6] In Epist. ad Episcopos Africae. — [7] Lib. II, c. 8. — [8] Ep. 57. — [9] Libr. V, de Trin., c. 8.

Quidquid sit, certum est nomen istud, *hypostasis*, tum apud priscos Patres communius pro subsistentia usurpatum fuisse, tum nunc quoque, cum tot saeculorum usus id postulaverit, pro substantia aut essentia omnino sumi non debere, sed pro persona, aut supposito. *Dicitur apud Graecos*, ait S. Thomas [1], *recte et catholice, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non recte sonat, si quis dicat quod sunt tres substantiae; licet hypostasis sit idem apud Graecos, quod substantia apud Latinos, secundum proprietatem vocabuli. Nam apud Latinos substantia usitatius pro essentia accipi solet, quam tam nos quam Graeci unam in divinis confitemur. Propter quod sicut Graeci dicunt tres hypostases, nos dicimus tres personas, ut etiam Augustinus docet* [2]. Epiphanius quoque et Damascenus passim referunt ipsos Graecos tres admisisse hypostases in divinis. At nunc ipse receptus Ecclesiae usus non sinit nos in re tanti momenti ancipites haerere [3].

Denique, hoc circa hanc vocem notandum est, quod, apud Graecos quidem, ex propria significatione nominis habet quod significet quodcumque individuum substantiae, sed ex usu loquendi obtinuit quod sumatur pro individuo rationalis naturae, ratione suae excellentiae; unde Boetius [4] dicit quod Graeci naturae rationalis individuam substantiam ὑποστάσεως nomine vocaverunt [5].

8. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, iuverit modo hypostasim cum substantia seu essentia, necnon cum subsistentia, comparare.

Et *primo* comparetur hypostasis, prout supponit pro persona, cum essentia. Essentia in rebus compositis significat non solam formam, nec solam materiam, sed compositum ex materia et forma, at in communi; hypostasis vero significat non solam formam, nec solam materiam, sed compositum ex hisce, verum in particulari. Essentia enim significatur per definitionem, et complectitur principia rei; hypostatis vero significatur nomine individuo, et complectitur notas indivi-

[1] Opusc. contra err. Graec. prooem. — [2] In l. VII, de Trin. — [3] Cf. l. de Div. Nom., c. 1; S. Athan., apud S. Greg. Naz., Or., 21; S. Basil., Ep., 43. — [4] Lib. de duab. Nat. — [5] Ad 1m.

duantes ; unde hypostasis et persona addunt supra rationem essentiae principia individualia ; et in rebus compositis non est idem persona'et essentia; siquidem essentia complectitur et animam et carnem et ossa, quae sunt de ratione hominis in communi; sed persona complectitur hanc animam, hoc corpus, quae sunt de ratione huius hominis [1].

Secundo. comparetur hypostasis, prout significat substantiam, cum subsistentia. Res aliqua habet ut sit *hypostasis*, prout hypostasis significat *sub-stantiam*, ex accidentibus quae sunt in individuo, et quae sunt praeter rationem generis et speciei. Res vero habet ut sit *subsistentia* ex eo quod est sub aliquo determinato genere et in aliqua determinata specie in praedicamento substantiae comprehensis, non quod ipsae species vel genera subsistant, nisi secundum opinionem Platonis, qui posuit species rerum separatim subsistere a singularibus. Hac de ratione Boetius [2] dicit quod *genera et species subsistunt tantum, id est faciunt subsistere tantum: individua vero non subsistunt tantum, verum etiam substant*, id est faciunt *substare* [3].

Rursus, res quae componitur ex materia et forma habet quod substet accidentibus ex proprietate materiae ; quod vero per se subsistat, habet ex proprietate formae. Nam, sicut illud quod accidentia non habet, non potest proprie *substare*, unde dicit Boetius [4] quod *forma simplex subiectum esse non potest*, ita ex forma habet res esse actuale, proindeque subsistere. Unde idem Boetius [5] hypostasim attribuit materiae, οὐσίωσιν vero sive subsistentiam formae; quia materia est principium substandi, forma vero principium subsistendi [6].

Articulus III. — *Utrum nomen personae sit ponendum in divinis.*

1. — Ratio articuli. - Ex hucusque traditis colligi potest substantiam posse dupliciter considerari ; uno modo, prout dicit completam rei quidditatem, quin tamen ultimo termino terminetur, quo incommunicabilis reddatur : alio

[1] Ad 3[m]. — [2] Lib. cit. — [3] Ad 4[m]. — [4] Libr. II. de Trin. — In Comment. Praedicament. — [6] Ad 5[m].

modo, prout importat etiam ultimum purumque sui terminum, quo prohibeatur alteri communicari. Et illa in communi quidem, *essentia*, in individuo autem, *natura* dicitur; haec vero, cui competit incommunicabiliter subsistere, communi nomine *suppositum*, vel etiam *subiectum* dicitur; specialiter vero appellatur *persona* seu *hypostasis*, in iis nempe quae dignitate intellectualis cognitionis gaudent. — Dubitatur autem utrum hoc nomen poni debeat in divinis, praecipue cum ex rebus vilioribus transumptum exhibeatur, ut mox dicetur.

2. — **Praenotanda.** — Ubi, quantum ad hoc nomen *hypostasis* spectat, recolendum est illud minime competere Deo quantum ad id a quo est impositum, quod est substare accidentibus, sed tantummodo quantum ad id ad quod significandum fuit impositum, nempe secundum quod significat rem per se subsistentem. — Quod autem de hoc nomine S. Hieronymus dicebat [1], nempe *in illo venenum latere sub melle*, propter eos dicebat qui hac voce *hypostasis* abutebantur ad decipiendos simplices. Nondum enim fixa erat penes Latinos nominis *hypostasis* significatio; et cum modo pro substantia, modo pro subsistentia sumeretur, eos qui confitebantur tres hypostases Ariani inducebant ad agnoscendas etiam tres substantias aut naturas distinctas; eos vero qui unam tantum hypostasim, sive subsistentiam dicebant, Sabelliani cavillationibus suis urgebant ut unam tantum personam confiterentur [2].

3. — **Etymologia nominis persona.** Porro, si nomen *persona* attendatur quantum ad id a quo est impositum, ultro fatendum est ipsum Deo minime competere, siquidem, ut habet Boëtius [3], *nomen personae videtur traductum ex his personis quae in comoediis, tragoediisque quosdam homines repraesentabant*. Revera, haec vox a theatrorum foeditate est effossa, et ex vilissimis hominibus, histrionibus nempe et ludionibus, mutuata. Nam, secundum nativam vocis originem, persona nihil aliud significat, nisi *larvam*, id est imaginem concavam figurae hominis, satyri aut belluae, quae cum vultum totum obtegeret, unoque tantum foramine, vocis emittendae gratia, pateret, efficiebat ut vox ipsa strepitu

[1] Ep. ad Damas., 57. — [2] Ad 3[m]. — [3] L. de duab. Nat.

magno sonaret, quod est *personaret*, et sic larva ipsa a personando persona est dicta [1]; et per metonymiam, qui larvam gerebat et ipse persona dictus est; per catachresin autem, figurae quae in domibus vel hortis positae varios gestus, vultusve exprimebant, personae dictae sunt. Similiter apud Graecos vox πρόσωπον, quae stat pro latino *persona*, originarie id quod ante vultum ponebatur significat.

At licet persona a *personando*, et πρόσωπον a vultus tegmine sint desumpta, tamen non ad hoc significandum sunt nomina ista imposita. Nam ab ipsismet actoribus in theatris extensum est nomen illud ad significandos illos quorum partes gerebant, et sic habitae sunt dramatis personae. Et quia non repraesentantur nisi homines fama percelebres et dignitate praecellentes, ideo personae nomen impositum est ad significandos eos qui aliqua dignitate praestant; unde aliqui definierunt personam: *Hypostasim proprietate distinctam ad dignitatem pertinentem*. Et sic personae, in civilibus, habentur ii qui iuribus et titulis gaudent; in iure autem canonico, qui aliqua dignitate in capitulo ornantur, licet non idem praecise sit persona ac dignitas. Et cum maxima sit in homine dignitas, quod rationalem naturam participet, ideo dum individua inferioris naturae supposita dicuntur, individuum naturae humanae dicitur persona; demum propter divinae naturae dignitatem, quae omnem aliam dignitatem supergreditur, nomen personae Deo maxime competit, ut mox ostendetur [2].

4. — PROP. **Hoc nomen, persona, Deo est attribuendum.**

5. **Auctoritas.** — Hoc esse *de fide*, ex tota Conciliorum, Patrum Doctorumque traditione evidentissime eruitur: sic enim legitur in symbolo athanasiano: *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*. Item, in Concilio Lateranensi IV [3]: *Trinitas una quaedam summa res est, quae veraciter est Pater, Filius, Spiritus Sanctus, tres simul personae*

[1] Ita Horatius art. Poet. v. 228:

Post hunc personae pallaeque reperlor honestae
Aeschylus.

[2] Ad 2[m]. — [3] Cap. Firmiter.

et singillatim quaelibet earumdem. Pariter, in Missae praefatione, iubemur, in *personis proprietatem* adorare.

6. — **Patres.** — Idipsum S. Fulgentius exprimit, dicens [1]: *Cum quaereretur a Patribus et diceretur: Quod tria? nec essentias, nec substantias, nec naturas dicere ausi sunt, ne aliqua forte diversitas crederetur essentiarum, aut naturarum, aut substantiarum; sed dixerunt tres personas, unam essentiam: ut una essentia declararet Deum, tres autem personae Sanctam Trinitatem ostenderent.*

7. — **Tacita obiectio.** — Porro contra usum nominis personae in divinis, obiici potest illud in Sacra Scriptura non reperiri; at, iuxta auctorem libri *De divinis Nominibus* [2], *universaliter non est audendum aliquid dicere nec cogitare de supersubstantiali occulta divinitate, praeter ea quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa*; unde videretur nomen istud in divinis non esse ponendum.

Contra quod advertitur, primo, Sacram Scripturam nec unicam, nec supremam fidei regulam habendam esse. Supremus enim fidei canon est magisterium authenticum et infallibile Ecclesiae, sine cuius auctoritate Augustinus protestabatur se ipsi Evangelio minime credaturum esse [3]. Unde ea quae, licet sint praeter, non tamen sunt contra Sacram Scripturam, ab hoc magisterio tradita referuntur, fide et ipsa sunt retinenda, fide scilicet ecclesiastica [4]. Inter quae sunt plures voces decursu temporum ab Ecclesia aut primitus inventae, aut saltem ab aliis rebus impositae ad divina significanda, cuiusmodi sunt voces *consubstantialis, transubstantiatio*, et, quod ad rem nostram attinet, vox *persona*. Ideo autem Ecclesia vocem hanc *persona* invexit, quia licet non inveniatur expresse dicta de Deo in Scriptura sive Novi, sive Veteris Testamenti, tamen, cum id quod nomen significat multipliciter ibi inveniatur adsertum de Deo, hinc iure nomen personae Deo Ecclesia attribuit. Invenitur enim in Scriptura quod Deus est maxime per se ens, et ideo maxime

[1] De Trin., c. 3. — [2] C. 1. — [3] L. Cont. Ep. fundam., VI, c. 6. — [4] Cf. quae de hac fide disseruimus in tr. de Sacra Doctrina. Quaest. III, art. 2, nn. 4, seq. p. 193.

substantia individua: et rursus quod est perfectissime intelligens, ideoque rationalis aut intellectualis naturae.

8. — **Scholion.** Quod si quis, ad Deum nominandum, refugiat ab usurpanda quacumque voce in divinis Litteris non posita, ut vellent protestantes, apposite notat S. Thomas quod sic nunquam in alia lingua, nisi in illa, in qua Libri Sancti sunt primitus exarati, de Deo loqui posset. Ad invenienda autem nova nomina veterem de Deo fidem significantia, coëgit necessitas disputandi cum haereticis [1].

Urgenti vero verba S. Pauli [2]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae*, respondetur non esse profanas illas voces quae aliquid significant quod in Scriptura Sacra reperitur: unde nec ipsamet harum vocum novitas profana est dicenda [3]. *Licuit*, ait Augustinus [4], *loquendi ac disputandi necessitate, tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.*

Quocirca, cum Chilpericus rex edictum fecisset, quo prohibebat Sanctissimam Trinitatem dici tres in Deo personas, quasi indignum foret personam Deo attribuere sicut homini mortali, S. Gregorius Turonensis viriliter obstitit, auctoritate traditionis, praesertim SS. Hilarii et Eusebii Vercellensis, in contrarium adducta [5].

9. — **Prob. rat. theol.** — Nomen significans id quod est perfectissimum in tota natura, est ponendum in divinis. Atqui hoc nomen *persona* significat id quod est perfectissimum in tota natura. Ergo est Deo tribuendum.

10. — **Exponitur.** — *Maior* ex hoc constat quod, cum Deus contineat in se quidquid perfectionis est, hinc omne nomen quod perfectionem significat, ipsi tribuendum est. — Ubi duo advertenda sunt: *primum*, quod cum ex creaturarum perfectionibus assurgimus ad cognoscendam divinam perfectionem, excludatur a Deo oportet quidquid imperfectionis in creaturis clauditur, sive ex eo quod in creaturis non est idem esse et essentia, natura et subiectum, sive ex eo

[1] Ad 1[m]. — [2] 1 Tim., VI, 20. — [3] Ad 1[m]. — [4] L. VII, de Trin., c. 4. — [5] Lib. V, Hist., c. 45.

quod in ipsis est compositio ex materia et forma, aut saltem ex genere et differentia, sive ex eo quod non est in ipsis idem esse et operari, subiectum et accidens. *Secundo*, perfectiones istae debent Deo tribui non eodem modo quo tribuuntur creaturis, sed eminentiori modo, ita ut, cum ratio formalis harum perfectionum in creaturis sit ipsa sola, in Deo sit ipsa et alia, nempe divina natura, quae est forma altissima, omnia in se unitissime continens.

Quod in *minori* dicitur, nempe personam dicere perfectionem, ex duplici capite eruitur. *Primo*, ex eo quod persona est substantia naturae rationalis, natura autem rationalis perfecta est; *secundo*, ex eo quod *est individua* substantia; individuum autem significat completum, per se subsistens, et esse incommunicabile; unde licet natura habeat maiorem *extensionem* quam persona, tamen persona plus *comprehendit* in se, quam natura; comprehendit enim naturam et notas individuantes quibus terminatur. Immo, persona non modo includit perfectionem, verum etiam significat id quod est perfectissimum in tota natura: nam et significat naturam inter omnes naturas perfectissimam, nempe naturam rationalem, et eam significat ut per se subsistentem, quod est quid nobilissimum. Unde conclusio valet *a fortiori*, nempe maxime esse Deo personam tribuendam, quia maximam perfectionem includit.

11. — **Obiectio.** — Contra causalem istam ultimam propositionem excipi potest quod, si ita est, persona ponitur in Deo eo quod significat id quod est perfectissimum in tota natura; ergo id quo una persona ab altera distinguitur maximam perfectionem includit. Atqui id, quo una persona distinguitur ab altera, est sibi proprium. Ergo una persona perfectionem habebit, quam non habet altera.

Cui *respondetur* quod persona praeter esse completum, importat duo: scilicet esse subsistens et esse incommunicabile. Et primum quidem dicit perfectionem, alterum vero a perfectione praescindit. Et propter primum, unaquaeque persona habet in se omne id quod habet divina natura; propter alterum vero, una persona discriminatur ab altera, et nulla perfectione donatur, quae alteri desit. Unde neganda

est *maior* argumenti; nam esse subsistens per se et consequenter esse perfectissimum, non est id quo una persona in divinis ab altera discernitur, sed esse ultimo incommunicabile, quod praescindit a ratione perfecti vel imperfecti.

Non igitur, concludit Boetius [1], *dici potest praedicationem relativam quidquam rei de qua dicitur secundum se vel addere, vel minuere, vel mutare. Quae tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere.*

URGENTI: Eatenus persona in divinis ponitur, quatenus dicit perfectionem; atqui persona in eo quod dicit esse incommunicabile non dicit perfectionem; ergo persona in eo quod dicit esse incommunicabile non debet in divinis poni; *respondetur* quod cum probatur personam poni in divinis, non vult probari esse personam in eo formaliter quod persona dicit esse incommunicabile, sed in eo quod dicit esse per se subsistens: et quia esse sic per se subsistens, id est relative, trahit secum esse incommunicabile, consequenter ponitur persona, tum in eo quod est per se subsistens, tum etiam in eo quod est incommunicabilis. Unde distinguenda est *maior* argumenti: eatenus persona in divinis ponitur, quatenus dicit perfectionem in eo quod dicit esse subsistens, *conc.*; quatenus dicit perfectionem in eo quod dicit esse incommunicabile, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* [2].

12. **Scholion.** — Qua ratione personae definitio Deo conveniat, paulisper advertenti patebit. *Primo*, esse *substantiam* competit Deo, non secundum quod substantia significat substare accidentibus, sed secundum quod dicit existere per se. Rursus, ipsi competit esse *rationalis naturae*, non quia Deus ratiocinetur, sed secundum quod generaliter significatur natura intellectualis. Denique esse *individuum* Deo competit, non quasi Deus individuetur per materiam, sicut substantiae extensae, sed quia incommunicabiliter subsistit. Hac de causa Richardo a S. Victore [3] corrigenda visa est haec definitio, cum dixerit quod persona in Deo est *divinae naturae incommunicabilis existentia*.

[1] DE TRIN., c. 5. — [2] Cf. Caiet. — [3] L. IV. DE TRIN., cc. 18 et 23.

Articulus IV. — *Utrum hoc nomen, persona, significet relationem.*

1. — **Ratio articuli**. — Difficultas circa propositam quaestionem ex hoc exsurgit quod, cum in divinis non sit nisi essentia et relatio, tertium enim fingi nequit, non videtur quidnam horum persona significare possit. Non enim potest significare solam essentiam, cum personae plures sint, essentia autem una tantum; ex altera autem parte, cum in definitione personae nulla fiat mentio eius quod est ad aliquid se habere, hinc persona in divinis non potest significare solam relationem. Quapropter, excluso quod persona significet disiunctive aut solam relationem, aut solam essentiam, videndum est quomodo possit significare simul utrumque. In quo tamen non una semper fuit theologorum sententia.

2. — **Prima sententia**. — Aliquibus, quos inter Magistro Sententiarum [1], visum est difficultatem solvi posse dicendo quod hoc nomen *persona*, ex vi nativa vocabuli, simpliciter essentiam in divinis significat, quemadmodum Dei nomina absoluta: Deus, sapiens, bonus, etc.; at, instantibus haereticis et obiicientibus usum vocis personae in plurali, et exinde pluralitatem essentiarum ingerentibus, illi dixerunt quod Conciliorum auctoritate vox illa fuerit accommodata ut, sicut pro essentia ponitur, cum dicitur singulariter, ita pro relativis poneretur, cum dicitur pluraliter aut cum partitiva voce, *alia*: ut sic persona significet divinam naturam, tres vero personae tres relationes aut tria relativa, et alia et alia persona aliam et aliam relationem aut relativum.

Sed haec positio difficultatem non solvit, imo potius auget. Si enim vox *persona*, ex vi nativa suae significationis, habet quod non significet aliud nisi essentiam in divinis, ex eo quod dicimus tres personas, nedum haereticorum quietaretur calumnia, maior potius calumniandi ansa eis faisset praebita, cum ipsius vocis naturali significationi potius quam

1. Dist. XXIII

arbitrariae Concilii dispositioni insistentes, et pluralitatem substantiarum propter personarum pluralitatem asserere, et Concilium erroris arguere non destitissent.

3. — Secunda sententia. – Excluso igitur quod persona in divinis significet naturaliter essentiam, et relationes tantummodo ex accommodatione, aliis visum est dicendum personam naturaliter significare utrumque, naturam nempe et relationem. At rursus dupliciter hoc esse potest: quia vel significat essentiam in recto, et relationem in obliquo, vel vice versa. Primam opinionem suadere videretur vis ipsa vocis personae: dicitur enim persona, quasi *per se una*: in quo unitas, quae directe importatur, pertinet ad essentiam, quod autem dicitur *per se* relationem oblique implicat: intelligitur enim Pater per se esse, quasi relatione distinctus a Filio. Secundae autem opinioni suffragatur quod, in definitione personae, natura ponitur in obliquo: dicitur enim rationalis naturae individua substantia: et hi quidem propinquius ad veritatem accesserunt.

4. — Canon. – Porro solvendae huic difficultati et veritatis statuendae causa S. Doctor canonem hunc praemittit: *Aliquid est de significatione minus communis: quod tamen non est de significatione magis communis.* Siquidem, quod est minus commune, ut verbi gratia, homo, aliquid includit quod non est de significatione magis communis, ut est animal, scilicet includit rationale; et ideo aliud est quaerere de significatione animalis, et aliud est quaerere de significatione animalis quod est homo. Igitur, aliquid claudit in significatione huius nominis *persona*, ut dicitur de hoc vel illo, quod non clauditur in significatione illius, ut dicitur in communi: unde aliud est quaerere de significatione huius nominis in communi, et aliud de significatione personae divinae.

Hisce positis, cum persona significet in communi substantiam rationalis naturae individuam, individuum autem sit quod est indistinctum in se, distinctum vero ab aliis, id significabit persona in quacumque natura, quod est distinctum in illa natura, sicut in humana natura persona significat mate-

riam signatam et signantem, has carnes, haec ossa, quibus fit aliqua res distincta in humana natura : et haec individuantia principia, licet non claudantur in definitione personae in communi, clauduntur tamen in ratione personae humanae.

Pari igitur ratione persona, ut dicitur in divinis, claudit in sui significatione illud quo fit res distincta in ipsamet natura divina. Sed hoc non est aliud nisi relatio, quia sola relatio est quae distinctionem in divinis facit, unde in intellectu subsantiae incommunicabiliter distinctae in divinis intelligitur relatio [1]. Quae tamen relatio in divinis non est sicut accidens inhaerens subiecto, sed est res subsistens, imo est ipsa essentia divina. Unde sit

5. — PROP. — **Persona divina significat relationem ut subsistentem.**

6. — **Prob.** — Id quo in divinis fit distinctio, est relatio. Atqui persona divina significat id quo in divinis fit distinctio. Ergo persona divina significat relationem. Atqui relatio quae est ipsamet divina essentia, in nomine personae significatur per modum substantiae. Ergo persona in divinis significat relationem ut est divina essentia, seu per modum substantiae, seu ut subsistentem; nam relatio in divinis non est aliud, nisi hypostasis subsistens in divina natura, licet subsistens in divina natura non sit aliud quam divina ipsa natura. Unde persona, verbi gratia Patris, significat in divinis paternitatem ut Deus est, seu ut est res subsistens.

7. — **Scholion.** — Et sic verificatur opinio quae dicebat personam in divinis significare relationem in recto et essentiam in obliquo. Nec tamen propterea sequitur omnino reiiciendam esse secundam opinionem quae tenebat personam in divinis significare essentiam in recto et relationem in obliquo; quia essentia idem est quod hypostasis: hypostasis autem significatur in divinis ut relatione distincta; unde relatio per modum relationis significata cadit in ratione personae in obliquo.

Et iuxta hanc doctrinam possunt conciliari duae sum-

[1] Ad 3^m.

morum doctorum prima fronte pugnantes sententiae. Prior est Boetii, qui dicit [1]: *Omne nomen, ad personas pertinens, relationem significat.* Altera est S. Augustini, qui ait [2]: *Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris, ad se quippe dicitur persona, non ad Filium.* Ubi constat Boetium magis inclinasse in sententiam, qua dicitur quod persona significat relationem in recto, essentiam vero in obliquo; Augustinum vero in alteram quae tenet personam significare substantiam in recto et relationem in obliquo.

Revera, utraque opinio verum dicit. Et prima quidem vera est ex dictis, eo quod persona significat relationem in recto et essentiam in obliquo, si intelligatur relatio non in quantum est relatio, sed quatenus relatio significatur ut subsistens; seu per modum hypostasis. Secunda quoque vera est, si sermo sit de relatione ut relatio est et secundum modum relationis, et de essentia prout identificatur cum hypostasi. Quod quidem est in Deo, in quo non differt quod est et quo est; unde et secundum Augustinum persona dicitur *ad se*, non ad alterum, quia significat relationem non per modum relationis, sed per modum substantiae, quae est hypostasis [3].

8. — **Difficultas.** — Id per quod respondetur interrogationi: *Quid?* significat essentiam, quid enim quaerit de essentia. Atqui interrogationi: Quid sunt tres in divinis? respondetur: Tres personae, iuxta illud S. Augustini [4]: *Cum dicitur: Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et quaeritur: Quid tres, respondetur tres personae.* Ergo nomen personae in divinis significat solam essentiam.

Resp. Dist. mai.: interdum, *conc.:* semper, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — *Quid* non solum quaerit de substantia, sed etiam de aliis. Quandoque quidem quaerit de natura quam significat definitio, ut cum quaeritur: Quid est homo? et respondetur: Animal rationale. Quandoque autem quaerit de supposito, ut cum quaeritur: Quid natat in mari?

[1] Lib. II. de Trin. — [2] Lib. VII. de Trin., c. 6. — [3] Ad 1m. — [4] Lib. VIII, de Trin., c. 4.

et respondetur: Piscis. In proposito, cum quaeritur in divinis quid tres? non quaeritur de substantia, sed de personis, et ita nomen *persona* in divinis non significat solam essentiam, sed relationem ut subsistentem [1].

9. — **Corollaria**. — I. Non est verum quod nomen *persona* ex vi suae significationis habeat quod significet solum absolutum, cum in divinis significat etiam relationem. Unde non ex sola Concilii auctoritate nomen istud hoc habuit, ut staret pro relatione, sed etiam ex ipsius nominis nativa indole, quamquam haereticis debitores simus quod suis calumniis provocaverint doctores catholicos ad huius vocis significationem intimius perscrutandam: et cum antea non fuisset perspectum quod nomen istud pro relativo stare posset, postea accedente studio accuratiori, ex ordinatione Ecclesiae et usu loquendi Patrum et Conciliorum, declaratum fuit quod nomen *persona* ex congruentia suae significationis posset stare etiam pro relativo.

II. Nomen istud, *persona*, non dicitur de Deo et creaturis univoce, nec pure aequivoce, sed analogice. Non univoce, ut constat, cum in Deo significet relationem ut subsistentem, in creaturis autem significet substantiam rationalis naturae individuam; nec pure aequivoce dicitur, quia diversa ratio minus communium non facit aequivocationem in magis communi, sicut licet alia sit propria ratio hominis et alia propria ratio equi, tamen univocatur in nomine animalis, quia communis definitio animalis utrique convenit. Ita, licet alia sit significatio personae divinae et alia significatio personae angelicae aut humanae, tamen communis ratio non est totaliter diversa. Nec tamen est totaliter eadem, ut videretur innuere exemplum S. Thomae de eadem ratione animalis in leone et in equo, sed partim eadem, partim diversa, sicut de ceteris nominibus dicendum est, quae communiter dicuntur de Deo et de creaturis [2].

10. — **Quaestio.** — Occasione horum S. Thomae, in corpore articuli, verborum: *Relatio in divinis non est sicut ac-*

[1] Ad 2m. — [2] Ad 4m. Cf. 1, Dist., XXV, Quaest. I, I, art. 2.

cidens inhaerens subiecto, sed est ipsa divina essentia; unde est subsistens, sicut divina essentia subsistit; sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina, potest fieri quaestio: *Utrum essentia divina subsistat; et dato quod subsistit, utrum haec sit quarta quaedam subsistentia tribus subsistentiis personarum connumeranda.*

Caietanus, Suarez, Billuart, et cum ipsis maior thomisticae scholae Theologorum pars absolutam essentiae subsistentiam admittunt, quam tamen reiiciunt Vasquez, aliique.

II. — Divina essentia subsistit. — Quod divina essentia subsistat, non potest dubium videri parumper consideranti subsistentiam esse perfectionem, imo summam perfectionem. Nec de mente S. Thomae fas est dubitare. Siquidem ipse divinam essentiam subsistere hic expresse docet, cum ait relationem in divinis esse subsistentem, sicut *essentia divina subsistit*, et exemplum quod adiicit hoc confirmat; quia cum dicit eo modo se habere paternitatem divinam ad Deum Patrem, quo modo se habet deitas ad Deum, inferri potest: si paternitas subsistit, ergo subsistat quoque deitas oportet.

Revera, essentiam divinam subsistere, toties S. Thomas affirmat, quoties de hac re sermo recurrit. Sic, alibi ait [1]: *In Deo ipsa essentia subsistens est; unde sibi, secundum se, debetur esse.* Rursus [2]: *Natura divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione.* Et iterum [3]: *In Deo sunt plures res subsistentes, si relationes considerentur; et una res subsistens, si consideretur essentia.* Ulterius [4]: *Suppositа divinae naturae non sunt principium subsistendi divinae essentiae, ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens.* Explicitius adhuc [5]: *Natura dicitur secundum quod est essentia quaedam; eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens.* Pariter S. Augustinus [6]: *Omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus* [7]?

Ex altera vero parte relationes subsistentes sunt, quemadmodum S. Doctor docet verbis superius relatis: nisi enim

[1] 3, Dist., VI, Quaest., XXI, a. 2, ad 2[m]. — [2] 1, Dist., XXI, q. II. — [3] C. Gent., l. IV, c. 14. — [4] De Pot., Quaest. IX, art. 5, ad 13[m]. — [5] 3, Quaest. II, art. 2. — [6] L. VII, de Trin., c. 4. — [7] Cf. S. Hieronymum, Ep. XXVII, ad Damasum; Cyrillum Alex., etc.

essent subsistentes, essent accidentia, quod in Deo repugnat. Cum ergo divina essentia subsistat, et relationes etiam subsistant, suntne propterea quatuor subsistentiae, aut quatuor subsistentes? — Ad quod solvendum, determinandum est quid nomine subsistentiae veniat, et quomodo ab incommunicabilitate subsistentia distinguatur.

12. — **Quid sit subsistentia.** — Ex verbis S. Thomae eruitur, quod esse subsistens evidenter opponitur τῷ esse accidens inhaerens subiecto: ex eo enim quod relatio in divinis non est accidens, concludit S. Thomas eam esse subsistentem. Igitur, esse subsistens significat esse per se, perseitate qua ab altero non dependeat in essendo. Iste est simplex et genuinus conceptus subsistentiae, quem etiam supra tradidimus [1], cum S. Thoma dicente: *Substantia, secundum quod per se existit et non in alio, vocatur subsistentia: illa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt.* Unde non est aliud, nisi quod vocamus communiter nomine substantiae, ut dividitur contra accidens, et est res cui competit esse in se et per se.

13. — **Quid sit incommunicabilitas.** Ex hoc sequitur subsistentiam non esse formaliter idem ac incommunicabilitatem. Nam incommunicabilitas formaliter significat distinctionem ab alio, et incommunicabile est quod est in aliqua natura distinctum: seu est id quo primo aliquid non est aliud. Igitur subsistentia et incommunicabilitas diversa sunt in sua formali ratione: illud dicit perfectionem, et quidem maximam perfectionem: istud vero abstrahit a ratione perfecti vel imperfecti, permissive se habens ad utrumque; quae duo concurrunt quidem ad constituendam personam, sed illud ut completivum, istud vero ut ultimo distinctivum; et si quid sit quod subsistat non tamen incommunicabiliter, non poterit dici persona nisi sensu latiori, sicut natura divina, cum subsistat non incommunicabiliter, non dicitur persona nisi improprie [2].

14. **Solutio.** - Igitur subsistit natura divina, subsistunt et personae: aliter tamen et aliter. Nam personae

[1] Art. 2, n. 3, p. 99. — [2] Cf. Tract. n. DE DEO UNO, Q. III, art. 3.

subsistunt incommunicabiliter, natura autem communicabiliter. Unde ad solvendam dubitationem utrum sint quatuor subsistentiae, satis erit inquirere undenam habeant personae quod sint subsistentes, utrum a se, an a subsistentia divinae naturae. Et si quidem primum detur, utique quatuor erunt subsistentiae inter se condivisae, scilicet una naturae et trina personarum; si vero alterum, tunc una erit subsistentia, scilicet essentiae, in qua tamen tres sunt subsistentiae relativae, ab absoluta quidem subsistentia solum virtualiter, inter se autem realiter distinctae, iuxta illud Concilii Constantinopolitani III [1]: *Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis.*

Quod personae divinae habeant ex substantia divinae naturae ut subsistant, ex hoc ostenditur, quod subsistentiam ex sese habere non possunt. Nam cum subsistentia dicat maximam in re perfectionem, si personae divinae haberent ex se quod subsistant, sequeretur quod ex sese formaliter maximam suam unaquaeque perfectionem consequeretur. Ergo in hoc non communicarent, et sic perfectio Patris non esset formaliter perfectio Filii, etc., ideoque aequalitas personarum non salvaretur.

Quod autem personae divinae ex se habeant quod subsistant distincte, seu incommunicabiliter, ex hoc evincitur quod personae ex se formaliter non habent nisi id quo formaliter sunt relationes oppositae. Atqui hoc non est nisi incommunicabilitas. Ergo personae ex se habent ut subsistant incommunicabiliter; quod ex eo habent, quod sunt ab invicem distinctae; sunt autem distinctae ex se. Quocirca, hinc quidem subsistentia personarum est ipsamet subsistentia divinae naturae; illinc vero subsistentia Patris non est subsistentia Filii; et ita est una subsistentia absoluta, et sunt tres subsistentiae relativae, quin propterea quaternitas subsistentiarum, induci debeat. Et ideo, *sicut deitas est Deus, ita paternitas est Deus Pater, qui est persona divina.*

Suppositа divinae naturae, ait Angelicus [2], *ad invicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi divinae*

[1] Act 11. — [2] De Pot., Quaest. XI, art. 5, ad 13[m].

essentiae: ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens; sed e converso proprietates personales habent quod subsistant ab essentia. Ex eo enim paternitas habet quod sit res subsistens, quia essentia divina, cui est idem secundum rem, est res subsistens: ut inde sequatur quod, sicut essentia divina est Deus, ita paternitas sit Pater. Et ex hoc est etiam, quod essentia divina non multiplicatur secundum numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in istis inferioribus. Nam ex eo aliquid secundum numerum multiplicatur, ex quo subsistentiam habet. Licet autem divina essentia secundum seipsam, ut ita dicam, individuetur quantum ad hoc quod est per se subsistere; tamen, ipsa una existente secundum numerum, sunt in divinis plura supposita ab invicem distincta per relationes subsistentes.

15. — Conclusio. — Unde ex aequo recedendum et ab iis qui volunt tres formaliter esse in Deo subsistentias relativas, non autem esse subsistentiam unam divinae essentiae, et ab iis qui volunt quartam dari in Deo subsistentiam, condivisam aut connumeratam ceteris tribus. Prima sententia derogat perfectioni essentiae Dei, perrumpit quoque formalem conceptum subsistentiae, quae est uniuscuiusque trium personarum propria; altera vero secumfert in ente simplicissimo distinctionem realem inter id quod absolute dicitur et id quod est ad alterum se habere.

Nec tamen propterea sequitur tres esse deos, seu tres deitates; nam Deus seu deitas dicit simpliciter et absolute *esse*, unde *tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur* [1]; sed subsistere dicit *esse per se*, unde in suo conceptu respectum claudit vel ad aliquid extra quocumque modo, et sic Deo absolute competit subsistere, id est existere per se, non in alio ut in subiecto, vel ad suum oppositum relative, et sic Patri competit subsistere per se incommunicabiliter, et similiter Filio et Spiritui Sancto.

Haec doctrina tractatum de Deo uno pervadit, in quo Deus consideratur ut subsistens et tanquam principium *quod* omnium divinae naturae operationum; actiones enim sunt

[1] Symb. Athan.

subsistentium. Sed et in tractatu de Incarnatione haec doctrina supponi debet, cum ibi [1] edoceamur quod divina natura, etiam abstracta per intellectum personalitate, assumere potuerit humanam naturam. Quemadmodum enim subsistentia relativa est principium operationum quae sunt unicuique personae propriae, ita illa subsistentia divinae naturae est principium operationum quae sunt toti trinitati communes.

[1] 3, Quaest. III, art. 2, et 3.

QUAESTIO QUARTA.

(XXX)

DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Totius tractatus de Sanctissima Trinitate praesens quaestio veluti centrum occupat: quae enim ad personarum origines, relationes et generalem notionem spectant, cognitioni trinitatis personarum praesupponi debuerunt, quam cognitionem plura subsecutura sunt, tum absolute circa singulas personas, tum relative circa personas in communi definienda. Hic autem propria de eo instituitur inquisitio, quod ad ipsius mysterii intrinsecam rationem pertinet, nempe de existentia plurium personarum in unitate essentiae; ex quo et plenius huius dogmatis osorum pervicacia retundi, et minus indigna de re tam alta notio a pia mente poterit colligi. Theologi igitur officium hic est, ea ex divinis Scripturis Patrumque scriptis documenta haurire et secundum fidei analogiam explicare, quae ad mysterium istud pertinent; adductis quoque iis illustrationibus quas ratio ex naturae conspectu potest adinvenire, excussis demum difficultatibus, quae ex male intellectis iis quae in natura habentur, possunt congeri. Quod quidem caute, et non sine errandi formidine catholicus praestare debet, ne propriis innixus viribus, naufragium in fide faciat; ideoque illum moniti S. Pauli meminisse oportet [1]: *Formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Iesu: bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis.*

2. — **Ordo articulorum.** — Cum igitur de pluralitate personarum in divinis sit sermo, duo inquirenda sunt: nempe

[1] 2 Tim., I, 13, 14.

de ipsomet personarum numero (1-2), et de iis quae ad hunc numerum consequuntur (3-4). Et primum quidem tum generaliter pluralitatem (1), tum specialiter determinatum numerum (2) personarum complectitur; alterum vero respicit tum ipsos terminos numerales, ut sciatur quid in Deo significent (3), tum ipsum personae nomen, ut eius communitas ad plures personas determinetur (4).



Quapropter hic quaeruntur quatuor:
Primo. Utrum sint plures personae in divinis.
Secundo. Quot sunt.
Tertio. Quid significent termini numerales in divinis.
Quarto. De communitate huius nominis, persona.

Articulus I. — *Utrum sit ponere plures personas in divinis.*

1. — **Praenotamen.** — Advertendum in antecessum est, quaestionem tum de pluralitate, tum de numero ternario personarum divinarum ad fidem simpliciter pertinere: unde argumenta rationis in hac re non petuntur, nisi pro dogmate declarando, illustrando, tuendo. At, quoniam doctrina de processionibus et relationibus divinis fidei divinae innititur, ex hac autem logice deduci potest personarum trinitatis existentia in unitate essentiae, hinc et ordinis methodo et studentium utilitati consulendum fore arbitramur, si documenta fidei post expensam doctrinam duorum priorum articulorum remiserimus, quae instar lucernae ea collustrabunt, quae ex fidei monumentis excerpemus.

2. PROP. **Sunt plures personae in divinis.**

3. – **Prob.** — Persona in divinis significat relationem ut rem subsistentem in divina natura. Atqui in divinis sunt plures relationes ut subsistentes in divina natura. Ergo sunt plures personae in divinis. — *Maior* resultat ex dictis articulo praecedenti. *Minor* vero ostenditur ex eo quod sunt plures relationes reales in divinis, quae quidem relationes reales sunt ipsamet divina natura, ergo sunt subsistentes subsistentia divinae naturae.

Porro, ista pluralitas summae Dei unitati et simplicitati non officit; quandoquidem non est pluralitas eorum quae absolute dicuntur, sed est pluralitas relationum in unitate essentiae, relationes vero, cum non praedicentur de aliquo nisi ut ad alterum, ideo compositionem in eo de quo dicuntur non important. Unde Boetius [1] de Deo loquens, cum dixisset quod illud vere unum est, in quo nullus est numerus, tamen, attento modo praedicationis in relationibus, agnoscit pluralitatem relationum et personarum unitati divinae non officere [2].

4. – **Difficultates.** — I. Ubicumque est numerus, ibi est totum et pars. Atqui in Deo propter summam eius simplicitatem repugnat ratio totius et partis. Ergo in Deo non est numerus et consequenter pluralitas personarum.

Resp. Dist. mai.: in acceptione intellectus secundum numerum abstractum, *conc.*; a parte rei secundum numerum concretum, *subd.*: in rebus creatis, *conc.*: in Deo *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Recolendum est duplicem esse numerum, numerantem, qui et abstractus, absolutus et simplex dicitur, ut duo, tria, quatuor, etc., et iste numerus est in acceptione intellectus tantum; nam numerus absolutus a rebus numeratis non est nisi in intellectu, et sic nihil prohibet in eo esse totum et partem, quod est esse totum et partem in apprehensione intellectus. Alius vero est numerus numeratus qui et concretus dicitur, et qui est in rebus numeratis, ut cum dicitur duo homines, etc.; et iste quidem numerus secum fert rationem totius et partium, ubicumque invenitur inaequalitas inter numerum et ea ex quibus con-

[1] L. I, DE TRIN. — [2] Ad 3[m].

stituitur, quod semper in rebus creatis evenit, in quibus, cum finitae sint, plus sunt omnes simul quam aliquae eorum. Sed in Deo, quia infinitus est, non plus sunt duae personae quam una, aut tres quam duae, sed tantus est Pater, quanta tota Trinitas [1], in qua *nihil maius aut minus* [2] est; sicut ostensum est in sancta Clara a Cruce de Montefalco, quae cum magno erga Sanctissimam Trinitatem devotionis sensu afficeretur, hoc in se fieri meruit, ut post mortem tres globuli *in* eius felle reperirentur, ad modum trianguli dispositi, colore, et imagine pares, quorum unus tanti ponderis esset ac duo aut tres simul [3].

II. Persona est substantia rationalis naturae individua. Atqui substantia in Deo non est multiplex. Ergo non sunt plures personae in Deo.

Resp. Dist. mai.: persona est substantia, etc., sumpta substantia pro supposito seu hypostasi subsistente, *conc.*: sumpta pro essentia *nego. Dist. min.*: substantia in Deo, sumpta pro essentia, est una, *conc.*, sumpta pro hypostasi subsistente, *nego. Nego. conseq. et conseq.* — Ex praemissis in articulo secundo quaestionis praecedentis ostensum est diversos esse sensus vocis *substantia*. Porro, in definitione personae, substantia non sumitur pro essentia, sed pro supposito, quod constat ex eo quod additur *individua*: et sic sumitur pro eo quod Graeci consueverunt appellare hypostasim; unde, sicut nos dicimus tres personas, ita Graeci dicunt tres hypostases. Nos tamen tres substantias dicere non consuevimus, ne intelligantur tres essentiae propter nominis aequivocationem, ut supra dictum est [4].

5. **Scholion**. — Praestat ad huius veritatis intelligentiam comparare inter se proprietates absolutas et relativas, et quidem, secundum differentiam, secundum quam inveniuntur in Deo et in nobis. — In creaturis, proprietates absolutae, verbi gratia, sapientia, iustitia, etc., sunt distinctae et non sunt subsistentes; in Deo vero res e contrario se habet, scilicet proprietates illae non sunt ab invicem dis-

[1] Ad 4[m]. — [2] Symb. Athan. — [3] Vita di S. Chiara da Montefalco, Roma, 1881, pp. 203, seq. — [4] Ad 1[m].

tinctae quia non opponuntur ad invicem, et tamen sunt subsistentes subsistentia divinae naturae in qua radicantur; unde non sunt plures res subsistentes, sed una tantum. Pariter, proprietates relativae, verbi gratia, paternitas, filiatio, in nobis sunt ab invicem distinctae, nec tamen sunt subsistentes, alias idem homo non posset simul esse filius et pater, nam paternitas constitueret unam personam, et filiatio alteram. In Deo vero proprietates relativae et sunt distinctae propter sui indolem et exigentiam, et sunt subsistentes propter divinam naturam, cuius subsistentia subsistunt; ideoque ad pluralitatem personarum in divinis ponendam, sufficit pluralitas harum proprietatum [1].

ARTICULUS II. — *Utrum in Deo sint plures personae quam tres.*

1. **Praenotandum**. — In primis notanda est quaestionis indoles. Non quaerit S. Thomas utrum in Deo personae sint *pauciores* quam tres, sed utrum sint *plures*. Cum enim iam constet esse in divinis plures personas ex eo quod sunt plures relationes subsistentes, hic supponi debet, tanquam sufficienter demonstratum, personas divinas plures quam duas esse debere, secus una tantum processio foret, cum termini alterius processionis essent identici terminis prioris processionis. Ex quo statim exploditur, tanquam dogmati de personarum Trinitate contraria, illa propositio Rosminii [2]: *Verbum, quatenus obiectum amatum, et non quatenus Verbum, id est obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti*. Exploditur etiam altera forsan absurdior hypothesis, secundum quam una processio esset generatio cum relationibus personalibus Patris generantis et Filii geniti, et altera processio esset quidem processio amoris, sed ita quod in Filio esset spiratio, et in Patre processio, quia sic una et eadem persona Patris esset simul et sub eodem respectu *principium* et *procedens*, quod repugnat.

Cum igitur satis constet in Deo personas pauciores quam tres esse haud posse, nunc non restat, nisi ut ostendatur eas pariter plures quam tres non esse; unde sit

[1] Ad 2^m. — [2] XXVI.

2. — PROP. — **Necesse est ponere tres tantum personas in divinis.**

3. — **Prob.** — Sane persona non est nisi relatio ut subsistens in divinis. Ergo oportet tot esse personas ab invicem distinctas, quot sunt relationes subsistentes ab invicem realiter distinctae. Sed illae tantum relationes in divinis distinguuntur ab invicem, quae ad invicem opponuntur: realis enim distinctio inter divinas relationes non habetur, nisi per oppositionem. Atqui tres tantum sunt relationes ad invicem ita oppositae, ut debeant ad tres distinctas personas pertinere, nempe paternitas, filiatio et processio. Ergo tres tantum sunt in divinis personae.

4. — **Exponitur.** — Revera duae sunt processiones reales, quae sic ad invicem se habent, ut non sit processio amoris, nisi praeintellecta et praesupposita processione intellectus. In ista porro processione duae sunt relationes, scilicet paternitas et filiatio, quae sunt realiter mutuo oppositae; ideoque ad unam et eamdem personam non possunt pertinere, sed necesse est eas pertinere ad duas distinctas personas. Rursus, in processione amoris duae sunt relationes, iterum realiter mutuo oppositae, videlicet spiratio et processio; et proinde nec istae ad eamdem personam possunt pertinere, sed debent pertinere ad distinctas personas. At duae relationes, scilicet spiratio et processio, licet sibi invicem opponantur, tamen non habent, ut sic, oppositionem ad relationes paternitatis et filiationis. Ergo impossibile est ut quatuor praedictae relationes quatuor personas constituant.

Quae cum ita sint, inquirendum nunc est quomodo relationes secundae processionis se habeant ad relationes prioris processionis. Porro, cum prius debeant concipi paternitas et filiatio, dato quod sint aliae duae relationes, scilicet spiratio et processio, oportet ut vel una harum conveniat utrique dictarum personarum, scilicet Patri et Filio, vel ut una conveniat uni, et alia conveniat alii. Atqui nequit esse quod processio conveniat Patri et Filio, aut alteri eorum, quia sic sequeretur quod processio intellectus, quae est generatio in in divinis, et secundum quam accipitur paternitas et filiatio,

prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio et processio, si scilicet persona generans et persona genita procederent a spirante, quod est contra ea quae superius dicta sunt.

Unde restat quod spiratio conveniat et personae Patris et personae Filii, utpote quae nullam habet oppositionem relativam sive ad paternitatem, sive ad filiationem; ideoque sequitur quod altera relatio, scilicet processio, conveniat alteri personae, scilicet personae Spiritus Sancti, quae per modum amoris procedit et quae licet non relatione, tamen origine paternitati et filiationi opponitur. Unde sunt tantummodo tres personae in divinis, videlicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ita ut una sit non procedens, altera autem a non procedente procedens, tertia vero a non procedente simul et a procedente procedens.

5. — Corollarium. — Quocirca, cum pluralitas personarum in Deo sit secundum pluralitatem proprietatum relativarum personalium, sive notionum personalium, tres tantum personae in divinis habentur, licet quatuor ibi sint relationes. Nam in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui inter paternitatem et filiationem, ex una parte, et spirationem ex alia, non obviat relationis oppositio: ergo spiratio non distinguitur a personis Patris et Filii, sed convenit utrique. — Et si quis ex hac responsione occasionem arripiat arguendi: atqui nec inter Patrem et Filium ex una parte, et processionem ex alia, intercedit relationis oppositio, *respondetur* quod adest utique oppositio relationis, in quantum sunt simul spirans; unde realis oppositio est inter ipsas, realisque personarum distinctio.

Ex quibus apparet quod, licet sint quatuor relationes reales, tamen tres tantum sunt proprietates aut notiones personales constituentes personas. Siquidem proprietas vel notio personalis ea est, quae uni tantum personae convenit, et constituit personam, et dicitur etiam relatio personalis, cuiusmodi sunt *paternitas*, quae constituit personam Patris, *filiatio*, quae constituit personam Filii, *processio*, quae personam Spiritus Sancti procedentis constituit [1].

[1] Ad 1^m. Cf. dicenda in quaest. XXXII, art. 3.

6. — Confirmatur. - Iuvabit, ex Angelici doctrina [1] eamdem ternarii personarum numeri veritatem rationibus dialecticis confirmare.

α) Ad summam bonitatem pertinet quod summe se communicet. Atqui hoc per solas creaturas fieri nequit, nam creatura non est capax divinam bonitatem summe participandi. Ergo haec communicatio aliam exigit personam, cui divina bonitas perfecte communicetur. Tertia quoque persona requiritur, cui perfecte communicentur mutuae inter has personas caritatis deliciae.

β) Amoris perfecti rationem tria complent: amans, amatum, et amor illa coniungens. Ergo in Deo, qui est purissimus amor, esse tres personae debent, sic ad invicem se habentes, ut duae mutuo se ament, tertia vero sit veluti utriusque nexus.

γ) Inter simpliciter dare divinitatis plenitudinem, et eam simpliciter accipere, medium est accipere et dare. Et sic simpliciter dare, ad personam Patris; simpliciter accipere, ad personam Spiritus Sancti; simul vero accipere et dare, sub diversis tamen respectibus, ad Verbi personam pertinet.

δ) Deus felix nequit esse nec gloriosus, sine caritate. Ipsa enim nihil est iucundius, et ex ea omnis provenit magnificentia. Sed caritas non est perfecta, nisi sit ad alterum, privatus enim amor non est vera caritas. Deum vero dedecet alium diligere perfecte, qui non sit infinitus, aut persona divina. Sed perfecte diligens non modo diligit, verum etiam vult id quod diligit ab alio diligi; siquidem magnae infirmitatis indicium est non posse pati consortium amoris. Ergo tres in divinis personae esse debent.

ε) In divinis non potest quidem esse nisi unum primum principium, cui competit innascibilitas. At cum duplex sit processio, una intellectus, alia voluntatis, operatio autem in Deo sit ipsummet eius esse, tum procedens per modum intellectus, tum procedens per modum voluntatis subsistentes sint oportet. Nec aliud verbum, aut alius amor admitti potest, quia intelligendo essentiam suam, Deus intelligit omnia, et volendo bonitatem suam, vult omnia quae vult. Et sic

[1] De Pot., Quaest. IX, art. 9.

clauditur veluti perfectissimo circulo divinae essentiae emanatio, cum Deus intelligendo se concipit Verbum suum, quod est etiam ratio omnium intellectorum per ipsum, et ex hoc Verbo procedit in amorem suiipsius et omnium. Unde dixit Mercurius Trismegistus: *Monas monadem genuit, et in se suum reflexit ardorem.* In nobis vero circulus ille completur quidem, sed non totaliter ad intra, cum anima a rebus quae sunt extra, species intelligibiles rerum colligens, fertur ad illud diligendum, ex quo suae cognitionis exordia duxit.

3) Demum, suaderi videtur haec personarum trinitas ex maxima divinae naturae nobilitate, necnon ex eius ad res creatas respectibus. Ex nobilitate quidem, ad quam pertinere videtur illa dos, quae nobiliores res penes nos exornat, scilicet fecunditas, unde Damascenus ait [1]: *Nefas est dicere Deum naturali fecunditate caruisse: fecunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, id est ex propria substantia, prolem natura similem sui edat.* Suadetur quoque ex respectu ad creaturas, in quibus cum tria iugiter inveniantur, nempe mensura, numerus, et pondus [2], seu ut habet S. Augustinus [3], modus, species et ordo, aut, ut idem Doctor exponit [4], *quo constat, quo discernitur, quo congruit,* invenire est vestigium principii tum efficientis, quod appropriatur Patri, tum exemplaris, quod appropriatur Verbo, tum finalis, quod appropriatur Spiritui Sancto; unde *processiones personarum,* ait S. Thomas [5], *sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quae sunt scientia et voluntas;* et antea dixerat quod artifex *per verbum intellectum et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur* [6].

E contra, tam secundum positionem Arii, quam secundum positionem Sabellii, infinitae personae essent admittendae. Et primo quidem, secundum positionem Arii, quia si Filius et Spiritus Sanctus sunt creatura, cum nullus creaturarum numerus possit Dei virtutem exhaurire, sic usque in infinitum personas poterit Deus creare. Sed et idipsum comprobatur expositione Sabellii, quia si Pater et Filius et

[1] L. I, DE FID. ORTHOD., c. 8. — [2] SAP., XI, 21. — [3] L. DE NAT. BON., c. 3. — [4] L. LXXXIII, QQ., quaest. XVIII. — [5] 1, Quaest. XLV, art. 6. — [6] IBID.

Spiritus Sanctus non distinguuntur nisi nomine et ratione, id est secundum diversitatem effectuum, ergo in infinitum possunt multiplicari, cum mens nostra, sumpta ratione ex Dei effectibus, infinitis modis illum excogitare, et vox nominibus absque limite eum nominare possit.

Huius autem Trinitatis aliqualis similitudo habetur *primo* in tota creatione, in qua illius, ut primae omnium causae, vestigia relinquuntur: videlicet Patris, in eo quod primo in unoquoque invenitur, nempe *esse in se unum subsistens*; Verbi, in eo quod in *forma* propria unaquaeque res constituitur; Amoris, in eo quod *ordine* quodam cum toto universo colligatur. Et ista est *similitudo vestigii*, quam sollers theologus, naturae secreta investigans, in singulis universi partibus facile inveniet, quasi transeuntis Dei pedis impressione relictam, iuxta illud [1]: *Forsitan vestigium Dei comprehendes?*

At, perfectior similitudo invenitur in homine, quem expresse ad imaginem conditoris sui factum fuisse Scriptura testatur [2]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Haec, quae vocatur *imago creationis*, viam aperuit sanctis Patribus, Augustino praesertim, analogiae theologicae, qua Dei invisibilem Trinitatem in mirabili isto microcosmo scrutarentur, cum personam Patris in ipsamet hominis subsistentis personalitate, personam Filii in verbo quod homo intra se producit, personam vero Spiritus Sancti in amore quo homo verbum mentis suae prosequitur, figuratas cernerent.

Denique, plenior longe similitudo in eo reperitur, quod homo primitus conditus est in Dei gratia, et consequenter divinae factus est consors naturae, quo quidem proprie spectant, ut docent Patres, Geneseos verba modo recitata. Quae similitudo post lapsum quoque invenitur, cum homo, Servatoris beneficio in participationem gratiae divinae restitutus fuerit, Deum in se cognoscendo et amando, quae participatio completur quando, lumine gloriae insignitus, facie ad faciem, arcanum Trinitatis mysterium intuetur, iuxta illud [3]: *Nos enim omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in*

[1] Iob, XI, 7. — [2] Gen., I, 26. — [3] 2. Cor., III, 18.

eamdem imaginem trasformamur. Et haec quidem est *imago recreationis* quae, inchoata in hac vita per gratiam, completur in altera per indesituram gloriam.

7. **Obiectio ad suadendam quaternitatem personarum in divinis.** — Tria sunt in Deo consideranda : natura, intellectus et voluntas ; cum autem non magis differat voluntas a natura quam intellectus ab eadem, sicut ponimus in Deo processionem per modum voluntatis distinctam a processione quae est per modum naturae, sic etiam aliam processionem ponere debemus per modum intellectus, distinctam a processione quae est secundum naturam, et sic tres erunt processiones : prima, qua aliqua persona procedit per modum naturae, ut Filius ; altera, qua aliqua procedit pro modum intellectus, ut Verbum : tertia, qua alia procedit per modum voluntatis, ut Amor ; et sic quatuor erunt personae, scilicet tres procedentes, et una a qua istae procedunt.

Respondetur quod illa persona, quae in divinis procedit per modum intellectus, non potest non procedere in similitudinem, et sic per modum naturae, ideoque debet dici Filius et non modo Verbum, et eius processio non modo conceptio vocari debet, sed generatio, quod non competit processioni amoris, licet Amor in divinis sit Deo coessentialis [1]. — Quare autem processio intellectus coincidat cum processione naturae, non autem processio amoris, multiplex, praeter adsignatam, potest ratio reddi. *Primo*, propter *originem*, quia scilicet processio intellectus, sicut processio naturae, non supponit aliam ; processio autem voluntatis supponit processionem intellectus. *Secundo*, propter *similitudinem*, quia sicut natura est principium producendi simile sibi, ita intellectus ; et quidem, tum ad intra, tum ad extra : ad intra sicut verbum, ad extra, sicut formam rei artificiatae. Voluntas vero non producit simile sibi nec ad intra, nec ad extra : non ad intra, quia producit quamdam impressionem qua voluntas fertur in volitum ; non ad extra, saltem primario, quia voluntas prius exprimit in artificiato formam intellectam, quam formam volitam. *Tertio*, ratione *unitatis*.

[1] Ad 2um.

quia sicut processio naturae est ab uno sicut ab agente, ita et processio intellectus; sed amicitia, quae est amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem se amantibus [1].

8. – **Obiectiones ad suadendum infinitum personarum numerum.** — α) *Analogica proportio.* Quanto aliquod ens est perfectius, tanto pluribus gaudet operationibus intrinsecis. Ergo Deus infinitis operationibus intrinsecis gaudere debet, secundum quas infinitae habeantur processiones, infinitaeque personae. β) *Infinita Dei bonitas.* Pater, ex infinita bonitate sua producit Spiritum Sanctum; sed et Spiritus Sanctus non secus ac Pater, infinita gaudet bonitate. Ergo et ipse aliam personam producere debet, et haec alteram, usque in infinitum. γ) *Ratio numeri.* Si in Deo sunt tres personae, ergo numerus est in Deo, et numeratum aut mensuratum cum omne mensuratum claudatur sub certo numero. Sed personae divinae sunt *immensae*, iuxta illud [2]: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.* Ergo non tres, sed infinitae sunt in Deo personae.

Resp. α) Ad *primum*, neganda est proportio, in eo quod usque ad Deum vult perduci; et sic distingui debet: in rebus compositis, quanto aliquod ens est perfectius, tanto pluribus gaudet operationibus intrinsecis, *conc.*; in rebus spiritualibus, *nego.* Imo hic valet inversa proportio: quanto aliquod ens est perfectius in rebus spiritualibus, tanto paucioribus operationibus suam explicat virtutem. Atqui Deus est in vertice perfectionis inter res spirituales. Ergo una tantum operatione totam suam explicat virtutem. Quocirca, in mundo visibili, incipiendo a rebus infimis, et usque ad supremam, quae est homo, assurgendo, invenimus quod perfectior res gaudet aliqua operatione intrinseca qua non gaudet res inferior: sic, verbi gratia, animal operationem habet sensus tum externi, tum interni, quam non habet planta, et homo habet intellectionem, qua caret animal. In ordine autem spirituali et invisibili, e contra res se habet; unde minimus angelus paucioribus donatur operationibus intrinsecis

[1] Cf. DE POT., Quaest. X, art. 2, ad 11[m]. Cf. etiam quae superius diximus, Quaest. XXVII, art. 2 et 3. — [2] Symb. Athan.

quam homo, et supremus angelus quam caeteri omnes: Deus autem maxime simplex et spiritualis unam tantum operationem perfectissimam habet, quae est ipsamet sua divina natura, et quam explicat duabus processionibus, intellectus nempe et voluntatis. Et huius diversitatis ratio alia assignari non valet, nisi quia in rebus visibilibus perfectio habetur per modum compositionis; in rebus vero spiritualibus, per modum simplicitatis maioris vel minoris, iuxta gradum uniuscuiusque [1].

β) Ad *secundum*, distinguenda est *minor*. Spiritus Sanctus habet infinitam bonitatem, quae est idem re cum bonitate Patris et sola ratione distinguitur, *conc.*; quae realiter distinguitur, *nego*. Una et eadem omnino est Patris et Spiritus Sancti bonitas, ratione tantum distincta, qua in Patre est, tanquam in communicante suam bonitatem infinite, in Spiritu Sancto autem, tanquam in habente infinite bonitatem ab alio. Quapropter, ista distinctio non est, nisi per relationes personarum; unde, cum oppositio relationis non permittat ut, cum relatione Spiritus Sancti sit relatio principii respectu personae divinae, quia ipse procedit ab aliis personis, quae in divinis esse possunt, ideo bonitatem suam Spiritus Sanctus non potest aliis personis communicare. Communicaret quidem aliis personis Spiritus Sanctus suam bonitatem, si ista sua bonitas esset alia numero a bonitate Patris: at una eademque est, sicut una est natura [2].

γ) Ad *tertium* animadverti debet quod ternarius numerus mensurationem in Trinitate non facit, unde sit necesse numerum infinitum personarum ponere, ad hanc mensurationem tollendam. Revera, numerus aliquis determinatus, si accipiatur abstracte et simpliciter, scilicet, pro numero numerante, qui est tantum in apprehensione intellectus, per unum quidem mensuratur. Pariter, si accipiatur numerus concretus aut numeratus in rebus quae constant partibus magnitudinis, sive continuae, sive discretae, est secundum se et realiter mensuratus; at, si accipiatur in rebus quarum est eadem prorsus magnitudo, sic non habet rationem mensurati, cum idem per idem non mensuretur. Talis autem

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 4[m].

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

est personarum Trinitas, in quibus eadem est magnitudo; unde non est necesse ponere infinitum personarum numerum; nec immensitas personarum, in symbolo athanasiano adserta, est secundum pluralitatem relationum subsistentium, sed secundum eamdem essentiae magnitudinem [1].

[1] Ad 5[m].

DISSERTATIO SPECIALIS.

PROBATIONES CIRCA MYSTERIUM SANCTISSIMAE TRINITATIS EX DOCUMENTIS FIDEI DESUMPTAE.

Quanquam, ut ex superius traditis satis abunde constat, mysterium Sanctissimae Trinitatis clare manet probatum ex catholica doctrina de divinis processionibus, opportunum tamen hic erit documenta fidei in unum congerere, quibus huiusmodi mysterium innititur. Haec autem ex quinque capitibus erui possunt, videlicet: 1 ex definitionibus Ecclesiae; 2 ex Veteri Testamento; 3 ex Novo Testamento; 4 ex Patrum doctrina; 5 ex Ecclesiae traditionibus.

1. — **Definitiones Ecclesiae.** — Primo loco veniunt vetustissimi symboli apostolici de quibus, sub nomine regulae fidei, mentio iam invenitur apud S. Irenaeum [1], Tertullianum [2], Novatianum [3] et Origenem [4]. Huiusmodi symboli, sub formis paulo diversis, scilicet romana, aquileiensi, ravennensi, africana, hispanica, gallica, alexandrina, caesareensi, antiochena, hierosolymitana, etc., unam Ecclesiae per totum orbem diffusae fidem in Sanctissimam Trinitatem constantissime exhibent. Quam fidem symbolus, ab incerto auctore saeculo V ineunte, sub evulgato S. Athanasii nomine, inscriptus, ita explicite tradit: *Fides... catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.*

Sed et priora quaeque Ecclesiae Concilia huius fidei tuendae curam suscepere, maxime Nicaenum, anno 325, adversus Arii de Filio impium dogma coactum, necnon Constantinopolitanum, anno 381 adunatum adversus Macedo-

[1] CONTRA HAER., l. I, c. 19, n. 3. — [2] L. DE VIRGINIBUS VELANDIS, c. 1; necnon ADV. PRAXEAM, c. 2, etc. — [3] DE TRIN., cc. 1, 9, 29. — [4] DE PRINC. PRAEF., nn. 4, 5.

nium qui Spiritus Sancti divinitati obsistebat, in quibus duobus conciliis adserta est catholica fides de Trinitate personarum in unitate indivisae essentiae, quam fidem in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano Ecclesia universalis profitetur. Haec autem fides iterum in Lateranensi Concilio IV sancita est, in quo definitum est quod *in Deo solummodo Trinitas est, non Quaternitas* [1]. Fidei autem symbolum, *quo tanquam scuto contra omnes haereses*, Ecclesia romana iam inde a tot saeculis usa fuerat, concilium Tridentinum [2] solemniter recognovit et confirmavit.

2. — Probationes ex Veteri Testamento. — Quanquam Trinitatis mysterii revelatio non tam aperte facta fuit in Veteri Testamento, tum propter Iudaeorum ad idololatriam nativam propensionem, tum propter reservandam Christi praedicationi abundantiorem huius mysterii revelationem, non desunt tamen loci, quibus insinuantur, tum generaliter pluralitas, tum speciatim trinitas personarum in divinis. Quocirca, licet a vulgo mysterium istud tantummodo valde subobscure cognitum fuerit, tamen, quod a prophetis et a doctioribus inter Iudaeos expresse cognitum fuerit, non debet in dubium verti [3]. Unde non sine magna temeritate negari potest doctrinam hanc contineri in Veteri Testamento, cum Christus et Apostoli illius auctoritati saepius innitantur, ad divinitatem tum ipsiusmet Christi, tum Spiritus Sancti, adstruendam. Ex pluribus autem locis, quae adduci possent, sequentia, quae potiora sunt, seligimus.

I. In Genesi legitur [4]: *In principio creavit Deus caelum et terram*; quod in hebraïco ita legitur: בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ; ubi, cum subiectum verbi in plurali numero, et verbum ipsum in singulari ponantur, satis aperte innuitur plures in divinis unam eamdemque operationem habere communem, communemque naturam.

II. Pariter, in eodem libro legitur [5]: *Vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem et simi-*

[1] Pro copiosiori segete definitionum Ecclesiae in hac re, cf. Denzinger, Enchiridion Symbolorum et Definitionum, *passim*. — [2] Sess. III. — [3] Cf. 2 2^{ae}, Quaest. II, art. 8. — [4] I. 1. — [5] I. 25. 26.

litudinem nostram. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ; ubi verba *vidit* et *ait* singulari numero posita essentiae unitatem, voces autem *Elohim* pro *Deus*, *faciamus*, et *nostram*, plurali numero positae, pluralitatem personarum evidentissime commonstrant. *Subiungens illud* FACIAMUS, ait Theodoretus [1], *expressit numerum personarum: similiter cum iterum singulari numero dixit* IMAGINEM, *eamdem esse naturam ostendit*. Nec pluralis numerus maiestatis est significativus, ut vellent aliqui, cum numerus pluralis qui est maiestatis indicium, usurpetur ad significandum quod optimatum consiliis principis voluntas innititur: Dei autem voluntas nullius eget, nulliusque capax est consilii; nec, ut vellent Unitarii, numero plurali res extraneae naturae significantur, quasi Deus angelos alloqueretur, quia nulla creatura, in opere creationis hominis, actionem aliquam, etiam sub ratione instrumenti, habere potuit. Unde modus quo Deus semetipsum alloquitur, explicite innuit esse in eo alium in hypostasi distinctum, licet eiusdem deitatis consortem. *Sunt insignes profecto inuiae*, ait S. Basilius [2], *unum aliquem invenire, qui sibi imperet,... heriliter seipsum vehementerque urgere et exhortari.*

III. Rursus, in eodem libro habetur [3]: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנִּי, quae locutio evidenter innuit plures esse in divinis personas: secus enim sensus iste irrisorius haberetur: *Ecce Adam quasi unus ex me factus est.*

IV. Similiter, in Psalmo CIX invenitur scriptum [4]: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dexteris meis...: ex utero ante luciferum genui te*: quo loco Christus usus est [5], ad ostendendam suam divinitatem; rectissime quidem, quia nisi ipse Deus fuisset, et a Patre distinctus, non potuisset dicere se a Patre fuisse genitum; cum nemo seipsum generet, aut generet aliquem alterius naturae; insuper, nec se ad Patris dexteram sedere dicere potuisset, cum nemo ad dexteram suimetipsius sedere valeat, ut absurde ponebat Praxeas.

V. Demum, dignus est qui citetur locus ille Isaiae [6]:

[1] INTERROG., XIX, IN GEN. — [2] ROM. IX, IN HEXAM. — [3] III, 22. [4] 1-3. — [5] MATTH., XXII, 44. — [6] VI, 3.

(Seraphim) *clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ יְהוָה צְבָאוֹת. Porro haec verba connectuntur cum illis, de quibus ait Christus [1], quod: *Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo*; et [2] testatur Paulus Spiritum Sanctum tunc per Isaiam locutum fuisse. Unde Rabbi Ionathan et Rabbi Simeon sic illud exponunt [3]: *Sanctus, hic est Pater, Sanctus, hic est Filius, Sanctus, hic est Spiritus Sanctus.*

3. — **Confirmatur.** — α) Ex illis locis, in quibus vel Deus ipse de *se pluraliter loquitur*, vel hagiographi Deum pluraliter nominant, verbi gratia, cum dixit Deus [4]: *Venite, ascendamus.*

β) Ex *trina repetitione* saepius in Scripturis usitata, verbi gratia [5]: *Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est*; similiter [6]: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*; et iterum [7]: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum*; pariter [8]: *Audi me, Iacob et Israël quem ego voco, ego ipse, ego primus et ego novissimus*; et rursus [9]: *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus eius.*

γ) Ex *provocatione* a Deo facta ad alium, qui et ipse est Deus, ut in hoc [10]: *Domui Iacob miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo.*

δ) Ex *theophania* illa, in Veteri Testamento consignata, qua legitur Deus, sub specie trium virorum, apparuisse Abraham in convalle Mambre [11]: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis.* Cum autem aliquando pluraliter, aliquando singulariter postea nominentur, hinc S. Augustinus ait [12]: *Tres vidit et unum adoravit*; et rursus [13]: *Nonne unus erat hospes in tribus, qui venit ad patrem Abraham?* [14].

[1] Io., XII, 41. — [2] Act., XXVIII, 25. — [3] Galatin., l. II, c. 20. — [4] Gen., XI, 7. — [5] Deut., VI, 4. — [6] Ps., LXVI, 7, 8. — [7] Ibid., CXII, 1, 2. — [8] Is., XLVIII, 12. — [9] Vers. 16. — [10] Os., I, 7. — [11] Gen., XVIII, 2, 3. — [12] L. II, Contra Maxim., c. 13. — [13] Serm., CLXXI. — [14] Aliae duae celebres theophaniae recensentur in historia

4. — **Probationes ex Novo Testamento.** — At, quanquam existentia mysterii Sanctissimae Trinitatis in Veteri Testamento aliqualiter revelata fuit, tamen, cum lex gratiae, quae per Christum nobis concessa fuit, in huius mysterii fide et participatione consistat, ideo necessarium fuit ut nova et longe explicitior illius revelatio ab ipsomet Christo, Novae Legis latore, fieret. Quocirca, in Novo Testamento innumeri sunt loci, in quibus huius mysterii fides adstruitur, ex quibus sequentes, qui potissimi sunt, adducimus.

I. Apud S. Lucam legitur [1]: *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de caelo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*, καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει ὡς περιστερὰν εἰς αὐτὸν, καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι· Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν σοὶ εὐδόκησα. Sane, explicitior de trium divinarum personarum existentia declaratio desiderari haud posset; ubi insuper subobscure innuitur earumdem consubstantialitas.

II. Pariter, apud S. Matthaeum [2]: *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Quod *in nomine* in singulari dicitur, unam significat esse trium personarum essentiam, virtutem et operationem; quod autem replicatur articulus ante unamquamque personam, distinctionem earumdem innuit.

III. Similiter, in Ioannis Evangelio habetur [3]: *Ego et Pater unum sumus.* Et rursus [4]: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis*, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν... κἀγὼ ἐρωτήσω

Agar (GEN., XVI), necnon in illo Geneseos loco, ubi angelus qui Iacob imperat ut revertatur ad patrem, dicitur esse Deus: *Dixitque angelus Dei ad me in somniis... Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem et votum vovisti mihi* (GEN., XXXI, 11, 13); at istae duae theophaniae proprie ad mysterium SS.mae Trinitatis non pertinent.

[1] III, 22. — [2] XXVIII, 19. Opportune hic notabitur, vocem graecam μαθητεύσατε non simpliciter significare *docete*, sed proprie, *discipulos facite*; unde fidei praedicatores monentur, munus sibi committi gentes ad Christi scholam reducendi. — [3] X, 30. — [4] XIV, 16, 17.

τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. In quorum priori testimonio expressa refertur tum consubstantialitas, tum distinctio Patris et Filii. *Connexus*, ait Tertullianus [1], *Patris in Filio, et Filii in Paraclyto tres efficit cohaerentes, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est*: EGO ET PATER UNUM SUMUS. In posteriori vero explicitius traditur distinctio Filii rogantis Patrem, Patris rogati a Filio, et Spiritus Sancti a Patre mittendi. Unde S. Athanasius ait [2]: *Cum Christus de se loquitur, dicit EGO: cum de Patre, dicit ILLE; cum de Spiritu Sancto, subiungit ALIUM; nonne igitur manifestae pertinaciae est negare tres?*

IV. Rursus, apud eumdem Ioannem habetur [3]: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*, τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, πατήρ, λόγος καὶ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν.

Haec est celebris illa pericope, de cuius authenticitate diu dubitatum fuit, propterea quod in textibus syriaco et arabico, et in antiquae italae versionis exemplaribus desiderari videtur, necnon quia hoc versiculo usi non sunt illi ex Patribus, qui, data opera, contra Sabellianos, Arianos et Macedonianos dimicaverunt. Authentiam tamen commatis suadere videntur tum diuturnus illius usus in Ecclesia; tum quod dici potest locum hunc congruere epistolae indoli, quae erat ut Christi divinitas in clara luce poneretur, ostensa personarum distinctione in naturae identitate; tum demum quod omissio illa amanuensium incuriae facile adscribi potest, qui ex magna huius versus similitudine cum versiculo immediate subsequenti, oculo errante, illum omittere potuerunt.

Ne ingrediamur in hanc intricatam quaestionem historico-exegeticam, hoc tantum dicamus, scilicet nobis satis constare de auctoritate *dogmatica* huius loci, ex pacata illius in Ecclesia per tot saecula possessione. Iam inde, a saeculo tertio, S. Cyprianus scribebat: *De Patre, et Filio, et Spiritu*

[1] L. CONTRA PRAXEAM, c. 25. — [2] In hunc loc. — [3] I EP., V, 7.

Sancto scriptum est: ET HI TRES UNUM SUNT [1]. Nec silendus Vigilius, Tapsensis Episcopus, qui in libro primo *de Trinitate* haec habet: *In hoc exemplo veritatis, in quo nomina personarum evidenter sunt ostensa, et unitum nomen divinitatis clause est declaratum, dicente Ioanne Evangelista in Epistola sua:* TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DICUNT IN CAELO, PATER, ET VERBUM, ET SPIRITUS: ET IN IESU CHRISTO UNUM SUNT; *non tamen ūnus est; quia non est in his persona* [2].

Sileri demum non debet, a S. Inquisitionis Congregatione, feria IV, 13 ianuarii 1897, declaratum fuisse, authenticitatem huius versus tuto negari aut in dubium revocari haudquaquam posse, quam sententiam Leo XIII confirmavit [3].

5. — **Probationes ex doctrina Patrum.** - Cum pene infiniti sint loci in quibus Patres suam in Sanctissimae Trinitatis mysterium fidem consignaverunt, nonnisi antenicaenorum Patrum testimonia hic adducemus, cum haeretici ultro concedant post Nicaenam Synodum unanimem fuisse hac in re Ecclesiae Patrum doctrinam. Ubi sedulo advertendum est quod, si quando Patres et Doctores, adversus gnosticos aut gentiles philosophos disputantes, vocibus paulisper ab iis quae iam consecratae sunt diversis usi sint, hoc ideo fuit, quia ista vocum significatio nondum plane defixa fuerat,

[1] L. DE UNITATE ECCLESIAE. Quod hisce verbis subsequentem versiculum (nempe 8) de personis Sanctissimae Trinitatis S. Cyprianus mystice interpretetur, quod quidem S. Augustinus omnium primus fecisse perhibetur (Vide Franzelin, DE TRIN., pp. 52, sqq., IV. Ed.). gratuito illi Patri, ad eludendam eius testimonii vim, a quibusdam imponitur. — [2] BIBLIOTH. PATRUM, t. VIII, p. 775. Cf. l. V, et VII. — [3] Huius commatis authentiam minime respici in Concilii Tridentini (Sess. IV, Decret. de can. Script.) definitione, nonnulli contendunt, eo quod, ut aiunt, hoc comma non sit pars *notabilis*, et in *veteri Vulgata* non habeatur. At quaenam sit notabilis pars, sensu potius, quam longitudine, iudicari debet; vetus autem Vulgatae editio a Concilio recensita non ea est quae ante S. Hieronymum in usu habebatur, sed *quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* IBID., Decret. de *edit. et usu Sacror. Libror.* Cf. G. ARENDT, S. I., de vi decreti S. Officii in comma IOANN. Anal. Eccles. 1902, fasc. Ian., pp. 36, seq.

aut quia in Platonis philosophia edocti, eius luce, ubi christianae religioni non adversabatur, catholica dogmata collustrare conabantur.

Porro, cum huius rei tot ex prioribus saeculis testes existere dici possint, quot unquam de Trinitate scripserint, rem utiliorem facturos esse nos arbitramur, si paucorum tantummodo, et quidem ex antiquioribus, delectorum Patrum, eorumque qui insigniorum ecclesiarum traditiones repraesentant, testimonia adduxerimus.

I. Primo loco afferri potest auctoritas *S. Clementis* Romani, Pauli coadiutoris, Petrique in sede romana successoris († A. D. 100), qui *romanae* Ecclesiae fidem in Sanctissimam Trinitatem ita testatur [1]: *Sceptrum maiestatis Dei, Dominus noster Iesus Christus, non venit in iactantia ignorantiae, neque superbiae, cum illud posset, sed in humilitate, quemadmodum Spiritus Sanctus de ipso locutus est. Ait quippe* [2], *quoniam* NON EST SPECIES EI, NEQUE GLORIA. Rursus, eiusdem Romanae Ecclesiae fidei in Trinitatem testem habemus S. Iustinum martyrem († A. D. 167) qui, licet in Syria Palestinae natus, binas tamen christianae fidei apologias Romae imperatoribus Antonino Pio et Lucio Aurelio Commodo obtulit, in quarum secunda haec habet: *Hunc* (Patrem) *et qui ab eo venit... Filium, et Spiritum propheticum, colimus et adoramus, cum ratione et veritate venerantes.* Ubi etiam fatetur christianos baptizari in nomine *rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei et Servatoris Iesu Christi, et Spiritus Sancti.*

II. Ecclesiae *Antiochenae* fidem in hoc mysterium testatur S. Ignatius († A. D. 107), qui Ioannis Evangelistae discipulus olim fuerat. Hic ita scribit [3]: *Studete ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et caritate in Filio et Patre et Spiritu Sancto... Subiecti estote Episcopo et vobis mutuo, ut Iesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui Sancto*

III. *Smyrnensis* Ecclesiae traditionis testis est S. Polycarpus et ipse Ioannis Apostoli discipulus († A. D. 169), qui in suprema sua oratione ita Trinitatem invocat: *Pater uni-*

[1] In 1 Ep. ad Cor., n. 16. — [2] Is., LIII, 2. — [3] In Ep. ad Ephes.

geniti et benedicti Filii tui Iesu Christi, benedico te, qui me in hanc diem perducere dignatus es, ut partem capiam in consortio et in calice Christi tui... in incorruptione Spiritus Sancti... Quapropter, de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Iesum Christum, unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in saecula saeculorum.

IV. Lugdunensi in *Galliis* Ecclesiae tunc temporis praeerat inclytus S. Irenaeus († A. D. 202), Polycarpi discipulus, qui haec habet [1]: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata... accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem et in unum Iesum Christum Filium Dei... et in Spiritum Sanctum.*

V. Nec praetereunda est celebris Ecclesia *alexandrina*, in qua sub fine secundi et decursu tertii saeculi insignes christianae fidei catecheses habitae sunt, duce praesertim, inter illius doctores, Clemente ab hac urbe dicto alexandrino († A. D. 217), qui ait [2]: *O mirandum mysterium! Unus quidem est universorum Pater, unum simul et Verbum seu ratio omnium rerum, atque unus Spiritus Sanctus qui ipse est in omnibus rebus.* Et rursus [3]: *Laudemus unum Patrem cum Filio... una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum.* Clementis testimonio suffragatur auctoritas Origenis († A. D. 254), qui Trinitatis fidem ita tradit [4]: *Nos credimus, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres hypostases.*

VI. Demum, ne longiores simus, digna est omnino quae recordetur Ecclesiae *africanae* in hac re consensio, cuius fidei testis imprimis Tertullianus († A. D. 240) existit, qui integrum librum ad hanc fidem adstruendam conscripsit contra haereticum Praxeam. Ibi ait [5]: *Nos unum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et Filius, sermo ipsius, per quem omnia facta sunt... hunc missum a Patre in Virginem et ex ea natum hominem et Deum... qui exinde miserit Paracletum sanctificatorem fidei eorum qui credunt in Patrem,*

[1] L. de Haeres., c. 2. — [2] In Pedagog., l. I, c. 6. — [3] L. III, c. 12. — [4] Tract., XI, in Io., n. 6. — [5] C. 2.

Filium et Spiritum Sanctum. Et [1]: *Est Trinitas unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.* Sanctus pariter Cyprianus († A. D. 258) eiusdem ecclesiae fidem facit cum de eo qui ab haereticis baptizatus est, scribit [2]: *Si peccatorum remissam consecutus est... templum Dei factus est, quaero cuius Dei? Si Creatoris non potuit, quia in eum non credidit, si nec Christi fieri potuit, templum qui negat Dominum Christum, si Spiritus Sancti, quomodo Spiritus placatus ei esse potuit, qui aut Patris aut Filii inimicus est?*

VII. Haec antiquorum Patrum doctrina ita ab Scholasticorum principe S. Ioanne Damasceno resumitur [3]: Ὁ πατὴρ λόγου γεννήτωρ, καὶ διὰ λόγου προόλεὺς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος. Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκφαντορικὴ τοῦ κρυφίου τῆς θεότητος δύναμις τοῦ πατρός· ἐκ πατρὸς μὲν δι᾽ υἱοῦ ἐκπορευομένη, οὐ γεννητῶς, — *Pater Verbi genitor est, et per Verbum revelantis Spiritus productor. Spiritus Sanctus est Patris virtus enunciatrix absconditorum Deitatis, ex Patre per Filium procedens, non per generationem.* Et rursus: Εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὁ υἱός, καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, δι᾽ οὗ ὁ Χριστὸς ἐνοικῶν ἀνθρώπῳ δίδωσιν αὐτῷ τὸ κατ᾽ εἰκόνα. Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μέσον τοῦ ἀγεννήτου καὶ τοῦ γεννητοῦ, καὶ δι᾽ υἱοῦ τῷ Πατρὶ συναπτόμενον. — *Patris imago Filius est, et Filii Spiritus, per quem Christus in homine habitans dat ipsi imaginis praerogativam. Spiritus Sanctus Deus est, medius inter ingenitum et genitum, et per Filium Patri connexus.*

6. — Probationes ex traditione Ecclesiae. Traditionem Ecclesiae hic vocamus, non ut vox ipsa indicare videretur, doctrinam Patrum et Doctorum libris consignatam, aut Conciliorum definitiones; de his enim iam satis egimus; sed quaecumque in Ecclesiae fastis res gestae consignantur, quod per summa capita, ne longiores simus, meminisse sat fuerit.

I. Primo loco venit Ecclesiae *liturgia*, in qua invenitur lex supplicandi, quae legem credendi statuit. Porro, fides Ecclesiae potissime manifestatur tum in pervetustis orationibus in sacrificio adhibitis, tum in doxologiis hymnorum, nec-

[1] L. de Pudic., c. 21. — [2] Epist. ad Iubaian. — [3] de Div. Nom., c. 13.

non in trisagio seu hymno cherubico, cuius forma primitiva constanter haec fuit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt caeli et terra gloria eius, benedictus in saecula. Amen* [1]. In Concilio Chalcedonensi [2] relate ad Dioscori condemnationem, Ecclesia haec verba addidit: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Cum autem Petrus Gnapheus, ut haeresim Theopaschitarum seu Patripassianorum, dicentium naturam divinam passam fuisse in cruce, introduceret, hanc clausulam addidisset: *qui crucifixus es pro nobis*, in pluribus provinciis simplex ista formula addita est: *Sancta Trinitas, miserere nobis.*

II. Succedunt *Archeologiae sacrae* monumenta, quibus fides in Sanctissimae Trinitatis mysterium consignata reperitur. Haec quidem pauca sunt, cum prisci christiani Trinitatem, sub creatae aut humanae rei figura, repraesentare abnuerent, ne Deum corporeum esse insinuare viderentur, iuxta illud S. Augustini: *Quidquid, cum ista cogitas, corporeae similitudinis occurrit, abige, abnue, nega, respue, fuge:* attamen, penitus non desunt symbola quibus fidem suam in Sanctissimam Trinitatem expressam reliquerunt. Huius generis symbolum eruditi viri complures non haesitant agnoscere in antiquis triangu'i figuris, quibus saepius uniebatur Monogramma Christi [3]. Deinde scimus mysterium Trinitatis, una cum Symbolo, traditum fuisse illis ex catechumenis qui in supremo gradu constituti *competentes* dicebantur; et a S. Zenone Veronensi accipimus [4], neobaptizatis distributa fuisse nummismata Sanctissimae Trinitatis symbolum gerentia. Denique, non infrequenter, inter antiquas picturas invenitur repraesentatio apparitionis trium angelorum Abrahae factae, necnon Domini Nostri Iesu Christi baptismatis, de qua, prouti exstabat Nolae in ecclesia S. Felicis, eruditi coniectantur S. Paulinum ita scripsisse [5]:

> *Toto coruscat Trinitas mysterio.*
> *Stat Christus amne, vox Patris caelo tonat,*
> *Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.*

[1] Ita in CONST. APOST., c. LXXII. — [2] Act. I. — [3] EP., CXX, 13. — [4] Vide Martigny, DICT., DES ANT. CHRÉT., art. *Triangle.* — [5] L. I. TRACT., XIV, 4. — [6] Apud Martigny, op. cit., art. *Trinité.*

Nec praetereundum est in coemeterio Domitillae inventum fuisse epitaphium pervetustum, quod ad *regulam fidei* circa Sanctissimam Trinitatem alludit, et cuius haec sunt ultima verba: *Credidit in Christum Iesum, vivit in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto* [1].

III. Praeterea, huius in Ecclesia fidei testes sunt quotquot ex martyribus aut pro huiusmodi mysterio mortem libenter occubuisse, aut in mortis discrimine versati, trium divinarum personarum auxilium invocasse narrantur. Quos inter satis erit unum alterumve meminisse. Ita Martialis Cordubensis: *Consolatio mea Christus est, quem illi* (confessores) *gaudentes et exultantes voce praeconia testantur. Ideoque confitendus et laudandus est Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.* Pariter Iulitta Tarsensis iamiam moritura, has ad Iesum Christum porrigit preces: *Benedicat spiritus meus Patrem tuum, sanctumque Spiritum in saecula.* Pariter S. Afra: *Tibi offero sacrificium meum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum* [2]. In passione quoque S. Sixti papae et martyris, legimus quod Pontifex, rogante Gallieno ut sacrificaret diis, respondit: *Ego semper sacrificavi et sacrificabo Deo Patri omnipotenti, et Domino Iesu Christo Filio eius, et Spiritui Sancto hostiam puram et immaculatam.*

IV. Demum huius fidei constantem in Ecclesia traditionem evincit *historia omnium haereseon*, quae contra huiusmodi mysterium unquam suscitatae sunt, quaeque vix ortae innumeros fidei catholicae defensores catervatim suscitaverunt ; ita ut hac in re maximam vim habeat argumentum ex praescriptione : Si quid sit quod in universa Ecclesia teneatur, cuius origo minime indigitari valeat, quinimmo cuius negationi fidei defensores fortiter obstiterint, hoc profecto tanquam divinitus revelatum habendum est: tale autem est Trinitatis mysterium. Qua in re faciunt verba Tertulliani contra Praxeam qui ex Montani discipulo, Patripassianorum sectae auctor fuit, qui etiam Monarchici dicti sunt, quasi unitatem principii in Deo ex falso adserta unitate personae

[1] Armellini, Gli antichi Cimiteri cristiani di Roma e d'Italia, p. 457, Roma, 1893. — [2] Cfr. Ginoulhiac, Hist. du Dogm. cath., t. II, l. 6.

defenderent : *Hanc regulam ab initio Evangelii viguisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam novellitas Praxeae hesterni* [1].

Articulus III. — *Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis.*

1. — Ratio dubitandi. — Notum est unitatem esse duplicem, scilicet transcendentalem et numericam. Prima nihil addit reale supra ens, sed tantum aliquid rationis, nempe privationem divisionis; altera vero aliquid reale addit ad genus quantitatis reductive pertinens, scilicet esse principium numeri. Porro, cum de unitate Dei determinatum fuerit, in quaestione undecima, hoc sensu quod Deus sit maxime unus, quia est maxime ens et maxime indivisus, nunc, cum in Deo uno tres subsistere personas noverimus, dubium exsurgit qua ratione multitudo, quae unitati opponitur, sumi debeat in hoc mysterio, seu quid ponant in divinis termini numerales. Et dubitatio ex hoc oritur quod, cum uni, quod est principium numeri, opponatur multitudo ut mensuratum mensurae, uni vero, quod dicitur transcendentaliter, opponatur multitudo ut divisum indiviso, sicut habitus opponitur privationi, quocumque modo sumatur in divinis multitudo, offendi videtur contra maximam Dei simplicitatem, primo quidem modo, ponendo in Deo quantitatem; secundo autem modo, ponendo distinctionem in essentia.

2. — Opiniones. — I. Ad hanc quaestionem solvendam, posuit Magister Sententiarum [2] terminos numerales non ponere aliquid in divinis, sed removere tantum. Quam sententiam sic suadebat: termini numerales significant quid contentum in genere quantitatis, significant enim multitudinem quae est species quantitatis discretae. Sed omne contentum in genere quantitatis a Deo removeri debet: quantitas enim praedicamentalis non habet locum in Deo..

II. Alii, e contra, opinati sunt quod termini numerales ponunt aliquid in divinis. Hanc autem sententiam conaban-

[1] Contra Prax., c. 3. — [2] 1, Dist. XXIV.

tur explicare et defendere ex analogia cum scientia. Siquidem in scientia duo sunt consideranda: aliud quod ad eius rationem generícam pertinet, scilicet quod sit qualitas, aliud vero ad eius rationem specificam spectans, scilicet quod sit cognitio certa et evidens per causas; et hoc secundo modo ponitur in divinis, non autem priori. Pari igitur ratione, numerum dupliciter considerari posse contendebant: uno modo, secundum rationem generis, quod est quantitas; alio modo, secundum propriam rationem numeri; et priori modo terminos numerales dicebant in divinis non poni, sed tantum secundo modo, et ita aliquid ibi significare.

Sed neutra positio veritatem continet; propterea quod tam primi quam secundi non consideraverunt nisi pluralitatem et numerum praedicamentalem, qui scilicet causatur ex divisione continui et ponitur in praedicamento quantitatis, et praetermiserunt pluralitatem et numerum transcendentalem, qui invenitur etiam in rebus quantitate carentibus.

3. — **Duplex genus divisionis.** — Igitur, ad hoc dubium solvendum, sciendum est tot esse genera pluralitatum, quot sunt modi divisionum. Divisio autem alia est *materialis*, quae fit secundum divisionem continui, et quam sequitur numerus qui est species quantitatis; alia vero divisio est *formalis*, quae fit secundum oppositas et diversas formas, et quam sequitur numerus transcendentalis, secundum quem ens dividitur per unum et multa. Unde prioris generis numerus invenitur in rebus habentibus quantitatem continuam, alterius vero generis numerus invenitur sine quantitate, scilicet in rebus spiritualibus. Igitur in Deo non potest esse proprie nisi numerus transcendentalis: numerus enim praedicamentalis non est in Deo nisi metaphorice, sicut et aliae proprietates corporalium, ut latitudo, longitudo, etc.

4. — PROP. — **Termini numerales significant in divinis res de quibus dicuntur, et super hoc nihil addunt, nisi negationem divisionis circa unamquamque earum.**

5. — **Explicatur.** - Sensus huius propositionis est quod, sicut cum dicimus: *Essentia est una*, terminus numeralis *una* significat divinam substantiam, non addita nisi negatione di-

visionis circa ipsam essentiam, ita cum dicitur: *Haec est una persona*, terminus numeralis *una* significat personam indivisam, et cum dicitur: *Hae sunt tres personae*, terminus numeralis *tres* significat personas cum indivisione circa unamquamque ipsarum.

6. — **Prob.** — Sicut unum transcendentaliter sumptum significat *ens indivisum*, ita ut, cum dico: *ens unum*, significem entitatem cum indivisione, et pariter cum dico: *unus homo*, significem substantiam hominis non divisam; ita termini numerales transcendentales significant res de quibus praedicantur, addita indivisione circa unamquamque ipsarum. Sed termini numerales qui in Deo ponuntur, transcendentales sunt, non praedicamentales; ergo significant in Deo illas res de quibus dicuntur, addita negatione divisionis circa unamquamque illarum: sic, ut si de essentia dicantur, significent essentiam, si vero de personis, significent personas, alio non addito, nisi indivisione sive circa essentiam, sive circa personas.

7. — **Corollarium.** — Quapropter, non omnino errasse censendus est Magister Sententiarum, quia termini numerales non addunt rebus de quibus dicuntur, scilicet sive essentiae, sive personis, nisi divisionis negationem: attamen, praeter hoc, significant etiam res de quibus dicuntur.

Sed longius a vero aberrat secunda opinio, quia numerus qui est species quantitatis, etiam secundum propriam speciei rationem, ponit super ens aliquod accidens ad quantitatem pertinens, quod in Deo esse non potest. Multitudo enim, quae ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, quae in divinam praedicationem transumi non debet, sed tantummodo multitudo transcendentalis quae supra ea, de quibus dicitur, aliud non addit, nisi indivisionem circa singula [1].

8. — **Scholion.** — Ad huius rei uberiorem intelligentiam, considerandum est quod termino numerali, sicut et cuilibet nomini, duplex potest competere significatus : alter ex propria significatione, sicut animal, ex propria significatione, significat substantiam organicam sensibilem; alter vero ex eo quod sibi adiungitur, sicut animal, si ipsi adiungatur ra-

[1] Ad 2[m].

tionalitas, significat hominem, si mugibilitas, significat bovem, etc. Itaque termini numerales, scilicet, *unus, duo, tres*, ex propria significatione aliud non significant, nisi indivisionem; si vero aliquid aliud ipsis adiungatur, scilicet essentia aut persona, quia unum et consequenter multitudo sumuntur transcendentaliter in divinis, possunt stare pro essentia et pro relatione, et sic significare aut unam essentiam, aut unam personam, aut plures personas [1].

9. — Difficultas. Contra hanc explicationem obiici posset quod si unitas in divinis sit inducta tantum ad removendam pluralitem, et pluralitas ad removendam unitatem, erit circulatio rationem confundens et nihil certificans, sicut si quis dicat quod tenebrae non sunt lux, et lux non est tenebrae.

Respondetur quod nec unitas ponitur ad removendam multitudinem, nec multitudo ad removendam unitatem, sed utrumque, silicet unitas et multitudo ponuntur in divinis ad removendam ab his, de quibus dicuntur, divisionem. Primum enim quod in nostra apprehensione cadit, est ens; tum ratio considerat quod hoc ens non est illud ens; ex quo exsurgit ratio divisionis; postea attribuimus huic alteri enti unitatem; denique, ex attributione unitatis cuilibet enti ab altero diviso, sequitur multitudo: ex quo constat quod tum unitas, tum multitudo inductae sunt ad removendam divisionem circa unumquodque eorum de quibus dicuntur [2]. Hinc quod S. Hilarius dicit [3]: *Sustulit singularitatis ac solitudinis intelligentiam professio consortii, quod est professio pluralitatis*; et pariter quod S. Ambrosius habet [4]: *Cum unum Deum dicimus, unitas pluralitatem excludit deorum, non quantitatem in Deo ponimus*, non adaequate exprimunt veritatem theologicam. Nam, licet pluralitate excludatur solitudo, et unitate pluralitas deorum, non tamen hoc solum hisce nominibus significatur, sicut albedine excluditur nigredo, nec tamen sequitur quod albedinis nomine sola nigredinis exclusio significetur.

[1] Ad 1^m, cf. Satolli, in h. l. — [2] Ad 3^m. — [3] L. IV DE TRIN. — [4] L. I. DE FID., c. 2.

ARTICULUS IV. — *Utrum hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis.*

1. — **Praenotamen.** — Circa hoc nomen *persona*, hoc unum in antecessum compertum esse debet, quod est commune tribus personis; et hoc quidem a simili suadetur; sicut enim cum dicimus tres homines, nomen *homo* evidenter ostenditur esse commune, ita cum dicuntur tres personae in divinis, necesse est ut nomen personae sit et ipsum pluribus commune. Quocirca dubium non est de facto communitatis huius nominis, sed de ratione aut natura huiusce communitatis.

2. — **Sententiae.** — Nomen personae non esse commune communitate rei, omnes ultro confitentur; secus enim sequeretur esse unam tantum Patris et Filii et Spiritus Sancti personam, sicut una est eorum essentia, cum divina essentia communis ipsis sit communitate rei [1]. — Hoc igitur secluso, duae opiniones reprehensione dignae ponuntur. α) Prior est dicentium communitatem huius nominis esse communitatem negationis, eo quod in definitione personae ponitur incommunicabile, quod est quoddam negativum. β) Alii autem dixerunt communitatem hanc esse communitatem intentionis, eo quia in definitione personae ponitur nomen intentionis, scilicet individuum; unde nomen istud esset commune tribus divinis personis, sicut esse speciem est commune leoni, bovi et homini. - Sed utraque sententia exploditur haec animadversione, quod nomen *persona* non est nomen negationis aut intentionis, sed est nomen rei. Ergo non potest esse commune, sive communitate negationis, sive communitate intentionis.

3. — PROP. — **Hoc nomen, persona, in divinis est commune tribus personis communitate rationis, non sicut genus aut species, sed sicut individuum vagum.**

4. — **Declaratur.** — Sic etiam commune est in rebus humanis nomen *persona*, nam communitas personae in rebus humanis non est communitas generis vel speciei, sed est com-

[1] Ad 1^m.

munitas rationis, qua nomen persona pluribus commune est, sicut individuum vagum. — Quod tamen explicatione indiget, quia etiam est aliqua differentia inter significationem huius nominis *persona*, et significationem huius alterius nominis, nempe *individuum vagum*.

5. — **Explicatur**. — Ad cuius evidentiam, distinguenda sunt quadruplicis generis nomina : α) Sunt nomina *generum vel specierum* primae intentionis, ut *homo*, vel *animal* ; et huiusmodi significant tantum ipsas naturas communes in concreto, sine aliquo respectu ad subsistentiam : homo enim, ut sic, non significat nisi humanam naturam in concreto, quin illam significet ut subsistentem. β) Sunt nomina *individui vagi*, ut *aliquis homo*, quibus significatur aliqua natura, sed cum modo essendi determinato qui competit singularibus, scilicet ut res sit per se subsistens distincta ab aliis. γ) Sunt nomina *individui signati*, ut *Socrates*, quae supra hoc significant etiam principium determinatum distinguens : hanc carnem, haec ossa. δ) Demum est nomen *persona*, quod significat idem quod *individuum vagum*, sed differenter. Quia cum nomen *individuum vagum* per prius significet naturam, et per posterius modum subsistendi particulariter, nam *aliquis homo* significat quidem hominem subsistentem, sed prius importat naturam humanam, quam ipsam subsistentiam, nomen *persona*, e contra, per prius significat modum existendi seu subsistendi, et per posterius naturam in qua subsistit.

Igitur hoc nomen in divinis est impositum ad significandum id quod est commune secundum rationem omnibus divinis personis, scilicet ut unaquaeque earum in natura divina subsistat, distincta a ceteris. Licet enim de ratione personae sit quod sit incommunicabilis, ut patet ex Richardo de S. Victore, personam, secundum quod de Deo dicitur, definiente : *Divinae naturae incommunicabilem existentiam* [1], tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus personis communis [2]. Et hoc sensu intelligenda sunt verba S. Augustini [3] : *Cum quaereretur quid tres, responsum est, tres personae, quia commune est eis id quod est persona.*

[1] L. IV, DE TRIN., cc. 18 et 23. — [2] Ad 2[m]. — [3] L. VII. DE TRIN., cc. 4. sqq.

6. — **Scholion.** — Licet nomen *persona* in divinis commune sit tribus personis communitate rationis et non rei, tamen non est in divinis aut genus aut species, sicut non est universale aut particulare. Nam, in primis, nomen *persona*, etiam in creaturis, est commune, et tamen ista communitas non est communitas generis aut speciei. Ulterius, quod non sit in divinis ponenda communitas quaecumque generica aut specifica, ex hoc apparet quod genus et species et quodlibet universale, praedicatur de pluribus differentibus secundum esse; divinae vero personae habent tantum unum esse [1]. Unde egregie canit Alighierius [2]:

Quell'uno, e due, e tre che sempre vive
E regna sempre in tre e due ed uno.
Non circoscritto e tutto circonscrive.

Tre volte era cantato da ciascuno
Di quegli spirti con tal melodia,
Ch' ad ogni merto saria giusto muno.

[1] Ad 3[m]. — [2] PARAD. Cant. IV. vers. 28. seq.

QUAESTIO QUINTA.

(XXXI).

DE HIS QUAE AD UNITATEM VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

PROLOGUS.

1. - **Ratio quaestionis.** — Quemadmodum in theologia unita, statuta existentia Dei, eiusque perpensis proprietatibus, de nominibus quaeritur, quibus vocari possit ; ita in theologia discreta, comperta trium personarum in unitate essentiae distinctarum existentia, agendum subest de nominibus, quibus ineffabile istud mysterium, rationi penitus impervium, significari valeat. Nova quidem et insolita talia nomina esse oportet, cum de re agatur, cuius existentia nullo naturae effectu sufficienter demonstrari possit, ut quaestione sequenti ostendetur.

2. — **Nomen Trinitatis.** — Porro, inter cetera nomina, quibus passim antiquiores Patres, ad hoc mysterium nominandum usi sunt, qualia sunt, verbi gratia *oeconomia, dispensatio, dispositio,* Ecclesiae, a qua sola ad mysteria designanda normam accipere debemus, *Trinitatis* nomen quammaxime congruum visum est ; ita quod tanquam fidei tessera sit habendum, iuxta illud Symboli athanasiani: *Fides autem catholica haec est,... ut unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.* Videtur autem primus Tertullianus nomen istud, ex graeco τριάς, iam a Theophilo Antiocheno ad hoc mysterium significandum usurpatum, in Latinorum usum transtulisse, in opere in quo Praxeae *hesterni*, ut illum vocat, novellis figmentis, venerandae iam duorum saeculorum traditionem opponit.

Hoc itaque vocabulum, tanquam revelatum, theologus reverenter suscipiet, propter totius Ecclesiae tot saeculis

continuatam consensionem, tum in pastoribus ut docerent, tum in fidelibus, ut addiscerent; imo, tanquam prorsus temerarium, imo formaliter haereticum illum habebit, qui hanc vocem ausus fuerit, aut ut barbaram contemnere, quemadmodum Lutherus et Calvinus, aut ut incongruentem falsamve respuere, quemadmodum Danaeus, dignus horum discipulus, praestitere; praeterea, suas theologus noverit esse partes, acceptae vocis tum significationem, quantum in se sit, exponere, tum ad mysterium significandum congruentiam aperire, necnon ita eam ab obtrectatorum insectationibus vindicare, ut horum rationes, quas iampridem S. Thomas in praesenti quaestione sibi obiecerat, vanas prorsus esse demonstret.

3. — **Ordo quaestionis**. - Porro, duo hic praestanda erunt : primum, quo vocis ipsius *Trinitas* congruentia vindicetur (1); alterum, quo plura hanc vocem consequentia exponantur (2-4). Haec autem sunt duo termini, nempe terminus distinctivus *alius* (2), et terminus exclusivus *solus* (3-4). Scilicet, inquirendum erit, utrum possit dici alius esse Pater, alius Filius, etc.: et hoc dato, cum terminus *solus* alietatem excludere videretur, adhuc determinandum supererit quo pacto dictio haec exclusiva in divinis addi possit, sive termino essentiali (3), sive termino personali (4).



Unde quatuor hic quaeruntur :

Primo. De ipso nomine Trinitatis.

Secundo. Utrum possit dici : Filius est alius a Patre.

Tertio. Utrum dictio exclusiva, quae videtur alietatem excludere, possit adiungi nomini essentiali in divinis.

Quarto. Utrum possit adiungi termino personali.

Articulus I. — *Utrum Trinitas sit in divinis.*

1. — **Nominis convenientia.** — Accepto per fidem hoc nomine *Trinitas*, ad designandum mysterium unius Dei in tribus personis subsistentis, mens fidelis huius nominis congruentiam facile deprehendit ex eo quod quemadmodum, propter plures personas, indeterminate et generaliter *pluralitas* in divinis dicitur, ita, propter determinatum numerum ternarium, *Trinitas* convenienter praedicari potest. Si enim revelatum non fuisset mysterium istud, unitas tantummodo adsererctur in divinis; et si indeterminate tantum, relate ad personarum numerum, fuisset traditum, pluralitas solum praedicari posset; sed revelata trium personarum distinctarum subsistentium in unitate eiusdem essentiae existentia, iam patet quam convenienter factum sit ut Trinitas vocaretur.

2. — **Nominis significatio.** Secundum vocabuli etymologiam, *Trinitas* videretur per prius essentiam, quam personas significare; dicitur enim Trinitas quasi *trium unitas*. Sed si vocis proprietas attendatur secundum communem usum, res e contra se habet, ut significet prius numerum personarum, deinde vero unitatem essentiae, nempe ut significet tres res subsistentes in una essentia. Et secundum hunc sensum, dici non potest quod Pater aut ulla ex divinis personis sit Trinitas; quia, licet una sit omnium personarum essentia, nulla tamen persona est tres personae simul. Nec dici potest quod Trinitas significat relationes, non enim dicitur ad aliquid; sed potius significat numerum personarum seu rerum subsistentium quae ad invicem referuntur, et quae unum sunt in essentia. Igitur nomen *Trinitas* nec substantiam nec relationes nude significat, sed proprie tres personas in unitate essentiae; si enim solam substantiam significaret, diceretur de singulis personis; si vero solam relationem, diceretur ad aliud, quae duo implicant [1].

[1] Ad 1um.

3. - **Comparatio triplex.** - Ad pleniorem autem huius nominis conceptum habendum, iuvat illud diversimode comparare.

α) *Cum nominibus collectivis.* — Nomen collectivum duo importat : pluritatem suppositorum, et unitatem quamdam ordinis. Sic populus, exercitus, civitas, est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum igitur ad primum, nomen *Trinitas* convenit cum nominibus collectivis : est enim in Trinitate multitudo seu numerus : sed quantum ad alterum, discrepat. Nam unitas, quae nominibus collectivis importatur, minima est, cum tota eius ratio consistat in ordine, qui est finis propter quem plures ad invicem referuntur. In divina autem Trinitate non modo est unitas ordinis, verum etiam est maxima essentiae unitas, quemadmodum ostensum est, cum esset sermo de unitate divinae naturae [1].

β) *Cum nomine* TRIPLEX. - Potestne dici quod Deus sit *triplex*, aut quod in eo sit *triplicitas* ? Minime. *Triplex* enim illud dicitur, cuius quantitas est tribus vicibus maior quam quantitas alterius, unde *triplicitas* hanc inaequalitatis proportionem indicat. Sed in Trinitate nulla habetur inaequalitas, sive cum personae ad essentiam, sive cum eaedem inter se referuntur. Unde Deus poterit dici *trinus*, minime vero *triplex*, et in Deo est Trinitas, vel potius ipse est Trinitas : non est autem, nec in eo est triplicitas [2].

γ) *Cum unitate essentiae.* — Aeque dicere possumus . *Trinitatem in unitate*, et *unitatem in Trinitate* : sed sensu diverso. Nam cum duo in Trinitate importentur, scilicet numerus ipse, et personae numeratae, cum dicimus: *Trinitatem in unitate*, non est intentio nostra ut ponatur numerus in unitate essentiae, quasi ipsa essentia sit ter una ; sed ut ponantur personae numeratae in unitate essentiae divinae, et hoc ideo quia quidquid est in Deo, est in unitate essentiae divinae, sicut supposita alicuius naturae dicuntur esse natura illa ; et ita, cum personae tres sint in Deo, sunt *unus* Deus propter essentiam, *trinus* vero propter ipsas relationes. Cum autem dicitur *unitas in Trinitate*, sensus est quod na-

[1] Ad 2 [2] Ad 3

tura divina, una et simplicissima, est in suis suppositis, id est in tribus personis [1]. Et hoc sensu intelligendum est hoc quod legitur : *Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda est.*

4. — **Quaestio.** — *Cum in divinis concreta praedicentur de abstractis, potestne dici quod* TRINITAS EST TRINA, *sicut dicitur quod* DEITAS EST DEUS ?

Respondetur *negative*. Nam ratio significata in hoc nomine *Trinitas* non est eadem ac ratio significata in nomine essentia vel relatio. Siquidem, cum dicitur *trinum*, hoc nomen *trinum* importat distinctionem in suppositis illius de quo dicitur : unde, cum dicitur : *Trinitas est trina*, ratione numeri importati, significatur multiplicatio eiusdem numeri in seipsum. Si ergo dicatur : *Trinitas est trina*, importabitur quod Trinitatis tria sint supposita, sicut cum dicitur : *Deus est trinus*, sequitur tria esse deitatis supposita. Sed Trinitas ipsa supposita trium personarum indicat : unde dicere : *Trinitas est trina*, esset inducere in divinis non tria, sed novem supposita [2].

ARTICULUS II. — *Utrum Filius sit alius a Patre.*

1. — **Praenotanda.** — Imprimis, advertendum est, extendendam esse quaestionem in titulo positam etiam ad Spiritum Sanctum, ita ut integer quaesiti sensus sit : *Utrum Filius sit alius a Patre, et Spiritus Sanctus alius ab utroque.* — Ubi, exigente gravitate materiae, aliae etiam voces, praeter vocem *alius*, erunt perpendendae, et, si opus fuerit, reiiciendae, quibus, aut substantiae unitatem nominari, aut personarum distinctionem significari, quis perperam posset suspicari. Statim autem advertimus, cum de Trinitate loquimur, caute et modeste esse procedendum, quia ex verbis inordinate prolatis haeresis incurritur. Ideo S. Augustinus dicit [3] : *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur.*

Porro, duo cum sint, quibus Sanctissimae Trinitatis my-

[1] Ad 4[m]. — [2] Ad 5[m]. — [3] L. I, DE TRIN., c. 3.

sterium pessumdatur, unum scilicet, propter personarum trinitatem, essentiae quoque discretio; aliud vero, propter essentiae unitatem, personarum confusio, ideo S. Thomas, ad hoc Symboli athanasiani attendens: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes*, ad duplicem ordinem voces reducit, quae aut haeresim redolent, aut saltem erroneae interpretationi favent: scilicet, *primo*, ad voces essentiam dividentes; *secundo*, ad voces personas confundentes.

2. — Voces essentiam dividentes. — Quinque potissimum sunt voces, quae arianum sensum prae se ferre videntur.

I. Nomen *diversum*, cum ponat distinctionem in substantia, quae est essentia, adhiberi non debet. Quare, non est ulla persona dicenda diversa ab alia [1], nec *cum dicimus tres personas, diversitatem intelligere volumus*, dicit S. Augustinus [2].

II. Pariter, nomen *differens* non est proprie usurpandum in divinis, eo quod quae differunt per aliquam formam differunt; in divinis, e contra, est tantum una forma, iuxta illud [3]: *Qui cum in forma Dei esset*. Unde non est praedicandus Filius differens a Patre: *Pater et Filius, deitate unum sunt*, ait S. Ambrosius [4], *nec est ibi substantiae differentia, neque ulla diversitas*. — Attamen, si nomine formae, velit accipi proprietas relativa qua una et altera persona constituitur et ab aliis distinguitur, poterit dici, licet improprie, quod personae ab invicem differunt, accepta nempe differentia pro distinctione. Hoc sensu S. Damascenus [5] ait quod *non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates* [6].

III. Similiter, vitanda sunt nomina *separatum, seiunctum, divisum, disparatum, sectum*, ceteraque huiusmodi, significantia divisionem totius in partes, et sic simplicitatem divinae essentiae tollentia.

IV. Vitandum est quoque vocabulum *dispar*, quia disparia sunt quasi non paria, id est non aequalia; divinae autem

[1] Ad 1[m]. — [2] L. VII, DE TRIN., c. 4. — [3] PHIL., II, 6. — [4] L. I, DE FIDE, c. 2. — [5] L. III, DE FIDE ORTHOD., c. 5. — [6] Cf. ad 2[m].

personae sunt aequales omnino, ut dictum est, et amplius ostendetur [1].

V. Demum, cavebit theologus ne unam personam ab alia *alienam, discrepantem, discordantem* aut *dissidentem* dicat, quae voces similitudini et harmoniae divinarum personarum refragantur, et important quod extranea sit aut dissimilis una persona alteri. Unde S. Ambrosius dicit [2] quod in Patre et Filio non est *discrepans, sed una divinitas*; et S. Hilarius ait [3] quod in personis divinis, *nihil est diversum, nihil alienum, nihil separabile* [4].

3. — Voces personas confundentes. — Secundo, respuuntur sequentes quatuor voces, quae sabellianum sensum secum ferre videntur.

I. Vox *singularis*, quae excludit deitatis communicabilitatem, et sic tollit quod divina natura tribus communicetur. Unde S. Hilarius dicit [5]: *Patrem et Filium singularem Deum praedicare sacrilegum est.*

II. Terminus *unicus*, termino essentiali perperam additur, quia per hoc numerus personarum tolli videretur. Unde idem S. Hilarius dicit [6] quod a Deo excluditur *singularis atque unici intelligentia*. Quapropter melius dicitur Deus esse unus, quam unicus, ut etiam apparet ex S. Thoma, qui in quaestione *de unitate Dei*, nunquam Deum vocat unicum: cuius ratio est quia pluribus deitas est communis. Bene tamen praedicatur *unicus*, de termino personali, puta de Filio, quia non sunt plures filii in divinis.

III. Nec melius adhiberetur vox *confusus*, quia tolli videretur ordo naturae a personis. Unde S. Ambrosius dicit [7]: *Neque confusum est quod unum est, neque multiplex esse potest quod indifferens est.*

IV. Denique vitandum est nomen *solitarius*, quo nomine tollitur consortium trium personarum. Unde S. Hilarius ait [8]: *Nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confitendus.*

[1] Quaest. XLII. — [2] L. I, DE FIDE, c. 2. — [3] L. VII, DE TRIN., n. 39. — [4] Ad 3^m. — [5] L. cit. — [6] Ibid., n. 38. — [7] Loc. cit. — [8] Ibid., l. IV, n. 18.

4. — **De nomine alius.** — His igitur vocibus utrinque exclusis, de voce *alius* proprie quaeritur, utrum possit in divinis adhiberi, cui *affirmative respondetur*. — Cum enim in divinis sit oppositio relativa, et consequenter distinctio, potest terminus adhiberi, quo distinctio illa innuitur. Atqui terminus ille est *alius*; ergo sicut possum dicere quod Filius est distinctus a Patre, ita etiam dicere possum quod sit alius ab ipso. Revera, *alius* est quoddam nomen distinctivum, unde tenet se ex parte suppositi; quocirca, toties adhiberi poterit, quoties suppositorum distinctio innui velit; sic apud S. Ioannem Christus dicit [1]: *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis.*

Attamen, ex hoc fas non esset ita arguere: Cum *alius* et *aliud* sola generis consignificatione differant, si Filius est alius a Patre, ergo est aliud ab ipso; nam haec est masculini generis a neutro differentia, quod masculinum genus est formatum et distinctum, et similiter femininum; neutrum autem genus est commune et informe. Unde, per masculinum, seu femininum genus, aliquod determinatum et distinctum suppositum in aliqua natura communi significatur; per neutrum vero, essentia communis. Quod etiam in rebus humanis appareret; nam, quaerenti: *Quis est iste?* respondetur: *Socrates*, quod est nomen suppositi; quaerenti vero: *Quid est iste?* respondetur: *Animal rationale mortale*, quod est nomen naturae. Atqui, distinctio non est in divinis secundum essentiam sed secundum personas: unde dicetur quidem: *Filius est* ALIUS *a Patre, non autem* ALIUD [2].

Hinc est quod Concilium Lateranense IV habet [3]: *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud.* Et S. Fulgentius [4]: *Una est enim essentia Patris, et Filii et Spiritus Sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.*

5. **Scholion.** — Iuxta hanc doctrinam, scilicet, quod neutrum genus naturam communem, masculinum vero, suppositum designat, dicetur quod Pater et Filius sunt *unum*,

[1] XIV, 16. — [2] Ad 4[m]. — [3] Denz.-B., n. 432. — [4] L. DE FIDE AD PETR., c. 1.

non autem quod sunt unus, secundum illud [1]: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Ita, stricte loquendo, dicendum erit tum quod Deus est unus, tum quod est unum, eo quia natura divina, una cum sit et pluribus communis, vere tamen subsistit, licet subsistentia non distincta a substantia personarum, ut supra dictum est [2]; et cum tres subsistentes personae participent hanc subsistentiam, ideo dicitur Deus *unus* et *trinus*, licet etiam possit dici *unum tres*.

Ubi notandum est, quam late distet haec doctrina a pantheistarum blasphemiis, dicentium Deum esse *unum multa*, aut *multa unum*; cum enim *multa* neutro genere dicatur, naturam seu quidditatem communem omnium rerum significat, quam dicere ipsam unam divinam essentiam, absque summa impietate, nemo potest.

6. — **Monitum.** — Pro huius articuli coronide, et tanquam monitum pro subsecuturis quaestionibus, valebit illud quod saepe inculcat S. Thomas, et hic subobscure insinuat, nempe theologo aut catholico viro abstinendum esse a novis et ambiguis vocibus, quae scilicet in utramque possunt partem accipi, iuxta illud S. Pauli [3]: *Devitans profanas vocum novitates*, et hoc quidem propter amorem veritatis, et ne audientes vel legentes erroris occasionem inde arripiant. Sicubi tamen in aliqua Scriptura authentica Patrum aut Ecclesiae Doctorum tales reperiantur voces, non erunt illi sanctissimi fidei pugiles erroris leviter accusandi, sed potius benigne interpretandi, iuxta ea quae theologica scientia tutissime tradit.

Articulus III. — *Utrum dictio exclusiva,* solus, *sit addenda termino essentiali in divinis.*

1. — **Dictio categorematica et syncategorematica.** — Categorematice (κατηγορέω, *praedico, demonstro*) sumitur terminus aliquis, cum absolute ponit in subiecto vel circa subiectum quod afficit, rem aliquam significatam a termino, tanquam formalitatem quamdam. Ita, vox illa *iustus*, dicta de homine categorematice, significat iustitiae formam in ipso esse.

[1] Io., XVII, 22. — [2] Quaest. XXIX, art. 4. — [3] 1 Tim., VI, 20.

Dictio autem syncategorematica (a συν-κατηγορέω, *simul praedico, enuntio*) importat respectum seu ordinem praedicati ad subiectum, quemadmodum vox illa *omnis, aliquis, nullus*, in hac propositione: *Omnis homo vivit, aliquis homo currit, nullus homo est planta*, in quibus significatur quonam respectu se habeat praedicatum ad subiectum, utrum nempe conveniat unicuique distributive sub termino communi, an alicui tantum, aut nulli.

Iuxta hanc expositionem, exclusiva dictio *solus*, si quidem catogorematice sumatur, ponit circa illum, de quo dicitur, solitudinem; si vero syncategorematice, et removet aliud quodcumque subiectum a consortio praedicati; sicut cum dicitur: *Solus Petrus scribit*, sensus non est quod Petrus sit solitarius, sed quod nullus sit ei consors in scribendo.

2. — PROP. — **Dictio exclusiva,** SOLUS, α) **categorematice accepta, nequit addi termino essentiali in divinis;** β) **bene vero syncategorematice sumpta.**

3. — **Prob. 1ª pars.** — Ista vox, *solus*, categorematice dicta de Deo, cum dicitur: *Deus solus*, vel *Deus est solus*, significat solitudinem circa Deum, seu facit ipsum esse solitarium. Atqui, propter personarum consortium, non admittitur, quod dicatur Deus solitarius. Ergo vox illa, *solus*, categorematice accepta, nequit addi termino essentiali in divinis.

4. — **Prob. 2ª pars.** — Cum terminus exclusivus, *solus*, syncategorematice sumptus attribuitur aliqui termino essentiali in divinis, excludit aliud quodcumque subiectum a consortio praedicati. Atqui revera nullus alius est cui possit convenire id quod de Deo praedicatur. Ergo vox illa, *solus*, syncategorematice adiungi potest termino essentiali.

5. — **Corollarium.** — Hinc solus Deus a Domino nostro bonus praedicatur [1]: *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Pariter a S. Paulo Deus solus dicitur immortalis, invisibilis [2]: *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo*. Rursus [3]: *Praecipio tibi .. ut serves mandatum sine macula, irreprehen-*

[1] Luc., XVIII, 19. — [2] I Tim., I, 17. — [3] Ibid., VI, 13, sqq.

sibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem. Iterum in Epistola S. Iudae legimus [1]: *Ei qui potens est vos conservare sine peccato et constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos, in exultatione in adventu Domini nostri Iesu Christi, soli Deo Salvatori nostro per Iesum Christum gloria et magnificentia.*

Eadem quoque veritas saepius in Veteri Testamento insinuatur, sic [2]: *Magna potentia Dei solius*, quasi dicat: *Solus Deus est omnipotens*: et rursus Moyses, in cantico quod cecinit in conspectu filiorum Israel, inducit Deum sic loquentem [3]: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.*

6. — Quaestio. — Cum, iuxta Philosophum [4], *solus est qui cum alio non est*, dato quod nihil esset praeter Deum, aut angelus, aut homo, aut quaecumque alia res creata, dicine posset Deus esse solus categorematice, id est solitarius?

Negative respondendum est. Ratio enim cur Deus non potest dici solitarius, non est quia cum ipso multae res sunt in mundo: sed quia hanc locutionem non patitur trium subsistentium personarum consortium. Revera, solus dicitur esse, qui non est cum alio, non cuiuscumque naturae, sed eiusdem naturae ac ipsemet est: solitudinem enim non tollit associatio alicuius qui sit extraneae naturae. Sic, cum Adamo plura erant in paradiso voluptatis, scilicet animalia, plantae, flores, etc.; et tamen Deus illum, tamquam solus esset, reputavit, dicens: [5] *Non est bonum hominem esse solum*, eique consortem dedit similis naturae. Ita etiam solus dicitur aliquis in horto, et solitarii dicuntur illi monachi qui in desertis habitant, licet ibi sint plantae et animalia. Quocirca, sicut ante creationem non poterat Deus dici solus, ita nec si, per hypothesim eventu minime firmandam, res creatae in nihilum redigerentur. Deus solus dici posset, cum sit pluralitas subsistentium personarum in ipso.

E contra, ex eo quod, praeter Deum, sunt et res mate-

[1] Vers. 25. — [2] Eccli., III, 21. — [3] Deut., XXXII, 39. — [4] In II, I. Elench., c. 3. — [5] Gen., II, 18.

riales, et homines et angeli, non tollitur a Deo proprietas illa qua a consortio praedicatorum, quae de ipso dicuntur, excluditur quicumque alius. Nullus enim est qui aeternitatem eius participare possit aut virtutem creativam: unde, licet multa sint praeter Deum, ipse tamen solus est aeternus, ipse solus est creator, etc. Hoc sibi vult quod, sicut consociatio angelorum et animarum non valeret ad tollendam absolutam solitudinem in Deo, si non esset in ipso personarum pluralitas, ita etiam consociatio angelorum et animarum non excludit modo solitudinem respectivam et per comparationem ad aliquod praedicatum [1].

7. — **Difficultates.** — I. Quidquid adiungitur termino essentiali in divinis, potest de quacumque persona praedicari seorsim et de omnibus simul, sicut cum termino *Deus* adiungitur *sapiens*, de quacumque persona et de tota Trinitate simul potest praedicari, dicendo quod *Pater est sapiens Deus*, et quod *Trinitas est sapiens Deus*, etc. Si igitur terminus ille *solus* potest adiungi termino essentiali in divinis, poterit dici quod *Pater est solus Deus*, aut quod *Trinitas est Deus solus*. Atqui S. Augustinus non admittit primam locutionem: *Consideranda est*, inquit [2], *illa sententia, qua dicitur non esse Patrem verum Deum solum*. Igitur, non est haec dictio, *solus*, etiam syncategorematice adiungenda termino essentiali.

Respondeo, non esse admittendam illam sententiam: *Pater est solus Deus*, aut *Trinitas est solus Deus*, non propter aliam rationem, nisi quia specialis indoles huius vocis, *solus*, est, ut respiciat suppositum, id est subiectum propositionis, non autem praedicatum, in quantum excludit aliud suppositum ab eo cui adiungitur, ideoque sibi vult non esse in Deo aliam personam, nisi Patrem. Quod si quis velit exclusionem ponere ex parte praedicati, adiectivum vertat in adverbium, *solus* in *solum*, vel *tantum*; nam adverbium istud potest poni tam ex parte subiecti quam ex parte praedicati. Dicendo enim: *Tantum Socrates currit*, sibi vult, *nullus alius currit*; dicendo vero: *Socrates currit tantum*, sibi vult, *nihil aliud facit*.

[1] Ad 1[m]. — [2] L. VI, DE TRIN., c. 9.

Attamen, possent sustineri locutiones recitatae, si implicite aliquid intelligeretur, ut puta, si quando dicitur: *Trinitas est solus Deus*, aut: *Pater est solus Deus*, sensus esset: *Trinitas est Deus, qui est solus Deus*: aut: *Pater est Deus, qui est solus Deus*, dummodo tamen relativum pronomen referat praedicatum, non autem suppositum. Sed non est theologo istiusmodi praestigiis verborum utendum: tantummodo pie debent exponi tales propositiones, sicubi in aliqua authentica scriptura inveniantur [1].

Porro, S. Augustinus cum dicit Patrem non esse solum Deum, sed Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, id est totam Trinitatem esse solum Deum, *loquitur exposititve*, ait S. Doctor, *ac si diceret: cum dicitur*: REGI SAECULORUM INVISIBILI, SOLI DEO, *non esse exponendum de persona Patris, sed de sola Trinitate* [2]. At videtur S. Augustinus in illo loco potius respexisse ad illud testimonium [3]. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Iesum Cristum*, de quo dicemus articulo sequenti.

II. Si dictio exclusiva adiungatur termino essentiali, hoc erit, aut respectu praedicati personalis, aut respectu praedicati essentialis. Atqui non primum, quia haec est falsa: *Solus Deus est Pater*; nec secundum, quia si dici posset: *Solus Deus creat*, posset concludi: *ergo solus Pater creat*, quia quidquid dicitur de Deo, potest etiam dici de quacumque persona. Atqui falsum est solum Patrem creare, quia etiam Filius creat et Spiritus Sanctus. Igitur haec dictio *solus*, nequit adiungi termino essentiali in divinis.

Respondeo: terminus exclusivus potest adiungi termino essentiali respectu praedicati tum essentialis tum personalis. Et *primo*, potest dici: *Solus Deus est Pater*, accipiendo *Pater* pro prima persona Sanctissimae Trinitatis; nullus enim alius est illa persona, nisi Deus. Si autem accipitur pro relatione paternitatis tantum, tunc etiam vera est, si univoce sumatur, falsa vero, si analogice: quia aliis praeter Deum ratio paternatis competit, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur [4]. *Secundo* potest dici: *Solus Deus creat*, nec inde sequitur: — *Solus Pater creat*. Rationem

[1] Ad 2[m]. — [2] Ibid. — [3] Io., XVII, 3. — [4] Eph., III, 15.

affert S. Thomas, quia, ut aiunt sophistae — quo nomine hic vocat dialecticos — dictio exclusiva immobilitat, seu determinat et defigit terminum cui adiungitur, ut non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Sic, ex eo quod dicitur: *Solus homo est animal rationale mortale*, non potest inferri: *Ergo solus Socrates est tale animal* [1].

ARTICULUS IV. — *Utrum dictio exclusiva possit adiungi termino personali.*

1. — Ratio articuli. — Specialis adiungitur iste articulus propter non levis momenti rationes, quibus videretur suaderi terminum personalem non secum pati adiectionem vocis exclusivae respectu essentialium praedicatorum, ita ut non videatur quomodo possit ulla ratione sustineri haec dictio: *Solus Pater est Deus*, quin a deitatis consortio et Filius et Spiritus Sanctus excludantur. Consulto dixi, respectu essentialium praedicatorum; nam, ubi sermo esset de praedicatis personalibus, evidens est posse, imo et omnino debere dictionem exclusivam adiungi, ut dicatur: *Solus Pater generat, solus Spiritus Sanctus procedit.*

2. — Solutio. — Ad quod solvendum, distinctione opus est, non secus ac in praecedenti articulo. Quia scilicet vox illa *solus* habet duas acceptiones: categorematicam et syncategorematicam, hinc iuxta priorem acceptionem, nulli dubium esse potest hanc propositionem: *Solus Pater est Deus*, esse falsam, cum solitudinem ponat circa Patrem, excludendo ab eius consortio alium quemcumque subsistentem in divinis. Unde Christus de semetipso testabatur [2]: *Qui misit me mecum est, et non reliquit me solum*; et in liturgia Ecclesiae quotidie recitatur de Spiritu Sancto: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur.*

Syncategorematice autem accepta, vox illa *solus*, quantum ad nos modo attinet, duplicem potest habere sensum.

Primus sensus esse potest, ut haec vox excludat quemcumque alium a forma subiecti, ita ut haec propositio: *So-*

[1] Ad 3[m]. — [2] Io., VIII. 29.

lus Pater est Deus, significet : *Ille cum quo nullus alius est Pater est Deus* : et sic vera est ; sed non iste est quem naturaliter locutio illa prae se fert sensus. Naturaliter enim vox *solus* excludit alium a consortio praedicati ; unde generaliter est ab hac locutione vel a similibus locutionibus abstinendum. Voces enim et sententiae sunt proferendae iuxta communem hominum usum loquendi, maxime in theologia, ubi non est locus sophismatibus aut praestigiis verborum. Si quando autem aliquis ex Patribus tali utatur sententia, non erit praefracte haereseos inculpandus, sed benigne interpretandus modo explicato. Sic S. Augustinus ait [1] : *Solum Patrem dicimus, non quia separatum a Filio vel Spiritu Sancto, sed hoc dicentes significamus quod illi simul cum eo non sunt Pater.*

Secundo, potest vox illa *solus*, syncategorematice accepta, excludere alium a consortio praedicati, sicut fert naturalis indoles vocis ; ut cum dicitur : *Solus Pater est Deus*, sensus sit exponendus : *Pater est Deus, et nullus alius a Patre est Deus*, et sic evidentissime est falsa, quia Filius alius est a Patre, et tamen Deus est aeque ac Pater. — Excipe, nisi quis velit exponere vocem *solus* per *non aliud*, quo in casu, vera esset locutio ; significaret enim : *Pater est Deus, et nihil aliud* (id est nulla alia substantia) *est Deus*. Sed rursus haec interpretatio est contorta, non naturalis ; ideoque non satis iustificatur eius usus penes theologum ; sed ad summum potest inservire exponendis talibus sententiis, si quae forte fuerint a Patribus prolatae.

Et in hunc sensum intelligenda sunt verba Apostoli Iudae [2] : *Subintroierunt quidam homines qui olim praescripti sunt in hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes*. In pluribus graecis exemplaribus habetur : *Solum Dominatorem Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum*, ita ut dictio exclusiva apponatur syncategorematice termino essentiali. Vulgatae autem sensus hic est : *Solus Dominus noster Iesus Christus est Dominator et Dominus*, ita quod aut ille, cum quo nullus alius est Filius Dei, aut nihil aliud a Filio Dei est Dominus noster.

[1] L. VI, de Trin., c. 7. — [2] Vers. 4.

3. **Difficultates**. — I. *Ex Scriptura Sacra* duplex locus obiicitur. Prior est ubi Christus ait [1]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* Ex quo infertur: Ergo solus Pater, quem Christus alloquebatur, est Deus. Alter locus est [2]: *Nemo novit Filium, nisi Pater*; ex quo sequitur: Ergo solus Pater novit Filium, quod est aliquod praedicatum essentiale et ideo commune Trinitati, sicut illud praedicatum *Deus*.

Resp. Ad primum α) τό *solum Deum verum* significat ibi totam Trinitatem, in cuius visione faciali consistit beatorum felicitas, ut exponit S. Augustinus [3]; β) aut si intelligatur de sola persona Patris, erit locutio exponenda iuxta criteria superius recitata [4].

Ad secundum, similiter dicendum est quod, quia nosse Filium pertinet ad totam Trinitatem, cum dicitur: *Solus Pater novit Filium*, aut intelligendum est hoc modo quod Pater, cum quo nullus alius est Pater, noscat Filium, aut quod Pater cognoscit Filium, et nihil aliud illum cognoscit ea cognitione qua Deus ipse se cognoscit. — Ubi notat S. Doctor ad uberiorem doctrinae explicationem, quod in praesenti textu, ly *nemo* non stat specifice pro *nullus homo*, ut videretur vocabulum innuere, alioquin non posset excipi Pater, cum ipse non sit homo, sed stat indeterminate et communiter pro quacumque re rationalis naturae [5].

II. *Ex liturgia*, obiiciuntur verba illa [6]: *Tu solus altissimus, Iesu Christe*: - sed statim respondetur quod adiungitur: *Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris* [7].

III. *Ex ratione*. Terminus exclusivus non excludit illud quod est de intellectu termini cui additur. Sic, cum dicitur: *Solus Socrates est albus*, non excluditur ab albedinis participatione sive manus eius, quae est pars integralis corporis, sive universale *homo*, quod est in ipso fundamentaliter, quia ista sunt de intellectu Socratis. Nec igitur in eo quod dico: *solus Pater*, excluditur Filius, aut Spiritus Sanctus, cum una persona sit de alterius intellectu.

Resp. Nego paritatem. — Cum dico: *Solus Socrates est*

[1] Io. XVII, 3. — [2] Matth., XI, 27. — [3] L. VI, de Trin., c. 9. — [4] Ad 1m. — [5] Ad 2m. — [6] In Hymno Angelico. — [7] Ad 4m.

albus, non excluditur ab albedinis participatione manus eius aut universale homo, quia ista subsistentia non sunt. Sed, cum Filius et Spiritus Sanctus aeque sint subsistentes ac Pater, ideo excluduntur per dictionem *solus* ab intellectu termini Patris; unde si diceretur quod *solus Pater est sapiens*, excluderentur ab hoc Filius et Spiritus Sanctus [1].

[1] Ad 3[m].

QUAESTIO SEXTA.

(XXXII).

DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Eorum quae pertinent ad absolutam considerationem personarum in communi, ultimum hic proponitur, nempe specialis investigatio circa modum quo Sanctissimae Trinitatis mysterium nobis innotescere possit, utrum nempe per rationem naturalem, an solius ope revelationis. Nec inconsulto S. Doctor, antequam mysterium istud circa unamquamque personarum singillatim considerandam exploret, paulisper immoratur in rimandis tum indole, tum valore eorum argumentorum, quibus in hoc mysterio explicando usi sumus. Cum enim ea quae hucusque tradita sunt maximam exhibeant cum ratione humana consensionem, posset quis in suspicionem adduci quod ratio naturalis sua virtute mysterii huius existentiam demonstrare valeat, aut saltem quod, proposita semel per fidem huius mysterii existentia, possit illudmet ratione demonstrari, ita quod hoc complexum, *Deus est unus in essentia, trinus in personis*, possit evadere sententia scientifica, prout posuit Rosminius.

2. — **Quomodo se habeat cognoscibilitas mysterii Trinitatis ad eius nominabilitatem.** — Dubitanti cur haec de cognoscibilitate mysterii Santissimae Trinitatis quaestio post quaestionem de nominabilitate eiusdem a S. Doctore ponatur, cum in tractatu de Deo uno, quaestio de cognoscibilitate anteponatur quaestioni de nominabilitate, haec reddi potest ratio, quod in tractatu de Deo uno tum Dei existentia,

tum eius attributa, sola naturali ratione ex rebus creatis demonstrari valent, quia in iis quae mens humana propria virtute apprehendit, prior naturaliter est cognitio quam nominatio. Nominamus enim res eo modo quo eas intelligimus, ideo ibi prius agendum fuit de Dei cognitione, quam de nominibus divinis ageretur. At Trinitatis mysterium est proprie dictus articulus fidei; non enim, ut mox dicetur, ullo pacto potest ex rebus creatis, tum quantum ad existentiam, tum maxime quantum ad naturam, cognosci. Quocirca, necesse fuit ut prius per fidem nomen ipsum Trinitatis acciperetur; unde, auribus huius nominis sono, veluti ex Dei ore prolato, resonantibus, id quod lingua exprimit mens devota investiget. Quocirca, prius necesse erat ut exprimeretur mysterium, quam ad illius cognoscibilitatem procederetur; oportet enim ut fideles mysteria voce prius addiscant, quam aliqua de eis etiam subobscura ratione cognoscant, iuxta illud S. Pauli [1]: *Fides enim ex auditu, autem per verbum Christi.* Postquam autem pia mens quae fidei sunt assensu devoto acceperit, tunc aliqualem poterit eorum quae credidit accipere intelligentiam, absconditi mysterii analogicam similitudinem, quantum fieri possit, investigando.

Quocirca unica via ad divinarum rerum intelligentiam comparandam est assensus fidei, per quam, ut ait S. Augustinus [2], *venitur ad cognitionem;* quod aliis verbis exprimens S. Anselmus, aiebat: *Credo ut intelligam.* E contra, qui fidem respuere nititur, aditum sibi ad mysteriorum intelligentiam praecludat oportet; et magno divinarum scientiarum incremento frustratur. *Hoc credendo,* ait S. Hilarius [3], *incipe, percurre, persiste; et si non perventurum me sciam, tamen gratulabor profecturum. Qui enim pie infinita prosequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo.*

3. — Dicendorum ordo. — Duo autem in praesenti quaestione dicenda veniunt. Siquidem duplex divinarum personarum cognitio fingi potest, una vulgaris, altera vero theologica. Vulgarem dico, quam omnes fideles habere debent ad salutem consequendam; simplicissima est, et sine magno in-

[1] Rom., X, 17. — [2] Tract. XXVII, Sup. Io., n. 7. — [3] de Trin.

genii conatu perficitur. Altera vero est profundior, ad quam obtinendam theologus analogia ducitur, quae fundatur in processionibus, tum verbi tum amoris, quales in nobis esse cognoscuntur. Et de prima quidem cognitione statuendum est, quod iam in exordio huius tractationis delibuimus, eam non posse haberi nisi per fidem (1); de altera autem, quae per notiones completur, ita agendum erit, ut primo inquiratur an et quid sint notiones (2); secundo quot sint (3); tertio demum quomodo sint (4).



Igitur circa hoc quaeruntur quatuor:

Primo. Utrum per rationem naturalem possint cognosci divinae personae.

Secundo. Utrum sint aliquae notiones divinis personis attribuendae.

Tertio. De numero notionum.

Quarto. Utrum liceat diversimode circa notiones opinari.

Articulus I. — *Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.*

1. - **Neoplatonici.** Hominem solis viribus naturalibus posse ad cognitionem mysterii Sanctissimae Trinitatis devenire, posuerunt *Neoplatonici* medio saeculo III, duce *Plotino*. Cum enim hic philosophus Eclecticorum sectam undecim annos Alexandriae frequentasset, eorum videlicet qui, duce Ammonio Sacca, Clementis Alexandrini discipulo, veritatum a philosophis graecis, Platone praesertim, tradita-

rum, cum catholico dogmate concordantiam ostendere nitebantur, fretus documentis quae in ista schola acceperat, novum Romae instauravit systema, in quo revelationem a Christo in Evangelio factam, doctrinis philosophorum postponens, illam contendit ab istis, ubi potissime ex Platone haustae sunt, desumptam fuisse. Qua facta positione, sequebatur revelationem christianam nil novi, nil incrementi veritatis thesauro addidisse, cum iuxta hanc positionem, veritates omnes, etiam quae revelatae dicuntur, iampridem in antiquis philosophis continerentur. His haud dissimilia sunt quae de evolutione dogmatum nostrorum ex antiquis paganorum fabulis modernuli plures edisserunt.

Quod vero ad mysterium Sanctissimae Trinitatis pertinet, illud Plotinus contendebat a Platone fuisse traditum; et in hunc sensum explicabat ea quae atheniensis ille philosophus edisserit de Ente supremo, de Mente et Patre mundi, de ideis archetypis, secundum quas mundus factus est, necnon de materia informi quae iuxta ipsum, modo ineffabili, naturam divinam et intelligentem participat; quae quidem tria aeterna esse ponebat. Ad hanc rem etiam accommodabat ea quae habet idem Plato tum de mundo, tum de anima mundi, quam Deus, antequam mundum crearet, efformavit, spiritu et materia, sin minus aura tenui, compositam.

Haec omnia Plotinus ita attemperavit, ut in eis trinitatem hypostaseon agnosceret; quarum prima est *ens supremum*, ex quo per emanationem omnia entia sunt egressa; secunda, *principium intelligens*, seu *logos*; tertia, *anima universalis*, quam *Demiurgon* vocavit, omnes ideas typosque continens, in progressione quadam decrescente a suprema natura usque ad infimas substantias, quibus unaquaeque naturae pars correspondet. Quae cum ita Plotinus se habere existimaret, concludebat nullo modo opus fuisse revelatione, ad hoc ut homo cognosceret Trinitatem, quandoquidem in philosophorum scriptis consignata reperitur.

Huic haud dissimilis fuit sententia *Claudiani Mamerti* presbyteri ecclesiae Viennensis [1], qui in libro de *Statu Animae* [2] contendit Platonem *unum Deum et tres in divinitate*

[1] Florebat circa annum 460. — [2] C. 6.

personas ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quaesivisse, invenisse, prodidisse, et individuam Trinitatem non solum credi oportere docuisse, sed et convicisse [1].

2. — **Raymundus Lullus.** — In eumdem errorem, alio licet sub respectu, impegit in media aetate *Raymundus Lullus*, vir pius, sed procacis ingenii, Maiorcae natus, circa annum 1235, a Musulmanis autem, ut fertur, Bugiae in odium fidei, anno 1315, necatus. Hic igitur zelo ductus non secundum scientiam, quo Mahumetanos efficacius converteret ad fidem, libros conscripsit in quibus omnia religionis nostrae dogmata, et signanter quae ad Trinitatis mysterium spectant naturali ratione comprobare praesumit; unde a Gregorio XI, anno 1376, eius opera fuerunt condemnata. Hunc autem errorem recentius instaurare aggressus est *Mastrofinius*.

3. — **Rosminius.** — Recenti vero tempore, idem error, licet paramper modificatus, a Rosminio renovatus fuit. Admisit quidem ille necessitatem quamdam primaevae revelationis; at, semel ac per revelationem fuerit cognitum mysterium, vult hominem posse illud argumentis demonstrare, quae licet sint indirecta et negativa, vim tamen verae demonstrationis habent, sicque mysterium ipsum fieri propositionem scientificam, non secus ac veritates in philosophia traditas; imo huiusmodi revelationem ad complementum doctrinae theosophicae rationis purae ita fuisse necessariam, ut ea non cognita aut negata, veritas philosophica penitus pessumdaretur. Sic enim loquitur [2]: *Revelato mysterio Sanctissimae Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen, ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica purae rationis non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur.*

His dissimilia haud sunt quae a Günther, Frohschammer, aliisque neotericis passim tradita sunt. Novissime vero Schell, fortassis Platonis doctrina de Logo abreptus, asseruit nos naturaliter quidem cognoscere in Deo esse intelle-

[1] Biblioth. Patr., Lugduni, t. VI, p. 1063, A. — [2] Prop. XXV.

ctionem et volitionem; at ideo Trinitatem esse mysterium, quia non intelligimus nec intelligere valemus quod in divinis terminus voluntatis distinguitur a termino intellectus.

4. — PROP. — Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire.

De impossibilitate est sermo, non modo morali, sed metaphysica, quam non valet tollere specialis cuiuscumque hominis conditio; puta, acumen ingenii, educationis vis; de tali nempe impossibilitate agitur, qualis ex ipsa rei natura resultat.

5. — **Auctoritas.** — Propositio hac *de fide* est accipienda, ut constat ex verbis Concilii Vaticani [1]: *Ratio nostra fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda, instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino*; PER FIDEM ENIM AMBULAMUS ET NON PER SPECIEM. Et [2]: *Si quis dixerit in revelatione divina, nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus intelligi et demonstrari, A. S.* Atqui primum et altissimum omnium mysteriorum est illud quo unum Deum in essentia et trinum in personis agnoscimus. Ergo impossibile est illud per rationem naturalem cognosci.

Unde ita argumentari fas est: De fide est dari mysteria proprie dicta, quae scilicet captum humanae mentis formaliter superant. Atqui primum et fundamentale inter omnia est mysterium SS. Trinitatis: cetera enim in hoc mysterio radicantur. Ergo de fide est mysterium SS. Trinitatis captum humanae mentis formaliter superare, nec posse naturali ratione demonstrari.

[1] Sess. III, c. 4, CONST. DE FIDE ET RAT. — [2] N. 4, can. 1.

6. — **Prob. ex S. Scriptura.** — Hanc veritatem evincunt omnes illi loci, in quibus perfectam Dei cognitionem sine revelatione haberi posse negatur. Sic [1]: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Pariter [2]: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Atqui per rationem naturalem certissime gentes revelatione carentes cognoverunt existentiam Dei in unitate essentiae. Ergo hic de perfectiori cognitione sermo est, qualis ea est quae de mysteriis et potissime de Trinitate, habetur per fidem.

7. — **Patres.** — Patres quoque eamdem veritatem tradunt. Sic S. Hilarius [3]: *Non putet homo sua intelligentia generationis* (Verbi) *sacramentum posse consequi.* Quod si intellectus humanus nequit generationis Verbi capere mysterium, multo minus potest processionis Spiritus Sancti rationem assequi; haec enim minus nota est. Pariter, S. Athanasius [4] Arianos insequitur: *O stulti atque ad omnia audaces et praecipites! Quare non potius Sanctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cuius haec sunt verba:* CREDERE ENIM OPORTET PRIMUM DEO QUIA EST. Similiter S. Ambrosius [5]: *Impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet; non mea tantum, sed et angelorum; supra potestates, supra angelos, supra cherubim, supra seraphim, supra omnem sensum est.* S. Fulgentius [6]: *Sola immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperiatur incomprehensibilitatis digna miraculo, quae sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus.* Demum S. Bernardus [7]: *Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum; quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc, temeritas est; credere, pietas; nosse, via, veritas et vita.*

8. — **Rat. theol.** — Omnis nostra de Deo cognitio per rationem naturalem ex creaturis colligitur. Ergo ea tantum

[1] MATTH., XI, 27. — [2] Io., I, 18. — [3] L. I, DE TRIN. — [4] EP. I AD SERAPIONEM. — [5] L. I, DE FIDE, AD GRAT. AUGUST., c. X. — [6] L. II, AD TRASIMUNDUM, c. 1. — [7] L. VII, DE CONSID., c. 8.

de Deo mens nostra cognoscere potest, quae a creaturis de ipso manifestantur. Atqui creaturae, utpote effectus Dei suam causam non adaequantes, virtutem exhibent creantis Dei, licet non eo modo quo est in ipso Deo. Ergo ex rebus creatis potest quidem virtus Dei cognosci, et primo quantum ad ipsius Dei existentiam, secundo quantum ad ea essentiae suae attributa, quae per creaturas manifestantur. Sed virtus Dei creativa communis est toti Trinitati, unde ad essentiae unitatem pertinet, non ad personarum distinctionem. Igitur, ex rebus creatis, ratio naturalis ea cognoscere potest quae ad unitatem essentiae, non autem quae ad trinitatem personarum pertinent.

Brevi. Eatenus se porrigit naturalis nostra de Deo cognitio, quatenus ipsum creaturae manifestant. Atqui creaturae Deum ut unum manifestant, non ut trinum. Ergo naturalis nostra de Deo cognitio se porrigit ad illum ut est in se unus in essentia, non autem ut est trinus in personis. Igitur, quod creaturae Deum non ut trinum, sed ut unum manifestant, hoc ideo est, quia creare non est proprium alicuius personae, sed toti Trinitati commune, ad quod ostendendum ita argumentatur S. Thomas [1]: *Creare est proprie causare seu producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis considerari potest ex actionis effectu: ignis enim est qui generat ignem. Et ideo creare convenit Deo secundum suum esse, quod est eius essentia, quae est communis tribus personis.*

Revera, ut fusius explicat idem Angelicus [2], *propria personarum sunt relationes, quibus personae non ad creaturas, sed ad invicem referuntur*; unde, ex rebus creatis propria cognitione non relucent. Si enim posset in natura dari aliqua res, quae in unitate suae essentiae trinitatem subsistentium exhiberet, posset utique haberi aliquod principium, unde unius essentiae infinitae in tribus subsistentibus infinitis existentiam analogice deprehendere possemus, eo ducti principio, quod quidquid in effectu relucet, in causa praeexistit. At non datur talis res creata trina et una, sed nec dari potest; cum omnis res creata non possit, si in proprio esse

[1] I, Quaest. XLV, art. 6. — [2] De Verit., Quaest. X, art. 10

subsistat, pluribus hypostasibus terminari. Ergo non datur ex rebus naturalibus sufficiens via ad mysterii Sanctissimae Trinitatis existentiam dignoscendam.

9. — **Confirmatur.** - Haec ratio evincit quod *non potest* Trinitatis mysterium a ratione naturali cognosci. At, praeterea, duplex potest cum S. Thoma adsignari causa, cur *non debeat* hoc mysterium ratione humana demonstrari.

Prima, ex **natura** ipsius **fidei** desumitur. — Si quis tentet ea quae fidei sunt probare, derogat ipsi fidei; imo eam tollat e medio necesse est. Fides enim est de non apparentibus quae scilicet humanam rationem supergrediuntur; unde dicit S. Paulus [1]: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* ἔστιν δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Quocirca idem S. Paulus, comparationem instituens inter fidem, quam vocat perfectorum sapientiam, et vanam falsae scientiae ostensionem, quam sapientiam principum huius saeculi, id est philosophorum ethnicorum, appellat, istam quidem iactantia tumentem, illam vero absconditam in mysterio, et solius miserentis Dei providentia revelatam dicit [2]: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit.*

Quod autem mysterium istud ratione naturali cognosci non valeat, illuc spectat ut hominis intellectus in obsequium fidei adductus, ex fide per caritatem iustificetur. Quanquam potest etiam Deus alicui prophetae aliquos effectus spirituales ostendere, ex quibus huius mysterii existentiam ei clarius innotescat, non quidem ut ea evidentia deprehendat tres esse in divinis personas, qua evidentia scit Deum esse, nam nullus est effectus creatus, nec esse potest, quo Trinitatis existentia demonstretur: hoc enim citra visionem divinae essentiae possibile non est: cognoscere autem divinam essentiam est tantum beatorum in patria, et forsan alicuius

[1] Hebr., XI, 1. — [2] 1 Cor., II, 6, seq.

sancti in via, sed per raptum, ut Moysi et Paulo [1], necnon Beatissimae Virgini evenisse credimus [2].

Iuvat hic illustrationis ergo verba referre, quibus S. Maria Magdalena de Pazzis visionem quam de Sanctissima Trinitate habuit, describit. *Nesciebam*, inquit, *vivane an mortua, extra, an intra corpus essem; sed solum videbam Deum in seipso gloriosum, seipsum amare, seipsum intime cognoscere solumque seipsum infinite comprehendere; amare autem creaturas purissimo et infinito amore; atque in unione unius individuae Trinitatis, unum subsistere Deum, amoris infiniti, summae, incomprehensibilis et inscrutabilis bonitatis. Itaque sic in Deo posita, nihil mei ipsius sentiebam, solumque me in ipso videbam; non me, sed ipsum Deum intuens, quantum scilicet intueri eum potest creatura adhuc mortali carne circumdata, quando bene est disposita et divino amore inflammata... Quid in ista abstractione degustaverim, non possim ullis verbis exprimere; quia propter meam imbecillitatem comprehendere nequivi id quod mihi tunc datum est videre et intelligere* [3].

10. — Secundo. **Fidei oeconomia** idipsum ostendit. — Revera, velle probare ea quae sunt fidei, non modo non cedit in Ecclesiae bonum, verum etiam impedit quominus alii ad fidem trahantur, sine qua impossibile est quemquam ad Ecclesiam venire, cum fides sit prima iustificationis radix, et necessaria conditio ut quis Deo placere valeat. Revera, si ei qui fidem respuit, mysteria ostendantur perinde ac si essent veritates naturaliter scibiles, ut ita vel invitus in domum Dei introducatur, hic profecto absque veste nuptiali caelesti convivio interesse permittetur, cito foras eiiciendus, et ad vomitum suum reversurus. Aliunde non est hominis infundere fidem, sed tantum animum praeparare, iuxta illud [5]: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, et [6]: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat.*

Insuper talis agendi ratio fidei mysteria exponit incre-

[1] Cf. 2 2ae, Qp. CLXXI, art. 1, et CLXXIII, art. 1. — [2] Cf. Tract. n. de Beatissima Virgine Maria, Matre Dei, P. II, c. I, art. 7, n. 4, p. 283. Ed. 5a. — [3] Vita, I, cap. II, num. 22; Acta SS., 25 maii. — [5] Io., VI, 44. — [6] Ibid., III, 8.

dulorum irrisioni. Siquidem, infideles, ii saltem qui recte ratiocinandi viam non deseruere, quales tempore S. Thomae inter Mahumetanos et Iudaeos non deerant, ut, verbi gratia, Avicenna, Algazel, Avicebron, Averroes, Rabbi Maymonides, aliique, cum hinc quidem haud possint huiusmodi rationum debilitatem non deprehendere, illinc vero his tantum rationibus fidem nostram inniti existiment, profecto christianam religionem ludibrio habebunt. Quocirca satis theologo esse debet si, mysteriis per fidem retentis, ea cum modestia et sobrietate illustrare, eorumque cum recta ratione concordiam vindicare, errores quoque, qui contra ipsa ab adversariis opponuntur, solvere fuerit conatus.

Quapropter, cum iis quidem qui Sacram Scripturam non respuunt, efficaciter poterunt ex ea depromi Christi et Apostolorum testimonia, quo consilio usus est, optimo quidem successu, ipsemet S. Thomas in libro *Contra Gentiles*, ut inde veritas catholica eorum menti affulgeat ; quantum vero ad ceteros, satis erit si eorum argumenta solvantur, ut alibi dictum est [1]. Quae duo complectitur auctor libri *de Divinis Nominibus*, dicens [2]: *Si aliquis est qui totaliter eloquiis resistit, longe erit a nostra philosophia* (id est sapientia); *si autem ad veritatem eloquiorum* (scilicet sacrorum) *respicit, hoc et nos canone utimur.*

11. – **Duplex Trinitatis cognitio.** — Quia vero nonnulli, ut diximus, contendunt aliquos philosophos gentiles ratione naturali cognovisse Trinitatis mysterium, hinc, antequam horum testimonia agitentur, iuvabit generaliter advertisse quod aliud est cognoscere Trinitatis mysterium per *propria* personarum, aliud vero illudmet cognoscere tantummodo per essentialia attributa, quae personis *appropriantur*. Et primum quidem sibivult distincte cognoscere personas per uniuscuiusque proprietates, puta personam Patris per paternitatem, personam Filii per filiationem, etc.; et hoc dicimus philosophos naturales non fuisse assecutos, quanquam potuerunt cognoscere attributa essentialia, puta potentiam, quae Patri, sapientiam, quae Filio, bonitatem, quae Spiritui Sancto appropriantur.

[1] Tr. II. DE SACRA DOCTRINA. Quaest. I, art. 8, n. 12, p. 101. — [2] C. 2.

Quod ita pulcre exponit S. Thomas [1]: *Divinae personae secundum rationem suae processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est* [2], *cum de Dei scientia et voluntate ageretur, Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum quod est Filius, et per suum amorem qui est Spiritus Sanctus.* Et inferius [3] addit quod licet virtus creandi, non secus ac natura divina, communis sit tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit. *Nam Filius habet eam a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque; unde creatorem esse attribuitur Patri, ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio. De Filio autem dicitur* [4]: PER QUEM OMNIA FACTA SUNT, *in quantum habet eandem virtutem, sed ab alio. Nam haec praepositio* PER *solet denotare causam mediam, sive principium de principio. Sed Spiritui Sancto qui habet hanc virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet, et vivificet qua sunt creata a Patre per Filium.*

Haec igitur est differentia inter propria et appropriata, quod *propria* ea sunt quae ita uni personae competunt, ut alteri minime convenire possint, quemadmodum paternitas dicitur propria Patri. *Appropriata* vero, licet tribus personis sint communia, de una tamen potius quam de aliis specialiter praedicantur, propterea quod specialem affinitatem habent cum illius personae proprietate personali, sicut cum potentia appropriatur Patri, propterea quod ipse est fontale principium in Trinitate, sapientia Filio, propterea quod per Verbum omnia condita sunt, bonitas Spiritui Sancto, quia omnia Deus creavit propter amorem sui.

12. — Quid senserint philosophi ethnici. — Imprimis hoc notandum est, quod, si quid ethnici philosophi certo noverint circa Trinitatis mysterium, hoc non fuit, nisi quia ad illos usque a populo iudaico aliquando pervenerit revelatio a Deo in Veteri Testamento facta, quod maxime penes Ae-

[1] 1, Quaest. XLV, art. 6. — [2] 1, Quaest. XIV, art. 8, et Quaest. XIX, art. 4. — [3] Ad 2[m]. — [4] Io., I, 3.

gyptios contigisse merito suspicari possumus, cum inter eos Hebraeorum filii diu commorati sint. Quocirca de Platone, qui diu in Aegypto manserat, ait Numerius Pythagoricus, quod ipse non est nisi *Moyses atticizans*, τί γάρ ἐστιν Πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων [1]; at singillatim explorandum est quid unusquisque eorum senserit.

α) **Aristoteles.** — Primo loco venit *Aristoteles* [2] qui, dum edisserit de trina corporum dimensione, suum sermonem amplians, omnia dicit trinitate claudi, ternariumque numerum adhiberi in deorum sanctificationibus: *Tria omnia sunt et ipsum ter omniquaque. Quemadmodum enim aiunt et Pythagorici, totum et omnia tribus determinata sunt. Consummatio enim et medium et principium numerum habent eum qui omnis; haec autem eum qui trinitatis est. Propter quod a natura accipientes tanquam leges illius, et ad sanctificationem deorum hoc utimur numero*, τὰ τρία πάντα (ἔστι), καὶ τὸ τρὶς παντί. Καθάπερ γὰρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. Τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τόν τοῦ παντὸς, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. Διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας χρώμεθα τῶν θεῶν τῷ ἀριθμῷ τούτῳ [3].

Sed rem sedulo perpendenti apparet Aristotelem non loqui de Trinitate personarum in Deo. Non ubi de corporum natura agit, ut patet; sed nec ubi de sanctificationibus, seu de ritibus sacris loquitur. *Utimur hoc numero* (scilicet ternario), sic explicat S. Thomas [4], *ad sanctificationes* (sacrificationes) *deorum, quos scilicet gentiles colebant, id est, in sacrificiis et laudibus ipsorum, ac si acceperimus a natura leges et regulas ipsius: ut scilicet cum natura perficit omnia ternario numero, ita illi qui instituerunt cultum divinum, volentes Deo attribuere omne quod perfectum est, attribuunt ei ternarium numerum.*

Re quidem vera, ternarius numerus est impressus in tota creatione. Sic corporum trina dimensio est; altitudo, longitudo et latitudo; sic res materiales in triplici statu inveniuntur, scilicet solido, liquido et aëriformi; sic etiam in

[1] Apud Euseb., XV, Praep. — [2] Obiit a. 322, A. C. — [3] L. I. de Caelo et Mundo, t. 2, l. 2. — [4] Hoc loco.

tempore est praeteritum, praesens et futurum; pariter, rerum qualitates in triplici gradu inveniuntur, scilicet positivo, comparativo et superlativo; similiter, omnia clauduntur principio, medio et termino: demum, ternarius numerus unus est et indivisibilis: dividi quippe nequit, quin unitas destruatur. Quapropter concludendum est cum Virgilio [1], quod *numero Deus impari gaudet*; unde antiqui Neptunum cum tridente repraesentabant, et Pythiam super tripodem stantem aut etiam sedentem ad oracula reddenda [2].

13. — *β*) **Plato.** — Relate ad *Platonem* [3], solent recitari haec S. Augustini verba [4]: *Ibi* [5] *legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

At, imprimis, S. Augustinus hoc non dicit se legisse in libris ipsius Platonis, sed platonicorum aut neoplatonicorum, eorum scilicet qui, ducibus Plotino, Porphyrio et Iamblico, Ecclesiae doctrinam de mysteriis, praesertim de Sanctissima Trinitate, in Platonis libris inveniri contendebant. Nihil autem aliud ex Platonis scriptis fas est eruere, nisi quod ille existimaverit esse in Deo rationem idealem, per quam Deus omnia condidit, et in qua sunt omnium rerum ideae archetypae, ad quarum similitudinem res et sunt in suis propriis essentiis constitutae, et in nostra cognitione repraesentatae. Haec tamen ratio idealis, cum sit principium operationis practicae, non est quid proprium in divinis, aut personale, sed tantummodo appropriatur Filio.

Platonici insuper, ponentes unum primum ens, quod Patrem totius universitatis rerum dicebant, ponebant etiam sub eo aliam substantiam separatam, quam vocabant mentem, seu paternum intellectum, in quo essent rationes omnium rerum. In quo dupliciter magnopere errabant, quia nec tertiam substantiam separatam ponebant, quae Spiritui Sancto

[1] Eglog., VIII. — [2] Cf. circa ternarii numeri frequentiam in S. Scriptura, Gaume, Traité du Saint-Esprit, t. II, c. XX; Paris, 1890. — [3] Obiit a. 387, A. C. — [4] L. VII, Confess., c. 9. — [5] Scilicet in libris Platonicorum.

respondisset, nec ponebant Patri Filium consubstantialem, sed utrumque secundum substantiam differre, ut patet ex errore Arii sequentis in hac re platonicos.

In eumdem quoque sensum citat S. Thomas Origenem, de quo S. Hieronymus haec habet [1]: *Venenata sunt illius dogmata, aliena a Scripturis Sanctis, vim Scripturis facientia. Legi, inquam, legi Origenem, et si in legendo crimen est, fateor; et nostrum marsupium alexandrinae chartae evacuerunt. Si mihi creditis, Origenistes nunquam fui: si non creditis, nunc esse cessavi.* Non tamen desunt qui Origenem ab hisce erroribus purgari posse contendunt.

14. — γ) **Lao-Tseu.** — Solent etiam adduci verba philosophi Sinensis *Lao-Tseu* [2], qui in suo libro *Tao-te-King.* — *Ratio*, inquit, *produxit unum, unum duo produxit, duo tria, et tria omnes res. Principio obscuro* (materiae) *universum nititur, et a principio claro* (caelo) *comprehenditur: aura tepida eius harmoniam producit.* Qui etiam fertur nomen quoddam trigrammaton invenisse IHV Deitatis significativum, peregrinum quidem Sinensibus, affine vero nomini IAO Gnosticorum, cuius iuxta ipsos sol erat symbolum, quod et ipsum a Iahaveh Hebraeorum derivatum videtur, unde et *Iovis* Latinorum et *Iuba* Mauritanorum. *Quod aspicis et non vides*, ait Lao-Tseu, *vocatur I; cui aurem praebes et non audis, vocatur HI; quem quaeris manibus, et non tangis, WEI: tres res quae nequeunt comprehendi et confuse unum quid tantum faciunt. Maior enim non splendidior, non obscurior est qui inferior... Forma vocatur sine forma, imago sine imagine, indefinibilis.*

At vero haec ita possunt exponi, ut vel ad Sinenses usque, aliqua, licet adumbrata, Trinitatis revelatio ab Hebraeis derivata pervenerit, aut illi a pythagoricorum formulis ea mutuati fuerint, qui omnia numeris concludebant, ut suaderi videretur ex aliis philosophis sinensibus, de unitate, verbi gratia, sic disserentibus: *Unum est radix omnium rerum, ratio sine pari* (Hoa-nan-seu), aut *unum est substantia rationis, caelestis virtutis puritas, corporum origo, numerorum princi-*

[1] Ep. ad Pammachium et Oceanum. — [2] Florebat circa annum 600 ante Christum.

pium (Wei-kiao) [1]. Quidquid sit, notio sub supradictis formulis exhibita aenigmatica nimis est, ut sufficienter in ipsis Trinitatis mysterium traditum dici possit.

15. — ζ) **Magi Pharaonis.** — De his [2] dicendum videretur, quod ad minus duas personas cognoverint, cum a Glossa [3] dicantur defecisse in tertio signo, in est in notitia tertiae personae.

Cui tamen facile *respondetur*, hoc non esse sic accipiendum, quasi duas personas, non verum tertiam, agnoverint; sed quod, licet communia quaedam attributa cognoverint, quae postea personis divinis appropriata fuerunt, tamen in appropriatis Spiritus Sancti defecerunt, scilicet in bonitate, a qua deviaverunt, dum Deum cognoscentes, non sicut Deum glorificaverunt, ut S. Paulus testatur [4].

16. — η) **Trismegistus.** — Tandem obiicitur auctoritas antiquissimi cuiusdam philosophi aegyptiani cognomine Hermetis, seu Mercurii [5]. Erat iste quartus filius Nili, et *Trismegistus* dictus est, id est, *ter maximus* [6], eo quod, cum sapientissimus philosophus esset, summus sacerdos electus est, et cum religione ceteros antecelleret, rex tandem factus, optimus evasit. Porro inter cetera, fertur opus conscripsisse, cui titulus erat *Poemander*, in quo de natura deorum loquens ait [7]: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem*; quibus verbis videretur generatio Filii et processio Spiritus Sancti indicatae.

At, praeterquam quod eruditi contendunt librum illum esse cuiusdam christiani saeculi secundi vel tertii, neoplatonicorum doctrinis imbuti, facile animadvertitur, non esse necesse ut quod ibi dicitur referatur ad Trinitatem divinarum personarum, sed optime potest inibi insinuari productio seu creatio mundi. Nam Deus unus in essentia mundum condidit, qui licet sit naturis diversis constans, unitate tamen

[1] Cf. Cantù, Storia univ., Epoc. IV, cap. XXV. — [2] Circiter a. 1700, A. C. — [3] Rom., I, et Exod., VIII. — [4] Rom., I, 21. — [5] Floruit circa annum 1900 ante Christum. — [6] A τρὶς et μέγιστος. Magis proprie vocatur Thot. seu Theut. — [7] Dialog., IV. De hoc libro loquitur Clemens Alexandr. Stromat., l. VI, 4.

mirabili ordinis et harmoniae colligatur. Mundum autem Deus non condidit, nisi propter suam bonitatem et suum amorem, qui ita sui similitudinem in ipso imprimi voluit, ut tandem omnia ad ipsum reverterentur; et sic verum est quod *Monas genuit*, id est creavit, *monadem, et in se suum reflexit ardorem* [1].

Quae cum ita sint, concludi debet, Sanctissimae Trinitatis existentiam nec a philosophis cognitam fuisse ex solius rationis viribus, sed nec posse ratione naturali comprobari, ideoque non tam recte a Richardo a S. Victore dictum fuisse [2]: *Credo sine dubio quod ad quamcumque explanationem veritatis, non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non desint.*

17. — Valor argumentorum. — At, quoniam usque ab initio huius tractationis rationibus theologicis usi sumus ad huius mysterii existentiam et naturam dignoscendam, non inutiliter modo quaeritur, qualis et quantus sit huius generis argumentorum valor.

Ad quod solvendum, distinctione uti necesse est. Cum enim aliquam radicem, id est propositionem, seu conclusionem probare nitimur, aut argumentis apodicticis utimur, quae scilicet rem ita esse sufficienter demonstrant, aut rationibus merae congruentiae, quibus conclusio non probetur, sed tantummodo suadeatur. *Primum* fit quando firmatur veritas aut argumentis a priori, ut cum vult immortalitas animae per eius spiritualitatem comprobari, aut argumentis a posteriori, quae tamen ad veritatem probandam intrinsecam efficaciam habeant, quemadmodum per effectus Dei, eius existentia certissime evincitur. *Secundum* vero locum obtinet, quando argumentis utimur quibus, licet ostendatur effectus consequentes congruere radici iam positae, tamen non sufficienter radix ipsa probatur, quia etiam forte alia positione facta effectus salvari possent. Exemplum est in scientia astronomica, puta, cum apparentia sensibilia, quae circa motus caelestes fiunt, explicantur per rationem excentricorum et epicyclorum, aut cum in physica, lucis propagatio

[1] Cf. ad 1^m. — [2] L. I, DE TRIN., c. 4.

per theoriam undulationis explicatur; non quod hae rationes totaliter probent aut explicent factum, nam forte alia etiam positione facta, res istae aeque bene explicari possent: sed quia ostendunt effectus congruere radici iam positae. Tales igitur sunt rationes, quae ad probandum mysterium Sanctissimae Trinitatis adducuntur: licet enim ostendant mysterii congruentiam, eius tamen necessitatem minime evincunt.

Revera, si quis ex infinitate bonitatis divinae inferre velit in Deo necessitatem seipsum infinite communicandi in processionibus divinarum personarum, facile respondetur infinitam Dei bonitatem satis manifestari in creaturarum productione, eo quod infinitae virtutis est vel minimum quid ex nihilo crcare, quod suo modo divinam bonitatem participet, quin necesse sit ut illud hanc bonitatem infinite participet.

Instanti vero quod Deus solus esse non potest, quia nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio, animadvertitur hanc rationem locum habere, quando in re non invenitur perfecta bonitas, ita quod res quaelibet imperfecta ad plenam iucunditatem bonitatis bono alterius sibi consociati indigeat, non autem res perfectissima.

Demum, *obiicienti*, viam processionis verbi et amoris in mente nostra ad personarum Trinitatem manifestandam, quam viam cum S. Thoma post S. Augustinum [1] secuti sumus, esse sufficienter nobis manifestam, - - *respondetur*, hanc intellectus nostri similitudinem non sufficienter probare aliquid de Deo, eo quod intellectus non univoce invenitur in Deo et in nobis [2]. Quam ultimam obiectionem ita egregie exponit et solvit alibi [3] Angelicus. Cum enim sibi obiecisset: *Si in homine est imago Dei secundum trinitatem personarum, cum homo per naturalem rationem seipsum cognoscere possit, sequeretur quod per naturalem cognitionem posset homo cognoscere trinitatem divinarum personarum, quod est falsum*, — respondit: *Dicendum quod ratio illa procederet, si imago Dei esset in homine perfecte repraesentans Deum. Sed sicut Augustinus dicit* [4], *maxima est differentia huius trinitatis quae est in nobis, ad Trinitatem*

[1] L. X, DE TRIN., cc. 11 et 12, et l. IX, c. 4, seq. — [2] Ad 2[m]. — [3] I, Quaest. XCIII, art. 5, ad 3[m]. — [4] L. XV, DE Trin., c. 6.

divinam. Et ideo, ut ipse ibidem dicit, trinitatem, quae in nobis est, videmus potius quam credimus; Deum vero esse Trinitatem, credimus potius quam videmus.

Qua in re notanda quoque veniunt aurea S. Augustini verba: *Ego*, inquit [1], *per omnia illa tria memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria sum, nec intelligentia, nec dilectio, sed haec habeo. Ista ergo dici possunt ab una persona, quae habet haec tria, non ipsa est haec tria. In illius vero summae simplicitate naturae, quae Deus est, quamvis unus sit Deus, tres tamen personae sunt. Pater et Filius et Spiritus Sanctus... Verum in illa summa Trinitate quae incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus dicatur, et sit. Nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Nec rursus quemadmodum ista imago, quod est homo habens illa tria, una persona est, ita est illa Trinitas: sed tres personae sunt. Pater Filii, et Filius Patris, et Spiritus Patris et Filii. — Vellem*, ait alibi [2] idem S. Augustinus, *ut haec tria cogitarent homines in seipsis. Longe aliud sunt ista tria, quam illa Trinitas. Sed dico, ubi se exerceant, et probent, et sitiant, et quam longe aliud sunt. Dico autem haec tria, esse, nosse et velle.*

18. — Triplex Trinitatis repraesentatio. — Cum, ut Angelicus docet, divinae personae, secundum rationem suae processionis, habeant causalitatem respectu creationis rerum [3], ideo necesse est inveniri in natura quamdam illius repraesentationem, cum effectus suam causam, quantum potest, imitetur. At duplex est repraesentationis genus: *primum* habetur, quando effectus repraesentat solam causae existentiam, sicut fumus repraesentat ignem, et ista est *repraesentatio vestigii. Aliud* vero, quando effectus repraesentat causam, quantum ad similitudinem formae, sicut ignis generatus repraesentat ignem generantem, et ista est *repraesentatio imaginis. — In creaturis igitur rationalibus*, ait S. Thomas [4], *in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis*

[1] Ibid., c. 22. — [2] Confess., l. XIII, c. 11. — [3] 1, Quaest. XLV, art. 6. — [4] 1, Quaest. XLV, art. 7.

verbum conceptum et amor procedens. Sed in creaturis omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas, sicut in causam. Quaelibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam, per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, in quantum est Amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus [1], *quod, vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquid est, et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod quemdam ordinem tenet. Et ad haec etiam reducuntur illa tria, numerus, pondus et mensura quae ponuntur* [2]. *Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad haec tria reducuntur alia tria quae ponit Augustinus* [3]: *Modus, et species, et ordo. Et ea quae ponit in libro 83 Quaestionum* [4]: *Quo constat, quo discernitur, quo congruit. Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quaecumque sic dicuntur.*

At vero, quia divinae personae distinguuntur secundum processionem Verbi a dicente et Amoris ab utroque, quae omnia Deus sunt, ideo *repraesentatio imaginis simillimae* habetur in anima hominis per comparationem ad Deum in se cognitum et amatum, quae cognitio et qui amor non habentur nisi per gratiam [5], ideoque per gratiam habetur Trinitatis imago longe perfectior, quam habeatur per naturam, secundum illud [6]: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.*

[1] L. VI, de Trin., c. 10. — [2] Sap., XI, 21. — [3] L. de Nat. Bon., c. 3. — [4] Q. 18. — [5] Cf. I, Quaest. XCIII, art. 8. — [6] Io., XIV, 21.

19. — **Duplex utilitas revelationis mysterii Sanctissimae Trinitatis.** — Porro, duplex homini utilitas provenisse dicenda est ex revelatione praedicti mysterii; una est in ordine naturali, alia vero in ordine supernaturali. — α) In ordine quidem naturali, revelatio huius mysterii hoc homini contulit, ut recte sentiret de creatione rerum. Ex eo enim quod compertum habemus esse in divinis Verbum subsistens, per quod Deus dicitur omnia fecisse, excluditur eorum error, qui ponunt Deum res fecisse per formam qua ipse est, seu naturaliter, ideoque ex necessitate naturae. Pariter ex eo quod ponitur in Deo processio Amoris et Amor procedens, ostenditur Deum non propter aliquam indigentiam, nec propter aliquem extrinsecum finem, creaturas produxisse, sed propter suae bonitatis amorem. Quocirca, cum Moyses dixisset [1]: *In principio creavit Deus caelum et terram*, mox subdidit: *Dixit Deus: Fiat lux*, scilicet ad divini Verbi manifestationem; et postea: *Vidit Deus lucem quod esset bona*, ad ostendendum divini Amoris probationem.

β) Sed longe maior est utilitas quae generi humano provenit ex revelatione mysterii Sanctissimae Trinitatis, per respectum ad ordinem supernaturalem. Revera, ordo iste, cuius ratio in respectu ad salutem hominum aeternam sita est, in huiusmodi mysterio totus consistit: salus quippe humani generis, a Patre constituta, perficitur per Filium Incarnatum, necnon per donum Spiritus Sancti [2].

20. - **Obiectiones.** — 1. Ut posset concludi quod ratio humana nequit per suas solas vires ad cognitionem mysterii Sanctissimae Trinitatis pervenire, necesse esset cognoscere totam eius extensionem. Atqui homo nequit cognoscere totam extensionem rationis humanae. Ergo.

Resp. Dist. mai.: esset necesse cognoscere totam extensionem adaequatam, *nego*; totam extensionem proportionatam, *conc. Dist. min.:* adaequatam, *conc.*; proportionatam, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Ad hoc ut possit sciri utrum ratio humana valeat propriis viribus aliquam veritatem assequi, non est necesse ut tota eius extensio adaequata cogno-

[1] Genes., in init. — [2] Ad 3[m].

scatur, sed sufficit ut cognoscatur eius extensio proportionata. Extensione adaequata cognoscere intellectum humanum est illum ita comprehendere, ut nihil eius lateat cognoscentem sub quocumque respectu, scilicet etiam prout subest actioni primi agentis; extensione vero proportionata est intellectum apprehendere quantum ad ea quae naturaliter cognoscere valeat. Porro, intellectus nequit propriis viribus ferri ultra latitudinem obiecti sui proportionati: ergo si agnoscatur aliquod cognoscibile non haberi intra latitudinem obiecti proportionati intellectus humani, iam in promptu erit, ut concludatur quod homo illud obiectum non possit cognoscere propriis viribus. Atqui huiusmodi est quidquid ad ordinem supernaturalem formaliter pertinet, cuius fundamentum est ipsum Sanctissimae Trinitatis mysterium. Revera minimum ordinis supernaturalis superat sua dignitate et excellentia quodcumque, etiam maximum, ordinis naturalis; ordo enim supernaturalis proprie hoc addit supra ordinem naturalem, quod in ipso sit communicatio deitatis in se, et non tantum ex communibus et appropriatis: unde, licet detur in creatione vestigium Trinitatis, non datur tamen ulla res quae sufficienter ostendat propriam subsistentiam unius rei in tribus hypostasibus, sed nec omnino dari potest.

II. Nisi cognoscatur Sanctissimae Trinitatis mysterium, cognitio philosophica de Deo erit falsa: falso enim sentit de deitate qui agnoscit Deum unum et non trinum.

Resp. Qui ita agnoscit Deum, ut illum esse trinum neget, male sentit de deitate; at non ille, qui ita Deum agnoscit, ut nihil de Trinitate cognoscat; prior habet ignorantiam pravae dispositionis, alter vero simplicem nescientiam. Porro philosophus Deum quidem praedicat esse unum, non tamen hoc sensu quod excludat ab ipso Trinitatem; sed ita vere affirmat unitatem, quo modo obiectiva unitas potest tam excelso enti competere: hoc autem ex fide scimus esse, ut unitas Deo competat in Trinitate et Trinitas in unitate.

ARTICULUS II. — *Utrum sint ponendae notiones in divinis.*

1. - **Ratio articuli.** — Ad secundam propositae quaestionis de Trinitatis cognoscibilitate partem modo accedimus, ut determinemus utrum et quomodo dari possint *propriae rationes cognoscendi divinam personam*, seu, ut hic appellantur, *notiones*. In hoc autem articulo prius de earum in divinis existentia; postea vero de earum propria ratione agetur.

2. - **Praepositivi opinio.** — *Praepositivus*, ecclesiae parisiensis cancellarius [1] docuit divinam simplicitatem non sinere ut ponantur in divinis proprietates et notiones: sed, sicubi inveniantur, abstractum pro concreto esse exponendum, ut cum dicitur in divinis *paternitas*, intelligi debeat *Pater*; quemadmodum cum dicimus: *Rogo benignitatem tuam*, sensus est: *Rogo te benignum*. Unde consideranti apparet hanc opinionem in initio aliquo modo contrariam esse errori Gilberti Porretani, qui negabat Deum esse deitatem, sic graviter offendendo contra divinam simplicitatem; attamen, in fine utraque sententia in hoc convenire videtur quod, sicut Gilbertus admittere nolebat id quo Pater est Pater esse Deum, ita Praepositivus contendebat non esse admittendum in Deo id quo Pater cognoscitur, seu propriam rationem personae in abstracto, ne fieret praeiudicium divinae simplicitatis.

3. — **Refutatur Praepositivi sententia.** - Sed facile respondetur quod uti nominibus abstractis et concretis nullo modo officit divinae simplicitati. Revera, ut saepius inculcatum est, nominamus res sicut eas cognoscimus, unde et ipsum Deum verbis exprimimus, sicut eum intelligimus. Atqui cognoscimus Deum non secundum quod est in se, sed secundum quod res sensibiles, ex quibus scientiae nostrae exordium sumitur, nos manuducunt in cognitionem illius. Ergo Deum nominamus secundum quod nomina adhibemus ad res quas cognoscimus significandas. Atqui ad significandas simplices

[1] Obiit A. D. 1209.

formas, utimur nominibus abstractis, et ad significandum res subsistentes, nominibus utimur concretis. Ergo ratione divinae simplicitatis, Deum significamus per nomina abstracta, et ratione subsistentiae et complementi, per nomina concreta.

4. — Praemonenda. — Porro duo sunt genera nominum in Deo, scilicet absoluta et relativa, secundum quod duo tantum praedicamenta in Deo ponenda esse cognoscimus, scilicet substantiam et relationem. Igitur, sicut essentialia nomina adhibemus, tum in abstracto, tum in concreto, ut cum dicimus: *Deus* est *deitas*, *bonus* est *bonitas*, ita et nomina relativa seu personalia, ut dicamus *Pater* est *paternitas*.

Ubi notandum ulterius est, abstractum non poni a nobis in divinis, quasi aliud sit abstractum, aliud concretum a parte rei; sed quia hoc est ex modo nostro intelligendi, tamen cum fundamento in re, quae tanta virtute pollet, ut una manens, rationes utriusque eminentiori modo contineat. Nihilominus utrumque, abstractum scilicet et concretum, retinet proprium modum significandi, qui proprius modus significandi ratio est cur aliquae praedicationes non admittantur, licet praedicatum re sit idem ac subiectum [1]. Sic non admittitur, ut dicatur, *deitas generat*, *filiatio gignitur*, quia tum deitas, tum filiatio significantur ut ratio formalis *qua*, non autem ut principium *quod* operationis [2], ut fusius infra declarabitur. — His igitur praemissis, contra praefatam Praepositivi sententiam statuimus

5. — PROP. — Necesse est ponere notiones in divinis.

6. — Nomen NOTIO. — Notat Caietanus quod videtur vocabulum istud fuisse introductum a S. Augustino, ubi dicit quod *alia est notio qua intelligitur genitus, et alia qua genitor* [3]. Quidquid sit, quanquam non habetur nomen istud in Libris Sanctis expressum quoad litteram, et licet de notionum existentia non sit formalis definitio Ecclesiae, tamen tam diuturno usu penes theologos firmatum invenitur, ut temerarium sit, illud nomen, et rem per illud significatam, respuere, ut mox ostendetur [4].

[1] Cf. EXTRAV. DE TRINITATE ET FIDE CATH., c. 2. — [2] Ad 2[m]. — [3] L. V. DE TRIN., c. 6. — [4] Art. 4.

Siquidem, ut ait Angelicus [1], *licet de notionibus non fiat mentio in Sacra Scriptura, fit tamen mentio de personis in quibus intelliguntur notiones, sicut abstractum in concreto.* Firmatur quoque enunciata thesis auctoritate S. Ioannis Damasceni aientis [2]: *Differentiam hypostaseon, id est personarum, in tribus proprietatibus, id est paternali, et filiali, et processionali recognoscimus.* Atqui proprietates, secundum quod dicunt rationem qua divinae personae a nobis cognoscuntur, sunt ipsaemet notiones de quibus nunc agimus.

7. — **Usus nominis** NOTIO. — Quocirca Doctores, S. Gregorii Nazianzeni praecepto insistentes [3]: *Liceat perspicuitatis causa nova nomina fingere*, sano ducti consilio, ad divinae essentiae summam simplicitatem cognoscendam, notiones introduxerunt, quas Graeci ἐννοίας, aut ἐπινοίας nominant; quae cum ad οὐσίας seu φύσεως rationem designandam adhibentur, *attributa* proprio nomine vocantur; cum autem ad σχετικά, seu relativa declaranda, usurpantur, *notiones*, communi retento nomine, appellantur. Sunt igitur notiones *notae quaedam et characteres, seu formae aut propria signa, quibus distinguuntur ab invicem personae, et una ab alia dignoscitur... Nam proprietates, notae quaedam et formae quae in substantia considerantur, dividunt quod est commune propriis characteribus; at eiusdem communionem substantiae non discindunt.* αἱ γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ, διαιροῦσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι, τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσι [4].

Revera, quod uti debeamus nominibus essentialibus, tum in abstracto tum in concreto, dictum est in tractatu *de Deo uno*. Igitur tota nunc difficultas est pro nominibus personalibus in abstracto, verbi gratia, pro paternitate, seu pro notionibus, notio enim nomine abstracto significatur. Ad quod probandum, duo ponuntur a S. Thoma argumenta: aliud indirectum, aliud vero directum.

8. — **Argumentum indirectum.** — Desumitur ex necessitate respondendi haereticorum, imo cuiuslibet sciscitantis,

[1] Ad 1[m]. — [2] L. III, DE FIDE ORTHOD., c. 5. — [3] ORAT., XXXIX. — [4] S. Basil., l. II, CONTR. EUNOM. apud Petav., DE TRIN., l. IV, prooem.

instantiis. Cum enim confitemur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum ac tres Personas, sicut si quis quaerat: quonam sunt unus, respondetur, nomine abstracto, essentia vel deitate, ita si quis quaerat: quonam sunt tres personae, oportet esse aliqua nomina abstracta quibus responderi possit ad personarum distinctionem signandam: cuiusmodi sunt proprietates et notiones in abstracto significantes. Proinde, essentia in divinis significatur ut *quid*, persona ut *quis*, proprietas ut *quo*, quae quando sumitur absolute dicitur *attributum*, *notio* vero quando sumitur relative. Nec quaerenti: *quo* sunt tres personae, sufficit responsio: *Trinitate*; haec enim responsio non solvit, sed magis roborat dubium, quod est non de iis qui subsistunt, sed de eo quo unusquisque distinguitur.

9. — **Argumentum directum.** — Invenitur in divinis una persona, scilicet persona Patris, ad duas personas referri, nempe ad personam Filii et ad personam Spiritus Sancti. Ergo, aut refertur unica relatione reali, aut duabus. At non primum, secus sequeretur quod etiam Filius et Spiritus Sanctus referuntur ad Patrem una tantum et eadem relatione: et ita, cum sola relatio in divinis multiplicet Trinitatem, sequeretur quod Filius et Spiritus Sanctus non essent duae personae, sed ad summum duo diversi adspectus unius eiusdemque personae, sicut cum Rosminius ponebat Verbum esse personam Spiritus Sancti, secundum quod est obiectum amatum [1]. Ergo oportet ut Pater duabus relationibus referatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, ut isti realiter inter se distinguantur; unde necessitas ponendi notiones vel proprietates in abstracto, quibus Pater cognosci possit.

10. — **Responsio Praepositivi excluditur.** — Huic respondebat Praepositivus non esse necesse quod Pater duabus relationibus referatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, sed satis esse ut una relatione ad utrumque referatur, quia Deus una tantum relatione refertur ad creaturas, seu uno tantum modo se habet ad ipsas, cum tamen creaturae diversimode

[1] Prop., XXVI.

se habeant ad ipsum, et diversis relationibus ad eum referantur.

Cui facile *respondetur* omnes creaturas referri ad Deum sub una tantum specie relationis, scilicet secundum quod sunt creaturae ipsius. Filius autem et Spiritus Sanctus ad Patrem referuntur, non sub una et eadem specie relationis. — Et si quis *instet* dicendo quod creaturae ad Deum realiter referantur diversimode, ita ut alia sit in ipsis relatio servitutis, alia redemptionis, etc., et tamen in Deo non est nisi una relatio ad creaturas, negari hoc debet: nam tot relationibus refertur Deus ad creaturas, quot relationibus creaturae ad Deum ipsum referuntur; sed in Deo istae relationes sunt rationis tantum; relationes autem rationis in Deo multiplicare non est inconveniens; e contra, in Patre oportet esse relationem realem ad Filium et ad Spiritum Sanctum. Igitur necesse est ut in Patre duplex relatio realis agnoscatur, secus Filius non distinguetur a Spiritu Sancto, et sic necesse est ponere plures notiones in Patre, ad illum sufficienter cognoscendum.

11. - **Explicatur.** — Revera, ratio specifica relativi consistit in hoc quod *ad aliud* se habeat, non quidem, ut notat Caietanus [1], quasi ratio specifica relativi sumi debeat ex correlativo ad quod est, ex causa enim seu fundamento consurgit relationis species [2], sed *quod specifica ratio relativi consistit in esse ad aliud proportionale sibi. Quemadmodum enim relativum in communi consistit in esse ad aliud in communi, ita relativi species consistit in ordine ad aliud secundum speciem* [3], nempe ad aliud quod sibi proportionetur aut commensuretur. Exempli gratia, ratio specifica patris consistit in hoc quod ad filium se habet; et ratio specifica domini consistit in hoc quod ad servum se habet; unde oportet aliam speciem relationis esse domini et patris secundum diversitatem filii et servi. Igitur, stat quod nisi in Patre ponatur duplex relatio realis qua refertur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, non poterit ex adverso salvari realis relatio tum Filii tum Spiritus Sancti ad Patrem.

[1] In h. l. — [2] Cf. 3, Quaest. XXXV, art. 5. — [3] Caiet., Ibid., n. XIII.

12. — Scholion. — Igitur oportet ut secundum duas relationes Filii et Spiritus Sancti, quibus istae personae referuntur ad Patrem, ponantur in ipso Patre duae relationes, quibus ipse e converso referatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum. Sed persona Patris est una, relationes autem quibus ipse refertur sunt duae. Ergo necesse est ut per aliud significetur id quod est persona, et per aliud id quo est, id est relationes; et sic necesse est ut habeatur praedicatio in concreto et in abstracto, et quidem in abstracto, per relationes, proprietates et notiones.

Ubi cum dicitur in Patre esse duas relationes, cavendum est, ut alibi iam dictum est, ne intelligantur esse in Patre realiter distinctae tanquam duae res. Paternitas enim et spiratio sunt duae relationes reales, quia distinguuntur differentiis relationis; at quia non opponuntur ad invicem relative, ideo non sunt duae realiter differentiis rei distinctae, sed sunt una *realiter*, et duae *virtualiter*, id est, ut observat Caietanus [1], perinde se habent ac si essent duae, non intellectu nostro tantummodo constitutae, sed excellentia divinae naturae.

13. — Obiectiones. — 1. Dantur relativa unius speciei relationis, quae tamen referuntur ex adverso ad relativa diversarum specierum, sicut, verbi gratia, filius refertur tum ad patrem, tum ad matrem. Ergo possunt duae relationes diversae speciei, ut paternitas et maternitas opponi uni relationi secundum speciem, scilicet filiationi, puta, Socratis.

Resp. Radix propositionis assumptae a S. Thoma est illa propositio Aristotelis [2]: *Nullum relativum dicitur bis.* Haec autem propositio debet sic explicari, ut nullum relativum unius speciei dicatur ad *correlativa diversarum specierum totalium.* Unde potest aliquod unum relativum unius speciei dici ad plura correlativa eiusdem quidem speciei, sed quae solo numero distinguuntur, sicut unus homo albus potest dici similis omnibus albis. Rursus, potest aliquod relativum unius speciei dici ad correlativa diversarum specierum *non totalium*, sicut filius ad patrem et ad matrem, qui partialiter

[1] Hic, n. XVI. — [2] L. V, Metaph., c. De *ad aliquid*.

concurrunt ad unum numero generationis effectum, sed tunc, licet unica sit secundum rem relatio in filio, duplex tamen est secundum rationem, *in quantum correspondet utrique relationi parentum secundum duos respectus intellectus* [1]. Non autem ita res se habet in proposito. Nam filiatio et processio primo sunt diversarum specierum, et, secundo, Filius et Spiritus Sanctus non sunt partialia relativa, sed omnino perfecta.

Unde ad argumentum sic in forma propositum: Unum relativum potest una relatione ad plura relativa referri. Atqui persona prima est unum relativum respectu aliarum duarum personarum. Ergo persona prima potest ad alia duo relativa una relatione referri, — *respondetur: dist. mai.:* unum relativum potest una relatione ad plura relativa referri, quae sint eiusdem speciei, et solo numero differentia, *conc.:* quae sint specie differentia, *subdist.:* si haec sint partialia, *conc.:* si haec sint completa, *nego. Dist. min.:* respectu aliarum duarum personarum, quasi sint duo relativa solo numero differentia in eadem specie relationis, *nego:* quasi sint duo relativa specie relationis differentia, *subdist.:* quasi sint partialia, *nego.* quasi sint completa, *conc. Nego conseq. et conseq.*

Illustratur maior, pro prima distinctione, exemplo iam relato plurium albedinum respectu unius albedinis, aut plurium discipulorum respectu eiusdem magistri, aut plurium filiorum respectu eiusdem patris. Pro secunda autem distinctione exemplo patris et matris qui concurrunt diversa quidem specie relationis, sed uno actu integro et indiviso; e contra, plures trahentes navem referuntur quidem ad navem ut partiales causae eius tractionis, sed eiusdem speciei. *Minor* quoque fluit ex dictis, et declaratur dicendo quod α) non est eadem species relationis Filii et Spiritus Sancti; quia ille ut genitus, iste vero ut procedens refertur ad Patrem; β) nec sunt ut partialia relativa, quia a Patre et Filius perfecte et complete generatur, et ab eodem Spiritus Sanctus perfecte et complete procedit [2].

II. Christus una tantum reali relatione filiationis refertur tum ad aeternum Patrem, tum ad Matrem temporalem,

[1] 3, Quaest. XXXV, art. 5, ad 3[m]. — [2] Cf. Caiet., n. XVII.

qui tamen ambo ad ipsum realiter referuntur. Ergo pari ratione, Pater una tantum reali relatione refertur ad Filium et ad Spiritum Sanctum. — *Prob. antecedens*, quia si quidem esset attendendum ad solam causam relationis, duae filiationes in Christo essent dicendae, cum sint in Christo duae verae generationes; sed quia subiectum relationis non est natura aut pars naturae, sed sola persona seu hypostasis, quae in Christo est una tantum, ideo ponere in Christo duas filiationes realiter distinctas esset dividere Christum sensu nestoriano.

Resp. Christus relatione reali filiationis ad solum Patrem refertur, relatione autem rationis ad Matrem, relatione scilicet quae cointelligitur relationi reali Matris ad ipsum, et vi cuius vere dicitur eius filius, quae eiusdem rationis est ac illa qua Deus refertur ad creaturam, vi cuius vere dicitur Creator et Dominus. Sed Pater ponitur referri ad Spiritum Sanctum non secus ac ad Filium, ut dictum est, unde non est eadem ratio [1].

14. — Quid sint notiones. — Ex hisce colligi potest quod notiones, formaliter consideratae sunt *rationes quaedam quibus divinae personae cognoscuntur*. Diximus, *formaliter consideratae*, quia si considerentur prout sunt res quaedam, sic nil aliud sunt nisi personae ipsae et ipsa essentia divina: paternitas enim, ut res, est ipse Pater et essentia divina. Unde notiones significantur in abstracto et ut formale principium cognitionis alicuius divinae personae. Quocirca, constat quod non omnia quae de Deo dicuntur possunt dici de notionibus; sed in praedicationibus attendendum est ad modum significandi ipsarum; nam *praedicatum convenit rei significatae per subiectum, sub illo modo quo significatur* [2]. Atqui *principio formali quo* personae cognoscuntur nullo modo competit ordo ad actum aliquem, sive essentialem, sive personalem: unde nequit dici quod *paternitas creat, aut generat*: creare enim et generare, sicut agere, convenit suppositis tantum.

Attamen huiusmodi *principio formali* competit ut sit realiter idem ac divina essentia, imo ac divina persona, quia

[1] Cf. S. Thom., loc. cit. — [2] Extrav. de Trin. et Fide Cath., c. 2.

quidquid in Deo est, Deus est; unde poterit dici quod paternitas est Deus, et quod paternitas est Pater. Similiter, quae praedicata conveniunt essentiae, et non dicunt ordinem ad actum, sed removent imperfectionem creaturarum, possunt praedicari de notionibus, ut dicatur quod paternitas est aeterna, simplex, immutabilis, immensa [1]. In quibus omnibus nullum fit praeiudicium divinae simplicitati: non enim compositionem in Deo facimus, sed ratione tantum ea quae Dei sunt distinguimus [2].

Articulus III. — *Utrum sint quinque notiones.*

1. — **Replicatur notionis conceptus.** — Ex traditis in articulo praecedenti, sequitur quod notio formaliter sumpta est *ratio formalis qua divina persona potest a nobis cognosci.* Unde, in eo quod significat rationem formalem *qua*, concordat cum relatione et cum proprietate: nam ista quoque significant in abstracto. Distinguitur tamen a relatione, quia notio est principium cognoscendi, relatio autem est principium oppositionis, et proprietas principium distinctionis inter divinas personas. Et istae quidem sunt notiones *personarum*: notiones enim *personales*, ut proprie distinguuntur contra notiones personarum, eae dicuntur, quae intelliguntur *constituere* personas.

Porro, ex eo quod notio dicitur propria ratio, sequitur quod debet significare aliquid speciale circa divinam personam; unde, ut ait S. Doctor [3], *esse ab alio*, licet competat tam Filio quam Spiritui Sancto, tamen non est notio, quia non est aliquid speciale: Filius enim et Spiritus Sanctus non conveniunt in uno speciali modo essendi a Patre, sicut Pater et Filius conveniunt in uno speciali modo producendi Spiritum Sanctum.

Demum, quod adiungitur, *divinam personam*, tria ad notionem requiri innuit. 2) Ut significet aliquid ad originem spectans, personae enim distinguuntur secundum relationes originis. 3) Ut ratio illa pertineat ad dignitatem, non qui-

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. Cf. Satolli, in h. l. — [3] Ad 5[m].

dem essentialem, sed personalem, et hoc ideo, quia *persona* nomen dignitatis est; unde ex eo quod a Spiritu Sancto nulla alia persona est, non potest accipi notio aliqua eiusdem, cum hoc non pertineat ad dignitatem ipsius, sicut ad auctoritatem Patris pertinet quod a nullo sit [1]. γ) Quod sit unius in quantum unum est; ita ut, si significet aliquid pluribus conveniens, ut spiratio, quae Patri et Filio competit, hoc ipsum tamen eis conveniat in quantum unum sunt; et proinde propter hanc rationem, esse ab alio non est notio, ut dictum est [2].

2. — **Essentia notionis.** — In eo igitur reponi notionis essentia debet, quod est velut nota quaedam, qua innotescere nobis possit aliqua divina persona, et quae nobis sit velut medium formale ad illam cognoscendam. Sic enim Patres, praesertim Ecclesiae graecae, de notionibus loquuntur sub nomine *signaculi, tesserae, characteris, sigilli*, etc. Ubi evidens est, *primo*, quod notiones debent esse nobis notiores ipsis personis quas manifestant, et *secundo*, quod nulli fas est notiones aliquas introducere, nisi quae fundamentum habeant in Scripturis, et quae inveniantur cum sacrae theologiae principiis concordare.

3. — PROP. — **Sunt in divinis quinque tantum notiones: scilicet, innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio.**

4. — **Prob.** — Notio est propria ratio cognoscendi divinam personam. Ergo quot sunt propriae rationes cognoscendi divinam personam, tot sunt notiones. Atqui divina persona ea ratione innotescit qua in se constituitur, et ab aliis secernitur, quod quidem est per originem, secundum quam accipitur multiplicatio personarum. Porro, ad originem duo pertinent: *a quo alius*, et *qui ab alio*. Ergo secundum hosce duos modos potest divina persona nobis innotescere, et proinde sumi debet notionum numerus.

Iamvero, singillatim considerando personas, de persona *Patris* invenimus quod hoc sibi proprium vindicat, ut non

[1] Ad 4[m]. — [2] Cf. 1. Dist. XXXI, Quaest. II, art. 3.

sit *ab alio*, cum Patre a nullo sit, quod quidem de nulla alia persona dici potest. Ergo secundum hoc ponitur in ipso *innascibilitas*. Ex altera vero parte, in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter: *primo*, in quantum Filius gignitur ab ipso, et *secundo*, in quantum Spiritus Sanctus ab eo procedit. Unde, quantum ad primum, ponitur *paternitas*; quantum ad secundum vero, ponitur *spiratio*; et quia haec communis est etiam Filio, dicitur *communis spiratio*: tres igitur sunt in Patre notiones.

Quantum ad personam *Filii*, secundum quod Filius est ab alio nascendo, ponitur *filiatio*, secundum quod gignitur a Patre; secundum vero quod ab ipso procedit Spiritus Sanctus, ponitur *communis spiratio*, qua simul cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Duae igitur in ipso sunt notiones, quarum tamen una coincidit cum una notione Patris.

Demum *Spiritus Sanctus* non potest innotescere per hoc quod aliquis sit ab ipso, cum ab eo nulla procedat persona; quod autem ab aliquo nulla sit persona, ad dignitatem non pertinet, ut dictum est, unde Spiritus Sanctus solummodo per hoc innotescit, quod ipse est ab alio, et quidem *processione*.

Quinque igitur solummodo sunt notiones, videlicet: *innascibilitas*, *paternitas*, *filiatio*, *communis spiratio*, et *processio*, vel secundum Graecos: ἀγεννησία, πατρότης, υἱότης, προβολή, ἐκπόρευσις.

5. — Scholia. — I. Inter has notiones, quatuor tantum sunt *relationes* [1]: innascibilitas enim non est relatio nisi per reductionem, quia sicut non ens reducitur ad genus entis et non homo ad genus substantiae in qua est homo, ita et innascibilis seu esse ingenitum ad genus geniti. Quatuor item sunt *proprietates*; communis enim spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis. Notiones vero *personales*, id est constituentes personas, sunt tres tantum, scilicet: paternitas, filiatio et processio.

II. Propter quinarium notionum numerum, non potest dici Deus *quinus*, sicut dicitur *unus* propter unitatem es-

[1] Ad 1um.

sentiae, et *trinus* propter trinitatem personarum. Ratio est, quia tum essentia, tum personae, in Deo significantur ut res quaedam, notiones vero non significantur ut res, sed ut rationes notificantes personas [1].

III. Notiones unius personae, licet realiter unum quid et idem sint, tamen ad invicem praedicari non possunt, ut dicatur, verbi gratia, quod paternitas est innascibilitas. Ratio est, quia licet huiusmodi notiones non differant realiter, cum non opponantur ad invicem relative, designantur tamen nominibus significantibus earum distinctionem secundum rationem. — Nec obstat quod attributa essentialia possunt de se invicem praedicari, sicut cum dicimus quod bonitas Dei est eius sapientia, praedicantur enim de se invicem ut res sunt, non autem ut sunt formaliter attributa ; nam dicere non possumus quod attributum scientiae sit attributum potentiae, licet scientia sit potentia [2].

6. — Quaestio. — Contra quinarium notionum numerum insurgit Scotus [3], non improbabilem reputans sextae notionis existentiam, scilicet *inspirabilitatem*, communem Patri et Filio.

At, contra, dicendum est quod inspirabilitas non est ponenda notio sive Patris, sive Filii. Quod non sit ponenda notio Patris, explicitius ostendetur infra [4], ubi dicetur quod *innascibilitas* vel ratio ingeniti non modo removet a Patre esse genitum, sed etiam esse ab alio quocumque modo, et consequenter esse spiratum aut procedens: unde nec *improcessibilis* Pater dicendus est. Quod autem non sit ponenda notio Filii, Caietanus rationem dat [5] quia *negationes modorum originis inter notiones computari regulariter non debent* : privatio enim per habitum et negatio per affirmationem naturaliter cognoscitur, et non e converso. Nec obstat quod innascibilitas, quae negatio est, ponitur notio Patris: hoc enim fit praeter regulam, propter sequentes rationes, quas ex eodem Caietano transcribimus [6].

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. — [3] 1, Dist. XXVIII, Quaest. I, art. 3. Cf. Tract. n. DE DEO UNO. Quaest. III, Prol., n. 2. — [4] Quaest. XXXIII., art. 4. — [5] Hic, n. VII. — [6] Hic, n. VIII.

7. - **Rationes propter quas innascibilitas ponitur notio Patris.** - PRIMA *est, quia persona Patris sola se habet in Trinitate in ratione primi principii: solus enim Pater ibi est principium non de principio. Et propterea, tum quia ratio primi optime per negationem notificatur; tum ad commendandam hanc tantam Patris auctoritatem (propter quam secundum Hilarium, maior dicitur Filio, et Filius in Evangelio solitus est omnia referre ad Patrem, et Ecclesia omnes fere orationes ad Patrem dirigit) merito huiusmodi negatio notio posita est. Et ratio tangitur in littera* [1].

SECUNDA RATIO *est, propter variam connexionem istorum terminorum in communi, scilicet* PATER *et* INGENITUS. *Haec enim duo separata inveniuntur apud nos: omnis enim pater est genitus, id est ab alio, vel etiam genitus proprie, excepto Adam, qui fuit pater et ingenitus. Ex propriis tamen rationibus coniungi possunt, et in paterna persona iuncta sunt. Non sic autem est de* FILIO *et* INSPIRABILI: *haec enim ubique connexa sunt. Et ideo merito negatio illa inter notiones numerata est. Et sumitur haec ratio ex S. Augustino* [2].

TERTIA RATIO *est ex Hilario* [3] *ad commendandam unitatem divinae naturae: ponendo siquidem innascibilem unam personam, ponitur unum principium et caput in natura divina. Inquit enim Hilarius quod ponere duos innascibiles, est ponere plures deos et plures naturas divinas: ac per hoc, ponere unum innascibilem, commendat unitatem divinae naturae. Propter quod, sacri Doctores non qualitercumque ponunt innascibilitatem esse notionem, sed ut propria est Patri, ita quod nec essentiae nec Spiritui Sancto convenit.*

Accessit forte ad haec, quod nominibus propriis processionis Spiritus Sancti caremus.

ARTICULUS IV. — *Utrum liceat contrarie opinari de notionibus.*

1. - **Quandonam sit aliquis haereseos accusandus.** — Quae hic subnectitur quaestio ampliari potest, ita ut implicite quaeratur, utrum licitum sit discedere ab ea doctrina

[1] In resp., ad 4[m], in calce, et in I. SENT., ubi supra. — [2] L. V. DE TRINITATE, c. 8. — [3] 6. In lib. DE SYN.

quam theologi, citra tamen expressam Ecclesiae definitionem universaliter retinent, ad explicanda fidei dogmata: propositioni enim quae ab Ecclesia definita fuerit, aut directe in divina traditione contineatur, contradici sine haereseos nota non valet, maxime si pertinacia accedat ex parte contradicentis. Quod etiam tenet pro iis quae sic ad fidem pertinent, ut negatis aliquid contrarium fidei consequatur, cuiusmodi esset, ait S. Thomas, si quis negaret Samuelem fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequeretur Scripturam divinam esse falsam, dummodo tamen manifestum sit, aut Ecclesia ipsa iam definierit, quod ex tali negatione sequitur aliquid contrarium fidei.

Igitur, si quis neget aliquid quod pertinet quidem ad fidem, sed tamen non advertat quod ex tali negatione sequitur aliquid fidei contrarium, aut Ecclesiae definitionem hac de re ignoret, haereseos notam non incurrit, quamdiu aut ad periculum negandae fidei non advertat, aut Ecclesiae definitio ipsi non innotescat. Attamen, statim ac Ecclesiae determinatio ipsi innotuerit, aut satis manifeste apparuerit tales veritates non posse sine fidei detrimento negari, contrarium illis tenere non erit absque haereseos nota, saltem in conscientiae foro. Unde decursu temporis, rebus magis magisque per rationem dilucidatis, multa haeretica reputantur, quae antea poterant salva fide in utramque partem agitari.

2. — Quid circa notiones sit sentiéndum. — Igitur circa divinas notiones aliqui anteacti temporis doctores contrarium tenuerunt, quin haeretici dicerentur, cum nondum satis appareret utrum ex hisce positionibus, contra trinitatem personarum in unitate naturae subsistentium offenderetur. Eo vel magis id fieri potuit, cum notiones formaliter referantur ad modum nostrum intelligendi Santissimam Trinitatem, quae veritas longe excedit quamcumque mentis nostrae intelligentiam. Cum autem tam longo seculorum usu ista de notionibus scholastica doctrina fuerit consecrata et Ecclesiae implicita sanctione firmata, temerarium, ut minus dicamus, illum esse oportebit, qui hanc doctrinam ceu falsam respuere ausus fuerit. Unde, licet doctrina de notionibus

articulus fidei non sit, quia tamen certum est notiones pertinere ad Trinitatem, tanquam rationes proprias cognoscendi divinas personas, hinc simpliciter concludendum est, *non licere contrarie opinari de notionibus*, maxime cum, teste S. Augustino [1], nullibi tam periculose erretur, quam in materia Trinitatis [2].

3. — **Quaestio.** — *Utrum liceat quamcumque opinionem in theologia sequi?*

Occasione huius articuli iuvat recolere theologum in iis quae libere in utramque partem in scholis agitantur, cavere debere ne contra se sentientes haereticos praepropere accuset: veritas enim debet esse sibimet sufficiens iustificatio, quin ad convicia recurrat; unde tritum adagium: *In certis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.* — Monendus tamen est veritatis studiosus inquisitor, non licere sibi, mox ac alicuius conclusionis cum inconcussis theologiae principiis intimam connexionem deprehenderit, ad oppositam conclusionem transire, eo quod aut commodior sit, aut plures nanciscatur patronos. Pessima enim ratiocinandi est illa methodus, qua alicuius sententiae valor non intrinseca eius veritate, sed potius utilitate mensuretur; nec magis est rectae rationi consentanea illa via, quam tamen multi hisce temporibus ingressi sunt, qua videlicet quaestiones theologicas potius doctorum extrinseca auctoritate, quam argumentorum intrinseco robore, dirimere contendunt. Nimirum, hoc est primum hominis officium erga semetipsum, ut illud non amplectatur, quod cum rectae eius rationis lumine pugnet; et haec est potissima huius temporis labes, scientiam theologicam non, ut decet, secundum rei intrinsecas rationes tradi, sed habito solum respectu ad doctorum sententias, quo factum est ut theologia, maxime moralis, omni soliditate destituatur, confusione plurima in animis inducta.

[1] L. I, DE TRIN., c. 3. — [2] Ad 1[m] et 2[m].

QUAESTIO SEPTIMA.

(XXXIII).

DE PERSONA PATRIS.

PROLOGUS.

1. — Dicendorum ratio. — Post considerationem eorum quae communiter ad divinas personas spectant, sequitur ut, iuxta praemissa, de personis in speciali pertractetur, ut de unaquaque sciatur quomodo proprie nominetur et quid sit. Ad quam quidem investigationem sponte nos praeparavit tradita in praecedenti quaestione doctrina de notionibus divinis; quandoquidem quae mox subsequuntur, aliud non sunt nisi investigatio de uniuscuiusque personae proprietatibus; ita quod primam tertiae huius tractatus partis disputationem, quae fuit de personis in communi absolute consideratis, logice excipiat secunda pars de personis, utique absolute, sed in speciali, inspectis. Propria, inquam, divinarum personarum hic consideramus, praescindendo a processu creaturarum ad extra, cuius respectu personae divinae, secundum rationem suae processionis utique causalitatem habent; quam tamen considerare non est huius loci. Itaque propria personarum hic considerantur secundum processiones ad intra, secundum quas *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*; licet horum trium *una* (sit) *divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas* [1].

2. — Prima persona. — Quae ad primam personam spectant praesenti quaestione clauduntur, ubi non de appropriatis, sed de propriis illius agitur. Nam, cum Pater sit fontale principium in Trinitate, ex quo, ordine quodam procedunt

[1] Symb. Athan.

et Filius et Spiritus Sanctus, qui et ab ipso in mundum mittuntur, hinc pluribus nominibus appropriatis interdum designatur, cuiusmodi sunt: *Dominus*, *Omnipotens*, *Creator*, et ipsum nomen *Deus*, iuxta illud Arnobii Patrem nominantis *principem Deum*. At de his postea, ubi ostendetur ista esse toti Trinitati communia, ideoque reiiciendum esse Manichaeorum dualismum; quae autem nunc de propriis Patris tradentur, contra modalismum Sabellii magis directe facient.

3. - **Ordo quaestionis.** — Porro nominum, quibus innotescit Pater, distinctio haberi potest secundum magis (1) et minus (2-4) commune; ita quod nomen eius minus speciale, quod est *principium*, primo investigetur, postea vero nomina magis propria, quae duo sunt, scilicet positivum unum (2-3), et negativum aliud (4). Et hoc quidem est nomen *ingenitus*; illud vero est nomen *pater*, de quo primo ostendendum erit quod proprie significat personam Patris (2), et postea quaeretur quaenam sit distinctio huius nominis dicti personaliter, ab eodem essentialiter accepti (3).



Quapropter hic quaeruntur quatuor:

Primo. Utrum Patri competat esse principium.

Secundo. Utrum persona Patris proprie significetur hoc nomine, *Pater*.

Tertio. Utrum per prius dicatur in divinis *Pater*, secundum quod sumitur personaliter, quam secundum quod sumitur essentialiter.

Quarto. Utrum sit proprium Patri esse ingenitum.

ARTICULUS I. — *Utrum competat Patri esse principium.*

1. — Quid sit esse principium. — Multipliciter nomen principium accipi potest [1]; at, omnes huius nominis acceptiones in hoc ultimo conveniunt, quod principium est *aliquod primum, ex quo aliquid est seu procedit, aut ex quo aliquid cognoscitur.* Sub qua generali acceptione principium modo sumitur, ut cum dicitur de Patre, nihil aliud importet nisi eum esse primum in Trinitate, ex quo nempe aliquis aut aliqui procedant. — Ubi tamen, propter adversariorum impugnationes, statim advertisse non pigebit, non esse idem dicere *primum*, et dicere *prius*: illud enim tantummodo ordinem inter plura, hoc autem posterioritatem innuit; siquidem primus est ex quo aliquis oritur, qui tamen potest tempore aut natura posterior non esse; sed prior non est, nisi illi quibus prior est, in aliquo ab ipso deficiant. Quocirca, quanquam nomen istud principium, quantum ad id quidem a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate desumptum, tamen, cum non idem sit id quod significat nomen, et id a quo nomen imponitur, ideo non prioritatem significat in divinis, ubi non est prius aut posterius, sed tantummodo originem [2].

2. — Principium dupliciter sumptum. — Hic autem notandum est, principium in divinis aliud dici *essentialiter*, aliud vero *personaliter*. Esse principium priori sensu ad Trinitatem pertinet per respectum ad res creatas, cum esse principium creaturarum non Patris proprium sit, sed toti Trinitati commune, cui adscribenda sunt omnia opera ad extra, cum creaturae, secundum esse earum, quod est proprius effectus Dei, similitudinem habeant ad esse Dei, quod toti Trinitati commune existit: unde S. Augustinus ait [3], quod *Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium, sicut unus Creator et unus Dominus.* Quocirca, esse principium non hoc modo hic sumitur, sed sumitur personaliter, et sic tanquam proprietas personae Patris.

[1] Vide Lorenzelli, PHIL. THEOR. INSTIT. METAPH. GEN., P. I, l. I, Romae, 1896, pp. 203, sqq. — [2] Ad 3[m]. — [3] L. V, DE TRIN., c. 14.

At vero, ut Patri exclusive conveniat, et sic ut speciali modo hoc nomen Patrem designet, addi debet *non de principio*; nam et Filius est principium per respectum ad Spiritum Sanctum; habet tamen ipse Patrem tanquam principium; quocirca nomen istud *principium*, nihil addito, minus proprium Patris est; si autem addatur *non de principio*, iam erit proprium eius nomen, quod importatur in nomine *ingenitus*, de quo infra sermo recurret [1].

3. — PROP. — **Esse principium competit Patri.**

4. — **Auctoritas.** — Haec veritas imprimis erui potest ex illo symboli Nicaeni, ubi Filium confitemur, *ex Patre natum ante omnia saecula*: ergo a Patre, tanquam a principio, originem trahentem. Huc quoque facere possunt verba [2]: *In principio erat Verbum*; quasi in Patre, ut in sui principio, Filius ab initio fuerit, ut plures Patres interpretantur.

Idipsum constat ex Conciliis: 1° *Sirmiensi* [3], ubi anathema fertur in dicentem quod Filius est sine principio; 2° *Lugdunensi* [4], ubi dicitur quod *Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio procedit, tanquam ex uno principio*; 3° *Florentino* [5], in quo Graeci cum Latinis professi sunt Spiritum Sanctum ex Patre Filioque, tanquam ab uno principio, procedere.

5. — **Patres.** — Patrum sententiam S. Augustinus interpretatur, cum dicit [6], *Patrem et Filium esse principium Spiritus Sancti*. Quod autem habet [7], nempe Patrem esse principium totius Trinitatis, non ita intelligendum est, quasi divinae essentiae principium sit, cum haec omnino non producatur aut procedat, sed quia principium est Filii et Spiritus Sancti, in quibus tota deitas est; vel eo modo est deitatis totius principium, quo punctus dicitur totius lineae principium, aut Adamus principium generis humani, quamvis neuter sui ipsius principium sit. Quod autem S. Hilarius negat Filium esse a principio [8], intelligendum est de principio temporis vel durationis.

[1] Art. 4. — [2] Io., I, 1. — [3] Can. XXIII. — [4] Cap un. DE SUMM. TRIN., in 6°. — [5] Sess. ult. — [6] L. V, DE TRIN., c. 14. — [7] IBID., l. IV, c. 20. — [8] L. IV, DE TRIN.

6. Rat. theol. — Ei competit esse principium, a quo quis procedit. Atqui a Patre procedit alius. Ergo Patri competit esse principium.

Maior in hoc fundatur quod principium illud dicimus a quo aliquid est, quocumque modo illud sit. *Minor* autem ex doctrina de processionibus divinis resultat. — Attamen, quia etiam Filio competit esse principium, videlicet Spiritus Sancti, ideo hoc nomen Patri proprium non est, nisi addatur eum non esse de principio, quod quidem articulo quarto perficietur, cum ostendetur, nomine quidem negativo, re tamen positiva, Patri competere esse ingenitum.

7 — Cur non competat Patri esse causam. — Cum Patres Ecclesiae graecae, inter quos potissime S. Chrysostomus [1], et Doctores in ipso Concilio Florentino, Patrem aeque ἀρχήν, quod est *principium*, ac αἰτίαν, aut αἴτιον, *causam*, nominent, non inutiliter ratio indagabitur, cur nos latine Patrem *causam* non dicamus. Ratio autem est diversa indoles utriusque linguae. Nam Graeci indifferenter utuntur in divinis nomine causae, sicut et nomine principii; penes nos autem principium communius est quam causa, et causa quam elementum; siquidem primus terminus, vel etiam prima pars alicuius rei dicitur principium, sed non causa, sicut punctus seu frons lineae dicitur esse principium eiusdem. Atqui, quanto aliquod nomen est communius, tanto convenientius assumitur in divinis; cuius ratio est, quia quanto aliqua nomina magis specialia sunt, tanto magis modum creaturae convenientem determinant [2]. Unde nomine principii utimur ad Patrem nominandum, propter maiorem huius nominis communitatem, non autem utimur nomine causae.

8. — Explicatur. — Revera, *principium* significat illud ex quo aliquid quocumque modo procedit, nomen autem *causa* importare videtur quamdam distantiam inter causatum et causantem, tum dependentiam illius ab isto in ratione causandi esse eius, tum etiam rationem prioritatis in isto: causa enim prior est effectu saltem ordine naturae, tum denique possibilem existentiam huius absque illo, cum

[1] Hom. II, sup. Io. — [2] Cf. 1, Quaest. XIII, art. 11.

causa possit esse absque effectu: quae omnia de Deo Patre dici non possunt, respectu Filii aut Spiritus Sancti. Nulla enim Patris ad Filium distantia est; idem quoque omnino est esse utriusque, nec Pater est Filio prior, nec absque Filio esse potest, quem ab aeterno ex necessitate suae naturae generat [1]. Quocirca, licet Pater principium sit, et propter hoc aliquando dicatur Filio maior [2], Filius tamen aut Spiritus Sanctus Patre minores non sunt, qui a Patre totum id quod ille habet, accipiunt. *Donantis auctoritate Pater maior est*, ait S. Hilarius [3], *sed minor non est Filius, cui unum esse donatur.* - Nec obstat illud S. Augustini [4]: *Illud quod est ei* (Patri) *causa ut sit, est ei causa ut sapiens sit*, non enim de proprietate aliqua, sed de Patris essentia et attributis essentialibus est ibi sermo; nec aliud sibi vult, nisi quod ab essentia sua Pater habet et quod sit Deus, et quod sit sapiens, etc.

9. **Confirmatur.** — Quod Pater non debeat dici causa, confirmatur hac S. Thomae argumentatione [5]: *Omnis causa, vel est extra essentiam rei, sicut efficiens et finis, vel pars essentiae, sicut materia et forma.* (Rursus) *omnis causa habet ordinem principii ad esse sui causati, quod per ipsam constituitur; Pater autem non habet aliquem ordinem principii ad esse Filii, sicut nec ad esse suum, cum unum et idem sit esse utriusque: unde Pater non est causa Filii, sed principium; quia principium dicit ordinem originis absolute, non determinando aliquem modum qui ab origine personarum alienus sit. Invenitur enim aliquod principium quod non est extra essentiam principiati, sicut punctus a quo fluit linea; et quod non habet aliquam influentiam ad esse principiati, sicut terminus a quo dicitur principium motus, et sicut mane dicitur principium diei.*

At vero, quia nomen *auctor*, sicut nomen *principium*, nihil aliud significare videtur, quam principium originis, ideo poterit dici et de Patre per respectum ad Filium et ad Spiritum Sanctum, et de Filio per respectum ad solum Spiritum Sanctum.

[1] Ad 1[m]. — [2] Io., XIV, 28. — [3] L. IX, DE TRIN. — [4] L. VII, DE TRIN, c. 1. — [5] 1, Dist. XXIX, Quaest. 1, art. 1.

10. — Scholion. — Quod hic dicit Angelicus, latinos Doctores non uti nomine causae ad Patrem significandum, debet intelligi ut in pluribus; inveniuntur enim aliqui, etiam ex latinis, ab hac loquendi ratione haud penitus abhorruisse, quae et, ut diximus, in Concilio Florentino aliquando usurpata invenitur; quod dicendum etiam est de nomine *causatus* per respectum ad Filium et ad Spiritum Sanctum. Quanquam nec est in usu Doctorum nostrorum Filium et Spiritum Sanctum dicere *principiatos*, etsi sint a Patre tanquam a principio; nam, licet haec locutio absolute concedi posset, quia tamen videtur denotare quamdam subiectionem et minorationem, ideo non est facile usurpanda [1].

Articulus II. — *Utrum hoc nomen,* Pater, *sit nomen proprie divinae personae.*

1. — Triplex acceptio huius nominis, Pater. — Tripliciter nomen istud *pater* potest accipi. Uno modo, *personaliter*, sive notionaliter, in quantum scilicet dicitur de una persona respectu alterius; alio modo, *analogice*, in quantum dicitur et de aliqua persona in divinis et de aliqua persona in humanis; tertio modo, *essentialiter*, in quantum tribuitur Deo per respectum ad creaturam, et sic commune est tribus divinis personis, ratione tum creationis, tum gubernationis, tum redemptionis, etc.

Iamvero, in praesenti articulo sermo est de hoc nomine *Pater* primo modo accepto, et per consequentiam, etiam secundo modo sumpto; de eo autem in tertio sensu agetur articulo sequenti; scilicet vult hic determinari, primo, qua ratione hoc nomen proprie significativum sit primae personae in divinis; deinde, hoc constituto, ulterius determinabitur de quonam per prius dicatur, utrum de Deo, an de creatura.

2. — Advertenda. — Ubi advertendum est, non tam hic sumi ly *proprie*, secundum quod contradistinguitur τῷ *metaphorice*; nam, ex iam traditis satis compertum esse debet, hoc

[1] Ad 2[m].

nomen non sumi metaphorice in divinis, cum Verbum divinum procedat a dicente ut aliquid subsistens in divina natura, unde Filius proprie dicitur, eiusque principium Pater. In quo distinguitur a verbo mentis nostrae, quod, cum non sit aliquid subsistens in natura humana, hinc non potest proprie dici genitum, aut filius, aut proles, sed ad summum metaphorica ratione [1]. Cum ergo quaeritur utrum hoc nomen *Pater*, sit nomen proprie divinae personae, sensus est utrum hoc nomen significet propriam substantiam, aut proprium substantiale alicuius personae divinae, an aliquid illi adiacens, sicut esse patrem, puta in Socrate, non significat eius substantiam, sed accidens adiacens ipsi.

Et hoc quidem hic, tanquam in proprio loco determinatur, cum tamen ex aliunde traditis satis evidenter posset erui. Nam relatio apud nos quidem non est subsistens persona; ideoque hoc nomen *pater*, apud nos, non significat personam, sed relationem personae; in divinis autem relatio quam significat hoc nomen *Pater*, est subsistens persona; unde et dictum est quod hoc nomen *persona*, in divinis, significat relationem ut subsistentem in divina natura [2].

3. — PROP. I. — Hoc nomen, PATER, quod significat paternitatem, est nomen proprium personae Patris.

4. — Auctoritas. — Haec denominatio a *regio Psalte* iamdudum prophetice indicata his verbis [3]: *Ipse invocabit me: Pater meus es tu*, in Novo Testamento expressius traditur, maxime in Evangelio S. Ioannis, quod totum est in Christi divina origine perquirenda. Sic legitur [4]: *Sed et Patrem suum dicebat Deum*; et [5]: *Est Pater meus qui glorificat me*; necnon [6]: *Unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te.*

5. — Patres. — Patrum quoque unanimem vocem exhibet S. Cyrillus, his verbis [7]: *Perfectus est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare, qui Deum negat Patrem esse, is fecunditatem aufert a divina natura, ut iam perfecta non sit, quae generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis fecunditas est.*

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ps., LXXXVIII, 26. — [4] Io., V, 18. — [5] IBID., VIII, 54. — [6] IBID., XVII, 21. — [7] In V, THES.

et sigillum, quod Patris ostendit perfectionem, Filius est, qui ex Deo prodit.

6. — **Rat. theol.** — Nomen, quo significatur id per quod persona Patris distinguitur a ceteris divinis personis, est proprium nomen personae Patris. Atqui hoc nomen *Pater* significat id per quod persona Patris distinguitur a ceteris personis divinis. Ergo hoc nomen *Pater* est proprium nomen personae Patris. — *Maior* patet ex nominibus humanae personae: siquidem, illud dicitur esse proprium nomen alicuius hominis, quod significat hanc animam et hoc corpus, quibus hic homo ab omnibus aliis distinguitur, quemadmodum de ratione hominis in communi est anima et corpus. — *Minor* ex hoc constat quod nomen *Pater* significat paternitatem, qua Pater a ceteris personis distinguitur.

7. — **Nomen Genitor aut Generans.** — Licet prima persona interdum vocetur etiam *Genitor* vel *Generans*, tamen ista nomina non tam propria sunt ac nomen *Pater*. Siquidem, illa nomina primam personam significant, quatenus quodammodo concipitur ut in fieri, seu ut in via ad habendum Filium; hoc autem nomen eam significat secundum generationis complementum, seu ut iam habet Filium: potius autem est habere Filium, quam esse in via ad illum habendum. Rursus, nomen *Genitor* significat solum proprietatem [1]; nomen vero persona significat proprietatem et hypostasim. — Quod autem posset obiici, scilicet nomen communius magis proprie dici in divinis, ideoque magis proprium videri nomen *Generans* aut *Genitor*, quod est communius quam *Pater*, cum omnis pater sit generans, sed non e converso, facile solvitur dicendo quod in divinis nomen communius magis proprie dicitur quam nomen minus commune, dummodo cetera sint paria, quod hic non est, cum nomen minus commune perfectionem finis importet, quam non importat nomen magis commune [2].

8. — PROP. II. — **Nomen istud, Pater, α) licet quantum ad modum significandi, prius dicatur de creaturis quam de Deo, tamen β) quantum ad rem significatam, prius dicitur de Deo quam de creaturis.**

[1] Cf. 1. Quaest. XL, art. 1. — [2] Ad 2[m].

9. — **Prob. 1ª Pars.** — Illi rei primo homines imposuerunt nomen *Patris*, quam prius noverunt. Atqui homines prius noverunt patrem in creaturis, quam in Deo. Ergo quantum ad modum significandi, prius de creaturis quam de Deo nomen *Pater* dicitur.

10. — **Prob. 2ª Pars.** — Generatio accipit speciem a termino qui est forma generati. Ergo quanto forma generati propinquior fuerit formae generantis, tanto verior et perfectior erit generatio, sicut generatio univoca prae generatione non univoca perfectior existit, quia secundum illam generans generat sibi simile secundum formam. Atqui in generatione divina est eadem numero forma generantis et geniti, non autem in generatione rerum creatarum, in quibus forma generantis et geniti non est eadem nisi specie. Ergo generatio in divinis verior et perfectior est quam generatio in creaturis. Atqui nomen aliquod, secundum rem significatam, per prius dicitur de eo in quo perfecte ratio nominis salvatur. Ergo generatio, et per consequens paternitas, per prius est in Deo quam in creaturis, et consequenter, paternitas in creaturis a divina paternitate denominatur, secundum illud [1]: *Flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*. Unde, dum in rebus creatis distinctio geniti a generante est non solum secundum relationem, sed etiam secundum essentiam, in divinis haec distinctio est solum secundum relationem, et hoc quidem ad veritatem divinae generationis et paternitatis pertinet [2].

11. — **Corollarium.** — Igitur, cum de prima persona dicitur quod est *Pater*, non sumitur nomen analogum ad omnem quomodolibet patrem significandum, sed sumitur secundum quod est primum et caput huius analogiae, et ita significat constitutivum et distinctivum personale primae personae Trinitatis: quae tam excelsa res est, et adeo transcendit omnem cogitatum, ut relatio significata per hoc nomen non sit relatio sola, sed subsistens persona [3].

[1] Eph., III, 14, 15. — [2] **Ad 4m.** — [3] Cf. Caiet.

ARTICULUS III. — *Utrum hoc nomen,* PATER, *dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.*

1. — Ratio articuli. — Cum notum sit hoc nomen *Pater*, aliquando sumi personaliter, ut cum dicitur [1]: *Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi*, aliquando vero essentialiter, ut cum dicitur [2]: *Pater misericordiarum*, aut cum Dominus Noster docet nos invocare *Patrem nostrum qui est in caelis* [3]; quorum prius significat relationem ad intra, aliud vero relationem ad extra, hinc quaeritur, non quidem utrum in divinis *prius sit esse* Patrem personaliter, quam esse Patrem essentialiter, sed quale *per prius dicatur*, quod est utrum ratio formalis significata per nomen *Pater*, per prius dicatur de Deo ut est Pater ad intra, quam de eo ut est Pater ad extra. Ubi sermo est de prioritate secundum naturae ordinem, *qui inter intentiones unius nominis inveniri est solitus*, ut ait Caietanus [4]; ita quod quaestionis sensus sit: utrum ratio significata per nomen *Pater*, ut personaliter dicitur, sit ordine naturae, intentio huius nominis prior, quam ratio eiusdem essentialiter dicta.

2. — PROP. — Paternitas in divinis per prius dicitur secundum quod importat respectum personae ad personam, quam secundum quod importat respectum Dei ad creaturam.

3. — Suadetur imprimis haec veritas ex eo quod aeternum est prius temporali. Atqui Deus est ab aeterno Pater Filii, ex tempore vero est Pater creaturarum. Ergo per prius dicitur paternitas in Deo per respectum ad Filium, quam per respectum ad creaturas.

4. — Prob. — Per prius aliquod nomen dicitur de eo in quo perfecte salvatur tota nominis ratio, quam de eo in quo salvatur tantummodo secundum quid. Atqui perfecta ratio paternitatis invenitur in Deo Patre, et similiter perfecta ratio filiationis invenitur in Deo Filio; in creatura autem per re-

[1] 2 COR., I, 3. — [2] IBID. — [3] MATTH., VI, 9. — [4] In hunc locum.

spectum ad Deum, non invenitur filiatio secundum perfectam rationem, sed solum secundum aliqualem similitudinem. Ergo ratio significata per nomen *Pater*, ut personaliter dicitur, est, ordine naturae, prior intentio huius nominis, quam ratio eiusdem essentialiter dicta.

5. — **Exponitur argumentum.** — *Maior* ex eo constat quod, cum omnia imperfecta sumantur a perfectis, nomen aliquod dictum de eo, in quo secundum quid tantum ratio huius nominis salvatur, dicitur quasi per similitudinem ad id in quo perfecte talis ratio salvatur; quemadmodum hoc nomen *leo* per prius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis salvatur, quod proprie dicitur leo, quam, verbi gratia, de aliquo homine, in quo aliquid solum de ratione leonis invenitur, puta audacia, fortitudo, vel aliquid huiusmodi, et de quo consequenter hoc nomen tantummodo per similitudinem dicitur.

Minor, quantum ad *primum*, ex eo patet quod *Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas* [1]. Quantum vero ad *secundum*, constat ex eo quod non est una natura Creatoris et creaturae; sed creatura participat aliqualem similitudinem ad Deum; quae similitudo, quanto fuerit perfectior, tanto propinquius facit creaturam accedere ad veram filiationis rationem.

6. — **Quatuor modi filialis assimilationis creaturae ad Deum.** — Igitur, tot erunt modi filialis assimilationis ad Deum, quot sunt modi similitudinis creaturae ad ipsum. Atqui isti quatuor sunt.

Primus est similitudo *vestigii*, qualis invenitur in creaturis irrationalibus ad Deum, vi cuius Deus dicitur Pater earum, iuxta illud [2]: *Quis est pluviae Pater, aut quis genuit stillas roris?*

Secundus est similitudo *imaginis*, qualis invenitur in creaturis rationalibus ad Deum, et vi cuius istarum Deus dicitur Pater sensu magis vero, secundum illud [3]: *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te?*

Tertius est similitudo *gratiae*, quae perfectior est et quae

[1] Symb. Athan. — [2] Iob, XXXVIII, 28. — [3] Deut., XXXII, 6.

tantum in Dei amicis invenitur, secundum quam isti vocantur, nomine speciali, filii adoptivi, secundum quod ordinantur ad hereditatem aeternae gloriae per munus gratiae acceptum, iuxta illud [1]: *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et heredes.*

Quartus est similitudo *gloriae*, quae perfectissima est in genere similitudinis creatae, secundum quam ii qui gloriae hereditatem possident, veriori adhuc ratione filii dicuntur, iuxta illud [2]: *Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei?*

7. — Corollarium. — Ex eo quod paternitas dicitur per prius in divinis secundum quod importatur respectus personae ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam, sequitur quod personalia Dei priora sunt quam communia respectiva ad extra.

Ad cuius intelligentiam, distinguenda in Deo sunt: 1° *communia*, id est essentialia, *absolute* dicta, ut bonus, sapiens, etc.; 2° *communia respectiva ad extra*, ut Dominus, Creator, aut Pater essentialiter dictum; 3° *personalia propria*, ut Pater relative dictum, Filius, etc. — Cum igitur in intellectu personalium propriorum, includantur communia absoluta, sicut Deus aut bonus includitur in intellectu Patris, et non vice versa, ideo communia absoluta priora sunt, secundum ordinem intellectus nostri, quam personalia propria; priora enim sunt, ut aiunt logici, a quibus non convertitur consequentia. At, si comparentur communia respectiva ad extra cum propriis personalibus, inveniuntur ista illis priora, eo quod persona procedens in divinis, procedit ut principium productionis creaturarum [3]. Nam et artifex artificiatum producit ad similitudinem verbi in mente concepti, unde verbum conceptum in mente artifícis per prius intelligitur procedere ab artifice, quam artificiatum. Et ita, cum creatura quaecumque non habeat nomen filiationis per respectum ad Deum, nisi in quantum participat aliqualiter de similitudine Filii Dei, hinc per prius secundum intellectum nostrum est in Deo nomen personale proprium, Pater aut Filius, quale

[1] Rom., VIII, 16. 17. — [2] Rom., V, 2. — [3] Cf. 1, Quaest. XLV, a. 6.

habetur cum dicitur [1]: *Est Pater meus qui glorificat me*, quam nomen commune respectivum, quod habetur, cum dicimus [2]: *Pater vester caelestis pascit illa* [3].

8. — Scholion. — Paternitas et filiatio, prout dicuntur personaliter, et communiter ad extra, non dicuntur secundum rationem omnino eamdem, nec secundum rationem omnino diversam, ideoque nec univoce nec aequivoce, sed secundum rationem partim eamdem et partim diversam, et sic analogice. Quod non secundum rationem omnino diversam, patet ex eo quod, ut habet S. Basilius [4], accipere est commune creaturae et Filio; unde etiam filiationis nostrae adoptivae filiatio naturalis est typus et exemplar, iuxta illud [5]: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quod vero non dicantur secundum rationem omnino eamdem, ex hoc constat quod aliter Filius accipit a Patre, et aliter nos accipimus a Deo: siquidem Filio Dei hoc singulare prae ceteris competit, quod per naturam habet id quod accipit, ut exponit idem S. Basilius [6]; creatura autem id quod habet non habet nisi per elongatam ad Filium similitudinem; unde et Filius Dei, aut dicitur simpliciter *unigenitus*, secundum illud [7]: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*; aut vocatur *primogenitus*, scilicet, *in multis fratribus* [8]; aut etiam, ad melius distinguendam eius generationem ab ortu cuiuscumque creaturae, dicitur *primogenitus omnis creaturae*, iuxta illud [9]: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae* [10].

Articulus IV. — *Utrum esse ingenitum sit Patri proprium.*

1. — Quid significet nomen INGENITUS. — Hoc nomen *ingenitus*, de quo hic quaeritur utrum sit Patri proprium, nihil aliud significat nisi *innascibilem*. Quocirca ingenitum hic non sumitur secundum quod significat increatum; sic enim dici-

[1] Io., VIII, 54. — [2] Matth., VI, 26 — [3] Ad 1[m]. — [4] Homil. XV, de Fide. — [5] Rom., VIII, 29. — [6] L. c. — [7] Io., I, 18. — [8] Rom., VIII, 29. — [9] Coloss., I, 15. — [10] Ad 2[m] et ad 3[m].

tur de Deo secundum substantiam, et per hoc differt substantia creata ab increata ; sed sumitur secundum quod significat id quod non est genitum, quo sensu relative dicitur, eo modo quo negatio reducitur ad genus affirmationis, sicut non homo reducitur ad genus substantiae, in quo continetur homo, et non album reducitur ad genus qualitatis, in quo continetur album. Et ita, quia genitum in divinis relationem importat, ingenitum etiam ad relationem pertinet [1].

2. — **Principium dupliciter sumptum.** — Praeterea, notari oportet quod, sicut in creaturis datur principium primum seu causa prima, et principium secundum seu causa secunda, ita in divinis, licet non reperiatur prius et posterius, tamen invenitur principium non de principio, et principium de principio. Principium non de principio est Pater qui a nullo procedit et a quo procedunt Filius et Spiritus Sanctus; principium autem de principio est Filius, qui a Patre procedit, et a quo procedit Spiritus Sanctus Iamvero, sicut in rebus creatis principium primum innotescit et per ea quae ab ipso sunt, et per hoc quod ipsum non est ab alio, ita, in rebus divinis, principium primum, quod est Pater, dupliciter innotescit : uno modo, per respectum ad personas quae ab ipso procedunt ; alio modo, per hoc quod ipse non est ab alio. Primo igitur modo innotescit paternitate, de qua in duobus praecedentibus articulis dictum est, et spiratione, quae est ipsi Patri et Filio communis; alio autem modo innotescit per innascibilitatem, de qua praecise hic quaeritur utrum ita sit Patri propria, ut illum a ceteris personis discernat.

3. — PROP. — **Esse ingenitum est Patri proprium.**

4. — **Auctoritas.** — S. Hilarius dicit [2]: *Est unus ab uno, scilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in unoquoque et innascibilitatis et originis.*

5. — **Rat. theol.** — Sicut esse principium non de principio est proprium Patris, ita nomen per quod innotescit persona Patris, prout est principium non de principio, est ipsius pro-

[1] Ad 3^m. — [2] L. IV, DE TRIN., n. 33.

prium. Atqui tale est nomen *ingenitus*; nam per hoc nomen significatur innascibilitas, seu proprietas Patris, qua est principium non de principio.

Ubi duo se offerunt resolvenda: 1° quid nomen *ingenitus* importet in divinis; 2° quo sensu sumatur, utrum scilicet negative, an privative.

6. — Quid nomen INGENITUS non importet in divinis. — Aliqui dixerunt nomen *ingenitus*, prout significat innascibilitatem, quae est proprietas Patris, non dici pure negative, sed importare aut utrumque simul, scilicet Patrem a nullo esse et esse principium aliorum, aut importare universalem auctoritatem seu fontalem plenitudinem. Quae tamen positio non est vera. Secus enim sequeretur quod innascibilitas non distingueretur a duabus aliis notionibus Patris, scilicet a paternitate et spiratione, sed eas includeret, sicut commune includit proprium. Revera, esse principium aliarum personarum, aut habere universalem auctoritatem seu fontalem plenitudinem, nihil aliud est quam esse principium originis in divinis. Esse autem principium originis convenit Patri per paternitatem et spirationem.

7. — Quid importet in divinis nomen INGENITUS. — Quocirca dicendum est, secundum S. Augustinum [1], quod nomen *ingenitus* nihil aliud importat in divinis, nisi negationem generationis passivae: *tantum enim valet quod dicitur ingenitus, quantum valet quod dicatur non filius.* Nec tamen inde sequitur quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris, quasi id quod non ponit aliquid in aliquo non debeat esse eius proprietas; nam proprietates in divinis sunt in duplici differentia. Aliae enim simul notificant et constituunt, sicut paternitas et filiatio, et istae necessario aliquid ponunt in Patre et Filio. Aliae vero notificant quin tamen constituant, ideoque quin ponant aliquid in eo cuius sunt proprietates, cuiusmodi praecise est innascibilitas. Nec ex eo quod innascibilitas nihil ponit in Patre, sequitur quod non sit proprietas eius; prima enim et simplicia per negationes notificantur, sicut dicimus *punctum esse, cuius pars non est* [2].

[1] L. V, DE TRIN., c. 7. — [2] Ad 1^m.

8. — INGENITUS **in divinis dicitur privative.** – Quod nomen *ingenitus*, ut dicitur de Patre, pure negative non dicatur, exinde apparet, quod secus conveniret etiam Spiritui Sancto, quo sensu videtur Hieronymus dixisse Spiritum Sanctum esse ingenitum, id est, non genitum [1]. Sed ingenitum, ut est proprietas Patris, *privative* sumitur, quin tamen aliquam imperfectionem dicat, ut alicui videri posset.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod privatio tripliciter verificatur: α) quando aliqua res caret eo quod natum est haberi non a se, sed ab alia re, quaecumque illa sit ; sicut lapis dicitur res mortua, in quantum caret vita, quam aliqua res, verbi gratia, animal, nata est habere; β) quando aliqua res caret eo quod natum est haberi non quidem a se, sed ab aliquo sui generis, sicut talpa dicitur carere visu quem bos et leo habent; γ) quando aliqua res caret eo quod ipsa nata est habere, sicut homo visu carens dicitur caecus. — Porro, privatio hoc quidem tertio modo sumpta, imperfectionem importat, non autem duobus prioribus modis accepta. Sed esse ingenitum est privatio secundo modo: removetur enim a Patre esse genitum, quod Pater quidem non est aptus natus habere, sed tamen quod aliud suppositum divinum, nempe Filius, habet. Ergo esse ingenitum relate ad Patrem dicitur privative, et tamen imperfectionem in ipso non involvit [2].

9. — **Obiectio.** — DICES: esse sic ingenitum pari ratione competit Spiritui Sancto; siquidem et Spiritus Sanctus caret esse genito quod competit Filio.

Resp. Licet Spiritus Sanctus non sit genitus, esse tamen ingenitum remanet proprium Patris. Revera α) esse ingenitum removet esse genitum non a quacumque persona, sed praecise ab illa persona, a qua alia persona procedit. Unde, cum dicimus: *Pater est ingenitus*, removemus esse genitum a persona quae taliter est ingenita, ut tamen alia persona sit ab ipsa; unde, ait S. Thomas, esse ingenitum in Patre intelligitur *importare negationem in genere principii personaliter dicti in divinis* β) Ulterius nomen *ingenitus* est pro-

[1] Vide Magistr., 1. Dist. VIII. — [2] Ad 2[m].

prium Patri prae Spiritu Sancto, secundum quod sumitur ingenitus, prout tollit non solum esse per generationem, sed esse quocumque modo ab alio, quod Spiritui Sancto non competit, qui est ab alio per processionem ut persona subsistens; nec competit essentiae divinae, de qua dici potest quod est in Filio et in Spiritu Sancto ab alio, scilicet a Patre [1].

10. – Scholia — I. Si ponerentur in divinis duo ingeniti, oporteret ponere duos deos aut duas naturas divinas. Nam α) isti essent duo primi, sive prima principia nullam relationem ad invicem habentia. Unde S. Hilarius ait [2]: *Cum unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt.* β) Praeterea, si essent duo innascibiles, unus eorum ab alio non esset, et sic non distinguerentur oppositione relativa: ergo, si distinguerentur, oportet ut distinguerentur diversitate naturae [3].

II. Licet Pater non sit persona procedens, ideoque processio ab eo removeatur aeque ac generatio, non est tamen conveniens ut dicatur *improcessibilis*, sicut dicitur innascibilis, *primo*, quia processio Spiritus Sancti non habet speciale nomen, unde nequit secundum speciale nomen a Patre removeri; *secundo*, quia remota a Patre generatione, per hoc quod est innascibilis, per quod etiam adseritur, ut dictum est, quod sit principium generationis, a fortiori removetur processio, quia persona procedens nequit esse generationis principium [4], cum processio amoris subaudiat processionem quae est per modum intellectus.

[1] Ibid. — [2] In l. DE SYNODIS, can. 26. — [3] Ad 4m. — [4] Ad 5m.

QUAESTIO OCTAVA.

(XXXIV).

DE PERSONA FILII

PROLOGUS.

1. — **Nomina secundae personae.** — Propria secundae personae nomina tria recensentur, videlicet Filius, Verbum et Imago: nam, ut ait S. Augustinus [1], *dicitur relative Filius, relative dicitur et Verbum et Imago: et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur, nihil autem horum Pater dicitur.* Sed de primo satis dictum est, ubi de Patre in quaestione praecedenti fuit sermo; nam, cum eadem sit contrariorum ratio, quod secunda persona vocari debeat Filius, et quid sit haec eius proprietas, ex Patris nomine et proprietate satis innotescere debuit. Unde non remanet nisi ut duabus distinctis quaestionibus agatur de *Verbo*, necnon de *Imagine*.

2. — **Gravitas huius quaestionis.** — Quanta sit huius quaestionis gravitas ex hoc clare apparet, quod nunquam defuerint qui Verbi aeterni divinitatem inficiarentur. Nam Patris divinitatem haereticorum aliquis vix potest reperiri qui in discrimen adduxerit; at Verbi cum Patre consubstantialitatem olim quidem Iudaei, postea vero Cerinthus et Ebion, contra quos Ioannes Evangelium suum scribere compulsus est, tum impii Ariani, necnon recentiores Sociniani, denique novissimi rationalistae infensissimo bello, et congestis undequaque artibus et machinamentis, oppugnare conati sunt. Nec defuerunt qui cum Harduino aliud esse in Scripturis Filium, aliud vero Verbum temere asseruerint; quasi Verbum ita apud Deum esset, ut Filius dici non posset ante illius in carne adventum, nec ab aeterno fuisset Pater,

[1] L. V. DE TRIN., c. 13.

sed tantum post peractum Incarnationis mysterium. Contra quem valet S. Athanasii increpatio [1]: *Quî, quaeso, christiano nomine censeri debent, qui asserunt aliud esse Filium, aliud Verbum esse?*

3. — **Dicendorum ordo.** — Porro, duplici ratione potest Verbum considerari in divinis: scilicet, per respectum ad Patrem dicentem (1-2), et per respectum ad creaturas (3). Et primo quidem modo, Verbum est expressivum tantum; altero autem modo, est expressivum et factivum. Rursus, de Verbo sumpto priori modo, duplex institui debet quaestio: primo, utrum hoc nomen dicatur in divinis essentialiter, an personaliter (1); et, posito quod dicatur personaliter, cuiusnam personae sit proprium (2).



Unde circa hoc quaeruntur tria:

Primo. Utrum *Verbum* dicatur essentialiter in divinis, vel personaliter.

Secundo. Utrum sit proprium nomen Filii.

Tertio. Utrum in nomine *Verbi* importetur respectus ad creaturas.

ARTICULUS I. — *Utrum Verbum in divinis sit nomen personale.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum verbum sit id quod intellectus intelligendo producit, in Deo autem intelligere, sicut intellectus divinus, sit ipsummet esse Dei, quod commune est divinis personis, quippe quae communicant in identitate

[1] CONTR. HAER. AD EPICT.

eiusdem naturae divinae quae est ipsum esse, merito dubitatur utrum Verbum in divinis sit nomen personale an essentiale. Siquidem videretur unum esse trium personarum Verbum in unitate essentiae intelligentium, sicut est unus intellectus, et ita existimare quis posset quod nomen *Verbum* dicitur essentialiter, non vero personaliter in divinis.

Circa quod non una semper fuit eiusdem S. Thomae sententia. Prius enim [1], motus forsan recitata ratione, docuerat *Verbum* quandoque essentialiter, quandoque vero personaliter, accipi. Postea vero [2], tanquam probabilius reputaverat nomen Verbum personaliter dici in divinis. Hic autem, nulla mentione facta de hisce opinionibus, indubitanter asserit Verbum in divinis ita personaliter dici, ut nullo modo sumatur essentialiter.

2. — Errores. — *Ariani,* cum Filium Dei eiusdem esse substantiae ac Patrem confiteri renuerent, illum nolebant appellare Verbum, nisi improprio sensu, ut dictum est; ne, quia Verbum interius ita procedit a dicente ut maneat intra ipsum, cogerentur fateri Filium Dei non esse extra substantiam Patris [3], qua de causa *alogi,* aut *alogiani* (ab ἀ et λόγος) dicti sunt: de quibus agunt S. Augustinus [4] et S. Epiphanius [5]. Eumdem fere errorem tenuisse perhibetur *Rabbi Moyses* [6], cum docuerit nomen Verbum nullo modo dici personaliter sed tantum essentialiter in divinis.

Antequam vero ostendatur Verbum personaliter dici in divinis, quid nomine verbi intelligatur, et quotuplici sensu sumatur praemittendum est.

3. — Verbum proprie acceptum. — Porro verbum dupliciter accipi potest: proprie et metaphorice. — *Proprie* acceptum, nomen *verbum* dicitur tripliciter. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod verbum in nobis primo proprie non est nisi imago rei intellectae expressa ab intellectu, quae solet vocari intentio intellecta, aut species expressa, sive verbum mentis. Porro, iste interior mentis conceptus, si velit

[1] 1, Dist. XXVII, Quaest. II, a. 2. — [2] DE VERIT., Quaest. IV, art. 2. — [3] Ad 1^m. — [4] HAER., XXX. — [5] HAER., XLI. — [6] DIRECT. INQUIS., p. II, q. 4.

exprimi voce, necesse est ut pro illo significando imaginatio prius inveniat nomen conveniens: quod nomen ore profertur. Porro, nomen in imaginatione formatum et nomen exteriori voce prolatum, verbum et ipsa dicuntur; sed, ut patet, verbum ore prolatum, quod quidem manifestius et communius est, oportet ut ab interiori verbo procedat, quantum ad illa duo quae in verbo exteriori inveniuntur, quae sunt ipsa vox materialis et significatio eius. Et quantum quidem ad significationem, procedit ex conceptione intellectus: vox enim exterior, quae non significet mentis interiorem conceptum, nequit dici verbum: quantum vero ad ipsam vocem materialem, verbum exterius procedit ex imaginatione. Et ideo primo et principaliter, dicitur *verbum* ipsemet interior mentis conceptus; secundario autem, ipsa vox materialis, quae exprimit extrinsecus istum conceptum; tertio vero, ipsamet vocis imaginatio, quae in phantasia est.

4. — **Notandum**. — Porro, recte quidem S. Thomas hunc ordinem, in verbi significatione perquirenda, secutus est. Quia enim omne nomen quod de pluribus dicitur, per prius dicitur de eo in quo formaliter invenitur ratio nominis, quam de eo in quo reperitur solum denominatione extrinseca, hinc prius recensentur verba cordis et oris, quam verbum imaginationis. Siquidem istud non dicitur verbum, nisi quia causat verbum oris imaginando illud, quod insinuat S. Thomas, cum ait: *Ipsa imaginatio vocis verbum dicitur*; cum secus dicere debuisset: *Vox in imaginatione verbum dicitur*; in aliis autem duobus, ratio nominis salvatur formaliter. Et quidem in verbo cordis, seu mentis, ut patet; sed et in verbo oris, quia vox prius habuit nomen verbi quam mentis conceptus; nondum enim nota ratione verbi in conceptu, iam cognoscebatur eius ratio in voce. Et sicut ratio verbi in conceptu est esse expressivum, seu manifestativum notitiae habitualis ipsi concipienti, ita et ratio verbi in voce est esse expressivum conceptus unius hominis alteri. Et quia omne nomen per prius dicitur de eo a quo aliud dependet, quam de dependente ab illo, ideo per prius dicitur de verbo cordis, a quo verbum oris dependet [1].

[1] Caiet.

5. — **Ordo inter verba.** - Quantum ad ordinem veluti *geneticum* [1] inter istiusmodi verba, dicendum est, primum esse *verbum cordis* seu mentis, quod a S. Ioanne Damasceno [2] dicitur *naturalis intellectus motus, secundum quem movetur, et intelligit, et cogitat, velut lux et splendor.* De huiusmodi verbo saepius est sermo in S. Scriptura, verbi gratia, ubi regius Psaltes rogat Deum [3]: *Non declines cor meum in verba malitiae;* et similiter ubi de Beatissima Virgine dicitur [4] quod *verba quae audierat*, sive a pastoribus, sive a Magis, conservabat, *conferens in corde suo.*

Succedit verbum imaginativae, quod in phantasia pronuntiatur, quando imaginatio verba revolvit et veluti ruminatur, ut oratores antequam palam loquantur, peragere solent.

Tertio tandem venit *verbum ore* prolatum et dearticulatum, quod inservit conceptibus convehendis in audientium aures et animos, sicque est veluti *angelus*, id est *nuntius intelligentiae*, de quo loquebatur S. Petrus, cum Domino quaerenti: *Numquid et vos vultis abire?* respondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes* [5]. Huic ultimae acceptioni verbi affinis est tum scriptura, tum nutus seu gestus. Scriptura quidem, qua utimur ad transmittendos conceptus, non pro adstantibus tantum aut pro praesentibus, sed etiam pro absentibus et futuris, et quam S. Augustinus [6] vocat *linguam calami*; nutus autem et gestus, ad supplendam aut coadiuvandam vocem. De priori dicitur [7]: *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae*; de altero autem [8]: *Innuit huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est iste de quo dicit* [9]*?*

6. — **Verbum metaphorice sumptum.** — Praeter istas tres acceptiones verbi in sensu proprio, habetur etiam acceptio in sensu *metaphorico*, secundum quem verbum dicitur id quod verbo aliquo significatur; aut etiam id quod verbo aliquo efficitur. Quod significatur, sicut dicere consuevimus

[1] A γένεσις, ortus. — [2] L. I, de Fide Orthod., c. 13. — [3] Ps., CXL, 4. — [4] Luc., II, 19. — [5] Io., VI, 68, 69. — [6] L. XI, Conf., c. 2. — [7] Apoc., XXII, 19. — [8] Io., XIII, 24. — [9] Cf. 1, Dist. XXVII, Quaest. II, art. 1, et Qq. disp. de Ver., Quaest. IV, art. 1.

de aliqua re, de qua nobis prius incidit sermo: *Vide, hoc est verbum quod dixi tibi.* Et hoc sensu accipitur verbum in S. Scriptura, cum dicitur [1]: *Videamus hoc verbum, ῥῆμα, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Et rursus [2]: *Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.* id est, ostendit ea omnia, de quibus locutus erat.

Vocatur etiam verbum metaphorice id quod verbo aliquo efficitur, sicut effectus praecepti regis verbum illius dicitur. Hoc sensu accipitur in Sacra Scriptura: verbi gratia, cum dicitur [3]: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius.* id est exsequuntur effectum ad quem praeordinata sunt ex verbo concepto divinae Sapientiae.

Sic etiam verbum regis facere dicitur qui exsequitur illud opus ad quod ex regis iussione determinatur [4]. Quem in sensum ait S. Augustinus [5]: *Quia Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.*

7. — Quo sensu hic sumatur VERBUM. — Porro planum est hic a nobis non quaeri de verbo oris, aut de verbo imaginationis: repugnat enim ista in Deo, utpote Ente simplicissimo, reperiri. Ergo non restat nisi ut sumatur verbum secundum quod significat conceptionem intellectus, aut secundum quod metaphorice dicitur verbum, factum illud quod verbo significatur aut efficitur; quo quidem sensu haeretici sumpserunt Verbum in divinis.

Siquidem Ariani respuebant S. Ioannis scripta, ne Christum cogerentur agnoscere tanquam Verbum divinum; et si quando illud nomen inveniebant, praesertim in scriptis Patrum aut in ecclesiastica liturgia, de verbo metaphorice dicto interpretabantur, ne, ut dictum est, cogerentur fateri Filium Dei non esse extra Patris substantiam. Verbum igitur metaphorice accipiebant, Origenem secuti, ut sic Filium dicerent esse effectum aut factum quoddam, quo Patris virtus sese ostendebat.

[1] Luc., II, 15. — [2] Is., XXXIX, 2. — [3] Ps. CXLVIII, 8. — [4] Ad 4[m]. — [5] TRACT., XXIV, in Io.

Sed ipsi se gladio suo iugulabant. Siquidem verbum metaphorice non dicitur, nisi supposito verbo proprie dicto; nam verbum metaphoricum sic dicitur, vel quia manifestat verbum interius, quemadmodum statua potest dici verbum artificis, quia manifestat verbum interius cordis eius seu formam in eius mente, vel quia est manifestatum verbo, sicut effectus quem regis imperium provocat. Sed in priori casu, res quae manifestat non dicitur verbum, nisi quatenus significat interiorem mentis conceptum, quem aliquis manifestat etiam per exteriora signa. In altero autem casu, oportet ponere verbum quo res manifestetur. Unde secundum utramque acceptionem, non potest poni verbum metaphorice dictum in divinis, nisi ibi ponatur Verbum proprie acceptum [1].

Porro, si sermo sit de verbo metaphorice accepto in divinis, satis evidens est illud essentialiter sumi; nam quidquid exterius a Deo fit, quo manifestatur verbum interius, vel quod est effectus imperii divini, ad divinam essentiam communiter pertinet. Igitur non restat nisi ut quaeratur de *Verbo proprie dicto* in divinis, utrum sumatur personaliter, an essentialiter; de illo inquam Verbo, quod significat expressam conceptionem intellectus; in qua quidem acceptione huius nominis, consistit analogia illa quam statim ab initio secuti sumus, ad aliqualem processionis divinae intelligentiam capessendam, quamque ita tradit S. Augustinus [2]: *Quisquis potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione volvantur..., iam potest videre, per hoc speculum atque in hoc aenigmate, aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est:* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, *etc.*

8. — PROP. — **Hoc nomen,** VERBUM, **secundum quod proprie sumitur in divinis, non dicitur essentialiter, sed personaliter tantum.**

9. — **Sacra Scriptura.** — De Verbo aeterno S. Ioannes sequentia tradit: primo [3]: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*: rursus [4]: *Et Verbum caro*

[1] Ad 1[m]. — [2] L. XV, DE TRIN., c. 10. — [3] I, 1. — [4] Ibid., 14.

factum est: iterum [1]: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae*; denique [2]: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus.*

In quibus omnibus locis de secunda persona est sermo, quae constanter Verbum praedicatur. Revera, in priori loco, divina eius genealogia texitur, iuxta normam quam alii Evangelistae circa eius temporalem genealogiam secuti fuerant; tum de illo agitur quod, quantum ad id quod pertinet ad rationem termini, ipsi exclusive convenit, nempe agitur de Incarnatione; rursus, de eo protestatur se loqui S. Ioannes, quocum conversatus fuerat; denique, illum nomine proprio vocitat, eum distinguens contra Patrem et Spiritum Sanctum. Quocirca, nomen *Verbum* est nomen personale in divinis, quod idem S. Ioannes confirmat, dicens [3]: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen eius Verbum Dei.*

Nec parvam rei nostrae vim adiicit, quod a S. Ioanne hoc nomen primitus sit inventum, ad designandam secundam Sanctissimae Trinitatis personam. Cum enim contra haereticos scriberet, ut illius divinitatem defenderet, nullo meliori modo sibi auspicandum esse visus est, quam ut statim nomen illius proferret, unde invictum argumentum contra illam negantes desumeret. Quocirca, nomen illud tanquam personale nomen tradere debuit, et non tanquam nomen essentiale, secus tota illius Evangelistae argumentatio robore frustraretur.

10. — Patres. — Patrum quoque traditio idipsum demonstrat, quam ita exhibet S. Augustinus [4]: *Dicitur relative Filius, relative etiam dicitur et Verbum et Imago; et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur, nihil autem horum Pater dicitur*; et rursus [5]: *Verbum solus Filius accipitur*; iterumque [6]: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur, ita et Verbum ad eum, cuius Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum: eo quippe Filius, quo Verbum, et eo Verbum quo Filius* [7].

[1] 1 Io., I, 1. — [2] Ibid., 7. — [3] Apoc., XIX, 13. — [4] L. V de Trin., c. 13. — [5] Ibid., l. VI, c. 2. — [6] Ibid., L. VII, c. 2. — [7] Cf. Cyril., l. VII, Thesauri; Damasc., l. I, c. 18; Anselmum, in Monologio, c. 29, etc.

11. — Ratio theol. — Nomen quod in divinis significat aliquid ab alio procedens, est nomen personale. Atqui nomen Verbum, proprie sumptum in divinis, importat aliquid ab alio procedens. Ergo nomen Verbum, proprie sumptum in divinis, est nomen personale.

Maior patet; nam de ratione nominum personalium in divinis est quod significent aliquid ab alio procedens, cum personae divinae distinguantur secundum relationes originis. — *Minor* ex hoc constat, quod *Verbum*, in sui ratione, includit ab alio procedere, scilicet a notitia concipientis.

12. — Tacita obiectio. — Sicut Filius procedit ut Verbum, ita Spiritus Sanctus procedit ut Amor. Atqui, ut dicetur [1], nomen *Amor* in divinis potest sumi, tum essentialiter, tum personaliter. Ergo et nomen *Verbum*.

Huic *respondetur*, quod Verbum procedens significatur ut in termino processionis; amor autem indifferenter et terminum processionis, et ipsum impulsum significat: est enim amor impulsus quidam, et ut sic significatur ut in via. Unde Verbi et Amoris in divinis, eadem quidem est ratio entitative, sed non connotative, ideoque non est eadem de utroque praedicandi ratio.

13. — Explicatio eiusdem veritatis. — Potest autem haec veritas ex eis quae S. Thomas tradit [2], intimius explorari.

Ea omnia quae in Deo sunt, una et eadem res simplicissima sunt, nec aliquid procedit in Deo, sive ad intra, sive ad extra, nisi uno simplicissimo processionis actu. Nos tamen ad hanc summam unitatem aliqualiter cognoscendam pervenire non possumus, nisi eam sub distinctis et multiplicibus respectibus considerando, et quaedam veluti momenta in aeterno illo distinguendo, quibus mens nostra, velut tot gradibus huius tam excelsae rei mysteria aliqua ratione attingere queat.

Primo igitur veluti momento concipi debet Deus, intellectu voluntateque praeditus, habens penes se notitiam tan-

[1] Quaest. XXXVII, a. 7. — [2] In responsione ad 2[m] et 3[m].

quam speciem intelligibilem, non modo totius sui, id est unitatis in trinitate Patris et Filii et Spiritus Sancti, verum etiam omnium creaturarum. Quae notitia procul dubio Deus est; et sic intellectus divinus hac notitia instructus, transit in actum sui proprium, quod est, intelligere se et in se omnia, qui quidem actus aliud non est, nisi essentia Dei, et eius esse. Porro, intelligere non importat nisi habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua quidem habitudine nulla ratio originis importatur; nam et in nobis intelligere est tantum quaedam informatio in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae. Non satis est igitur, ad productionem Verbi, ut Deus intelligat; sed insuper requiritur ut dicat, seu ut sit dicens, et sic ut producat Verbum, quod est expressio notitiae divinae, quae ex ea procedit. Verbum autem sic expressum non potest esse aliud in divinis a natura dicentis, quia intelligere et dicere Dei est eius natura; ideoque non est accidens, sicut in nobis, sed aliquid subsistens; quia quidquid est in natura Dei, subsistit. Unde ait S. Ioannes Damascenus [1]: *Verbum Dei est substantiale et in hypostasi ens: reliqua vero verba, scilicet nostra, virtutes sunt animae.*

Insuper taliter procedit Verbum, ut in similitudinem dicentis formaliter procedat, quia de ratione Verbi, ut est Verbum expressum, est, ut procedat ut simile notitiae eius a quo procedit: est enim huius expressio.

14. — Est tantum unus dicens in divinis. — At Verbum sic procedens per originem a Deo, relatione opponitur ei a quo procedit, quocirca verbum procedit a dicente, sicut Filius procedit a Patre. Esse Verbum igitur est proprium unius personae procedentis, esse autem dicens alterius personae a qua procedit proprium est; et quemadmodum non possunt plura verba dici in divinis, quin ponantur plures procedentes per modum Verbi; ita nec plures dicentes possunt admitti, quin ponantur plures a quibus procedant verba plura. Quocirca, sicut ponere plura verba in divinis esset ponere plures filios, ita ponere plures dicentes esset ponere plures patres.

[1] L. I, Orthod. Fidei, c. 18.

Dicens igitur est proprietas personalis Patris, quae infertur ex adverso ex proprietate personali Verbi; cum enim eo sit Verbum quo filius, ita eo est dicens quo est Pater [1]. Quapropter nequit dici quod Filius sit dicens, aut Spiritus Sanctus, nisi sensu omnino improprio, quo nobis utendum non est, sed qui benigne exponendus erit, sicubi penes aliquem Patrem inveniatur, qualis est S. Anselmus, dum ait [2]: *Sicut Pater est intelligens, et Filius est intelligens, et Spiritus Sanctus est intelligens, ita Pater est dicens, Filius est dicens et Spiritus Sanctus est dicens*, ubi dicere improprie sumitur pro intelligere. Unde S. Augustinus [3]: *Dicens*, ait, *illo coaeterno Verbo non singulus intelligitur in divinis, sed cum ipso Verbo, sine quo non est utique dicens.*

15. — Sunt plura dicta in divinis. — At, licet sit in divinis tantummodo unus dicens, et unum Verbum, tamen plura dicuntur a dicente in Verbo, et ita sunt plura dicta: dicitur enim res, non modo *tanquam* verbum, verum etiam *in* verbo. Nam in verbo quod intellectus noster dicit intelligendo lapidem, non modo est natura lapidis, sed etiam est ipse lapis, et omnia quae in lapide sunt. Et sic, in Verbo quod concipit et dicit Pater, intelligendo se et totam Trinitatem, necnon creaturas omnes, dicuntur et ipse, et Filius, et Spiritus Sanctus, et omnes creaturae. Unde proprie dicere potuit S. Anselmus [4]; *Quilibet eorum* (Pater, Filius et Spiritus Sanctus) *dicitur*. Nam, licet una sola persona sit dicens in divinis, et similiter una sola persona dicta ut Verbum, tamen singulae personae sunt intelligentes, et intellectae, et consequenter Verbo dictae: siquidem dicere importat, mediante Verbo, habitudinem ad rem intellectam, quae in Verbo prolato manifestatur intelligenti.

Quae omnia ita exponit S. Augustinus [5]: *Vocas itaque nos ad intelligendum Verbum Deum apud te Deum, quod sempiterne dicitur, et eo sempiterne dicuntur omnia. Neque enim finitur quod dicebatur, et dicitur aliud ut possint dici omnia: sed simul ac sempiterne omnia. Alioquin, iam tempus et mu-*

[1] Cf. art. seq., ad 3[m]. — [2] Monol., c. 59. — [3] L. VII, de Trin., c. 1. — [4] Loc. cit. — [5] Conf., l. XI, c. 7.

latio, et non vera aeternitas, nec vera immortalitas. Hoc novi, Deus meus, et gratias ago. Novi, confiteor tibi, Domine, mecumque novit et benedicit te quisquis ingratus non est certae veritati. Novimus, Domine, novimus, quoniam in quantum quidquid non est quod erat, et est quod non erat, in tantum moritur et oritur. Non ergo quidquam Verbi tui cedit atque succedit, quoniam vere immortale atque aeternum est. Et ideo Verbo tibi coaeterno, simul et sempiterne dicis omnia quae dicis, et fit quidquid dicis ut fiat; nec aliter quam dicendo facis; nec tamen et simul et sempiterne fiunt omnia quae dicendo facis.

Quocirca, falso quis ita argumentaretur: Deus dicit Verbum. Atqui Verbum est Deus. Ergo Verbum dicit Verbum; nam medius terminus, *Deus*, qui ad instar cuiusdam universalis deberet accipi, nec in maiori, nec in minori distribuitur. Non in maiori, quia ibi Deus supponit pro persona Patris; in minori vero est praedicatum propositionis affirmativae, et consequenter supponit particulariter.

16. — **Difficultas.** — Si Verbum procedat ex notitia Patris, cum haec notitia comprehendat Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, necnon omnes creaturas, sequitur quod Verbum procedit ex sui ipsius notitia; erit igitur, et non erit; et rursus procedet ex notitia creaturarum, quod indecens prorsus videtur.

Resp. Difficultas ista quoad utramque partem oritur ex male intellecta processione Verbi, unde distinctione opus est. Verbum procedit ex suimet ipsius notitia, qua est cognitus Patri, *conc.*; qua est procedens, *nego.* Et similiter procedit ex notitia creaturarum, quatenus haec notitia est in Deo a semetipso, *conc.*; quatenus haec notitia colligitur ex ipsismet creaturis, *nego.* — Et sic ab istis omnibus prouti sunt in cognitione Dei sive Patris, Verbum non distinguitur realiter, quia non ab istis dicitur; sed solum distinguitur realiter ab eo qui est dicens ipsum, id est a Patre, necnon a Spiritu Sancto quem spirat, ut dicetur suo tempore.

17. — **Corollarium.** — Ex istis omnibus apparet quam propriissime persona, illa quae a dicente procedit, dicatur *Verbum*. Siquidem, ex iis omnibus quae ad intellectum per-

tinent, solum verbum dicitur personaliter in divinis, quia solum verbum significat aliquid ab alio emanans. Nam intellectus, consideratus ut informatus per speciem intelligibilem, absolute dicitur, et etiam intelligere, quod se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu, intelligere enim non significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem. Solum igitur id quod intellectus intelligendo format, seu concipit cognoscendo, id est verbum, personaliter dicitur in Deo. Quocirca, quod S. Augustinus [1] dicit, scilicet Verbum esse *notitiam cum amore*, est intelligendum non de notitia prout dicit *actum* intellectus cognoscentis, aut prout dicit *habitum* quo instructus ipse intelligens intelligit, sed de ipsa notitia expressa, quam concipit intellectus intelligendo, seu de *notitia genita*, quo sensu idem S. Augustinus [2] Verbum vocat *sapientiam genitam*.

Rursus hoc adhibito criterio poterunt in recto sensu explicari verba S. Anselmi [3]: *Dicere Summo Spiritui nihil aliud est, quam cogitando intueri.* Scilicet Pater dicit seu concipit Verbum, cum contemplando et intuendo se et omnia quae eius scientia continentur, actu exprimit Verbum quo haec omnia dicuntur. Ubi tamen notandum venit, minus recte adhiberi nomen *cogitatio* pro actu divinae intellectionis; siquidem, hoc nomen significat agitationem quamdam mentis, quae ad veritatis cognitionem nondum pervenit, et anceps hinc inde inquirit: unde in citato loco S. Anselmus improprie accipit cogitationem pro contemplatione. *Ita dicitur illud Verbum Dei*, ait S. Augustinus [4], *ut cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat formam ut Verbum sit, eamque dimittere possit, atque informiter quodammodo volutari* [5].

ARTICULUS II. — *Utrum Verbum sit proprium nomen Filii.*

1. — Errores. — α) Fuit *Valentini Platonici* vesana positio, triginta esse *aeonas*, quas πλήρωμα, id est plenitudinem, vocabat, alludens ad illud [6]: *In ipso inhabitat omnis plenitudo*

[1] L. IX, DE TRIN., c. 10. — [2] IBID., l. VIII, c. 2. — [3] MONOL., c. 6. — [4] L. XV, DE TRIN., c. 16. — [5] Ad 2^m. — [6] COL., II, 9.

divinitatis corporaliter. Iuxta hunc haereticum, πρῶτον, seu βυθός, *primum ens* seu *profundum*, ex ἐννοίᾳ vel σιγῇ, *cogitatione* vel *silentio*, progenuit unicam prolem sibi similem, patrem et principium omnium rerum, νοῦν, *mentem*, generis masculini, ideoque filium, cui soror erat ἀλήθεια, *veritas*. Ex hisce quatuor formabatur quadratum, quod erat velut radix et fundamentum genealogiae triginta aeonum, seu personarum [1].

β) *Arnani*, aeonas Valentini reiicientes, subinferebant Verbum esse primam unici Dei creaturam, adoptivi Filii ad instar, per quem Pater omnem aliam creaturam condidit. Ad hoc autem adstruendum, insinuabant Valentinum ideo fuisse damnatum, quia dicebat Filium prolatione natum, quod tamen verum non erat: nam ideo Valentinus condemnatus fuerat, non quod diceret Filium prolatione natum, sed quia illum asserebat prolatum modo omnino falso, scilicet ex profundo et silentio [2].

γ) In media quoque aetate singularis fuit de hac re sententia *Durandi*, dicentis esse Verbum Filio convenire, non proprie et intrinseca originis ratione, sed per similitudinem, quasi extraneum attributum.

δ) Tandem *Erasmi* fuit praesumptio, quod λόγον Graecorum, pro quo veneranda tot saeculorum traditio apud Latinos nomen *Verbum* adhibuerat, per *sermonem* potius esse vertendum asseruerit. Huiusmodi ineptiis adhaeserunt Protestantes in sua italica versione, ut, verbi gratia, in hoc loco [3]: *Nel principio la Parola era, e la Parola era appo Dio, e la Parola era Dio.* Contra quos sit

2. — PROP. — Verbum personaliter dictum in divinis est proprium nomen Filii.

3. Prob. — Haec propositio non est nisi corollarium praecedentis doctrinae, et sic *probatur*. — Nomen quod significat in divinis aliquid procedens secundum emanationem intellectus, est proprium nomen Filii; nam huiusmodi emanatio

[1] Utilis valde res erit peregrinam hanc Valentinianorum doctrinam cum recentioribus theosophiae placitis conferre. Vide tr. n. DE GUBERNATIONE RERUM, App. de Theosophia, pp. 219, seq — [2] Ad 2[m]. Cf. Hilar., l. VI, DE TRIN.; August., l. DE HAERES., n. 11. — [3] Io., I, 1.

in divinis dicitur generatio, per quam Filius generatur. Atqui nomen *Verbum* significat in divinis, ut supra habitum est, aliquid procedens secundum emanationem intellectus. Ergo Verbum personaliter dictum in divinis est proprium nomen Filii.

4. — Auctoritas. — Quocirca S. Cyrillus Alexandrinus [1], alludens ad doctrinam S. Ioannis, quam supra adduximus, ita haereticos perstringebat : *Ioannis omnino obliti sunt : Verbum enim ipse Filium appellat, et hoc nomen quasi proprium et ipsius esse Filii maxime significativum elegisse videtur.* Et S. Augustinus [2] : *Verbum solus Filius accipitur.*

5. - Pluralitas nominum secundae personae. — Porro huic veritati minime officit quod *Verbum* nomine proprio vocatur etiam *Filius*. Cum enim divina persona sit res tam alta et simplex, hinc ad illam minus indigne cognoscendam, necesse est ut, pro diversis rationibus, quibus nostrae considerationi subest, eam diversis nominibus significemus. Quapropter proprietas personalis secundae personae est quidem eius nativitas a Patre, sed tamen ad eam significandam diversis utimur nominibus, ut diversimode eius perfectio exprimatur. Exinde dicitur *Filius*, ad significandum quod omnino connaturalis est Patri, unius eiusdemque cum ipso substantiae existens; dicitur *Splendor*, ad significandam eius cum Patre coaeternitatem; dicitur *Imago* ad significandam eius perfectissimam similitudinem cum eo, et tandem dicitur *Verbum*, ad designandum modum suae originis, qui est ut ex Patris notitia immaterialiter producatur [3].

6. — Difficultates. — 1. Omne nomen quod est proprium Filii significat rem subsistentem. Atqui nomen *Verbum* non significat rem subsistentem. Ergo nomen *Verbum* non est proprium Filii.

Resp. Conc. mai. Dist. min. : nomen *verbum* in nobis non significat rem subsistentem, *conc.*, in Deo, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Non est eadem ratio de verbo quod in nobis dicitur et de Verbo divino. Cum enim intelligere nostrum non sit nostrum esse, sed tantum accidens quoddam, hinc

[1] L. VII, Thesaur., c. 1. — [2] L. VI, de Trin., c. 2. — [3] Ad 3[m].

verbum nostrum non pertinet ad naturam nostram. Sed in Deo idem est intelligere et esse, ideoque Verbum non est aliquod accidens in ipso aut aliquis effectus eius, sed ad ipsam eius naturam pertinet, ideoque est aliquid subsistens, quia quidquid est in natura Dei subsistit [1].

II. Omnis intelligens intelligendo concipit Verbum. Atqui Filius est intelligens. Ergo et Filius concipit Verbum, et ita erit Verbum Verbi, ideoque esse Verbum non erit proprium Filii.

Resp. Dist. mai.: omnis intelligens, qui est dicens seu exprimens, *conc.:* qui non est dicens, *nego. Dist. min.* Filius est intelligens et non dicens, *conc.:* secus, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum Filius sit Deus et Deo competat intelligere, intelligere enim essentialiter dicitur in divinis, hinc Filio competit intelligere eo modo quo est Deus. Est autem Deus genitus, non generans, unde est quidem intelligens, sed non ut producens Verbum; verum potius est Verbum procedens. Quocirca in primo quasi signo suae processionis, Verbum non est intelligens, sed intellectum seu melius dictum; at quoniam non distinguitur realiter ab essentia divina, quae est intelligens, hinc oportet ut et ipsum Verbum sit intelligens, eo sane modo quo intelligit Pater, excepto eo quo distinguitur a principio dicente, id est, excepta dictione Verbi [2]. *Quapropter*, concludit Card. Satolli [3], *cum de se affirmat, quod sicut Pater novit Filium, ita Filius cognoscit Patrem, debet referri ad identitatem actus intelligendi, non vero ad paritatem in eo quod similiter concipiat, suumque verbum in cognoscendo Patrem habeat. Immo consideretur, ut Filius intelligat producendo verbum eius quod intelligit, oportere ut a Patre secundum esse et naturam dividatur, quod insanum est.*

7. — **Scholion.** — His praestat adiicere explicationem verborum S. Pauli [4], qui de Filio dicit: *Portans omnia verbo virtutis suae*, φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, ex quibus verbis, cum S. Basilius [5] acceperit quod Spiritus Sanctus sit Verbum Filii, videretur esse concludendum quod

[1] Ad 1[m]. — [2] Ad 4[m]. — [3] In h. l. — [4] Hebr., I, 3. — [5] L. V. Contra Eunom., c 11.

esse Verbum non sit proprium Filio, sed quod possit competere Spiritui Sancto, ita ut habeatur Verbum Verbi.

Dicendum igitur est: 1° quod in hoc loco *verbum* metaphorice, non vero proprie sumitur. Cuius indicium est nomen graecum ῥῆμα, quod in Scripturis non Filium Dei, sed tantum *verbum* in genere significat. Unde, si *verbum* hic intelligatur pro facto, seu effectu, sensus erit quod Filius Dei portat, seu conservat in esse omnia quae sunt creata, effectu, seu ex effectu, aut ex facto virtutis suae, quasi conservatio omnium in esse sit ipsemet effectus nobis manifestus, et manifestans virtutem Filii. Et non solum eius virtutem manifestat, verum etiam et ipsummet verbum, id est imperium ex quo omnia dependent. Unde glossa dicit *verbum* hic pro *imperio* sumi [1].

2° Non desunt qui ita legi debere contendunt, ut Filius Dei portet omnia verbo virtutis eius, id est Patris, mutato αὑτοῦ in αὐτοῦ, ita ut sensus sit quod Filius portat omnia verbo virtutis Patris, omnia conservans et regens imperio et virtute Patris, quae tamen virtus ipsi cum Patre communis est.

3° Sanctus autem Basilius, dicens Spiritum Sanctum esse Verbum Filii, accipit Verbum improprie et figurate, ratione nempe manifestationis, eo quod, cum sit Filio simillimus, cognitus ducit in cognitionem Filii, secundum illud [2]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Aut quia Spiritus Sancti munus est intus edocere fidelium corda, ea quae Christus suis Apostolis exterius tradiderit; unde addit: *Et annuntiabit vobis*, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν, iuxta illud [3]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis* [4].

Articulus III. — *Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam determinatum fuerit duobus prioribus articulis quanam habitudine proprietatis dicatur Verbum in divinis, nunc quaeritur quisnam sit respectus qui in nomine Verbi importatur ad creaturam. Et

[1] Interlin. — [2] Io., XVI, 14. — [3] Io., XIV, 26. — [4] Cf. ad 5[m].

quidem quod aliquis talis respectus importetur, statim ex primo huius quaestionis articulo evidenter erui potest. Dictum est enim Verbum procedere ex completa notitia Patris, in qua non modo Trinitas, verum et creaturae omnes comprehenduntur. Pater igitur comprehendens suam essentiam, dicit seu exprimit Verbum suum, quo in Verbo omnia dicuntur. Ex quo patet differentia Verbi Dei a verbo nostro Siquidem verbum nostrum multiplex est pro multiplicitate eorum quae actu intelliguntur, quia uno actu omnia intelligere haud valemus: sed cum Deus uno actu omnia intelligat, Verbum eius est repraesentativum omnium quae actu ab ipso intelliguntur. Quocirca, cum iam constiterit quod Verbum dicit ad creaturam respectum, quaestio modo proponitur quanam ratione istum respectum dicat, num scilicet eadem ratione ac dicit respectum ad ipsum Deum, an alio modo.

2. — PROP. — **Respectus qui in nomine Verbi ad creaturam importatur, in hoc consistit, ut sit expressivum et operativum eiusdem creaturae.**

3. — **Prob.** — De ratione verbi, ut verbum est, est ut sit expressivum eius quod verbo dicitur. Atqui Verbo Dei dicuntur Deus et creaturae. Ergo de ratione Verbi est ut sit expressivum Dei et creaturarum. — *Expressivum*, inquam, in ratione cognoscitiva et repraesentativa, seu in ratione scientiae, qua res in verbo expressa perfecte cognoscitur. Atqui scientia Dei, Dei quidem est cognoscitiva tantum; creaturarum vero cognoscitiva est et operativa, seu factiva: Deus enim est causa rerum per suam scientiam, cum suum intelligere sit suum esse et suum operari. Unde dicit S. Augustinus [1]: *Universas creaturas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit;* et in Psalmo legitur [2]: *Dixit et facta sunt.*

4. — **Scholion.** Quocirca, S. Ioannes, loquens de Verbo, eiusque aeterna a Patre generatione, necnon de eius in

[1] L. XV, DE TRIN., c. 13. — [2] XXXII, 9.

mundo manifestatione, cum quomodo se habeat relate ad ipsum Deum praefatus esset, sermonem mox convertit ad explicandum eius ad creaturas respectum, dicens iuxta plures graecos codices [1]: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat*, πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδέν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Quo in loco Verbum ita describitur tanquam omnium fiendorum ratio, ut nihil fiat quin in ipso praeexstiterit eorum ratio tum expressiva, tum etiam effectiva. Quinimmo, ea omnia quae temporis decursu fiunt, prouti praestitutum est in illa aeternali ratione, cum in Verbo aliud non sint, nisi ipsamet natura divina, secundum quod praeexistunt in ipso, sunt etiam ipsa eius vita: ὅ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Dei enim intelligere est eius esse; et ita omnia quae intelligit secundum rationem intellectam, sua essentia sint oportet, suaque vita. Igitur Verbum dicit ad creaturas respectum expressionis seu repraesentationis omnium rerum et factionis earumdem [2].

5. — Notanda. — I. Respectus ille Verbi ad creaturam tam necessarius est, quam eius respectus ad ipsammet divinam naturam. Non enim hic considerantur creaturae prouti sunt unaquaeque in suo esse, sed prouti sunt in mente divina, seu ut sunt cognitae a Deo, aut comprehensae a scientia Dei semetipsum comprehendentis. Sic itaque Verbum non dicitur procedere a creaturis, cum creaturae non cognoscantur a Deo per scientiam ab ipsis acceptam, sed per essentiam suam; verum dicitur procedere a notitia quam Deus habet de creaturis, non secus ac de semetipso [3].

II. Verbum Dei est expressivum eius notitiae; unde, ut ait S. Augustinus [4], *non est aliquid minus in Verbo Dei quam in scientia Dei.* Ergo, quemadmodum res sunt in scientia Dei, sic sunt in Verbo Dei. Atqui aliqua sunt in scientia Dei, quorum ipsa scientia est tum expressiva, tum factiva, aliqua vero quorum est expressiva tantum. Prioris generis sunt

[1] Io., I, 3, 4. — [2] Cf. quae diximus in Tract. de Pertinentibus ad div. Operat., 1, Quaest. XVIII, art. 4, n. 3, p. 200. — [3] Ad 3[m]. — [4] L. XV, de Trin., c. 14.

entia proprie dicta, quae in aliqua temporis differentia suum esse sortiuntur; secundi vero generis sunt ea quae simpliciter sunt non entia, licet secundum quid entia sint, id est possibilia, quae tamen Deus in actum reducere non constituit [1].

6. — Difficultates. — I. Personale nomen non importat respectum ad creaturam. Atqui nomen *Verbi* est personale nomen. Ergo nomen Verbi non importat respectum ad creaturam.

Resp. Dist. mai.: personale nomen non importat respectum ad creaturam, in eo quod relationem significat, *conc.*; in eo quod substantiam aut subsistentiam divinam connotat, *nego. Dist. min.* Nomen Verbi est personale nomen et connotat subsistentiam, *conc.*: secus, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Advertendum hic est quod in nomine personae includitur etiam natura oblique, siquidem persona est rationalis naturae individua substantia; unde superius dictum est [2], quod persona in divinis significat relationem ut subsistentem, seu relationem in recto, et naturam in obliquo. Verbum igitur non solum dicit relationem ad dicentem, sicut Filius ad Patrem, verum etiam significat genitum Deum, Deum de Deo. Quocirca Verbum non dicit relationem ad creaturas, qua significatur ut relatum ad dicentem, seu ad Patrem, sed qua est Deus, consubstantialis omnino Patri; hoc enim modo importatur respectus eius ad creaturam [3].

II. Nomina quae important respectum ad creaturam, dicuntur de Deo ex tempore. Atqui nomen *Verbum* non dicitur de Deo ex tempore. Ergo nomen istud *Verbum* non importat respectum ad creaturam.

Resp. Dist. mai.: nomina quae important respectum ad creaturam, qui respectus consequatur actionem Dei transeuntem in creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, *conc.*: qui respectus consequatur actionem Dei immanentem in ipsa divina essentia, *nego. Dist. min.* Nomen istud, *Verbum*, non dicitur de Deo ex tempore, eo quia non significat respectum ad creaturas, qui consequatur actionem transeuntem, *conc.*: quasi debeat excludere respectum ad creaturas, qui conse-

[1] Ad 5[m]. — [2] Quaest. XXIX, art. 4, n. 5, p. 112. — [3] Ad 1[m].

quatur actionem immanentem, *nego. Nego conseq. et conseq.* - Omnis quidem respectus, seu relatio, consequitur aliquam actionem; atqui in Deo duplex distinguitur actio, scilicet immanens et transiens. Quocirca, nomina significantia relationem quae consequitur actionem transeuntem in exteriorem effectum, ex tempore dicuntur; alia vero dicuntur ab aeterno. Porro, nomen *Verbum* importat relationem ad creaturam, quae relatio consequitur actionem immanentem, scilicet intelligere, quae de Deo ab aeterno dicitur; non autem importat relationem ad creaturam, quae relatio consequitur actionem transeuntem, scilicet creationem, aut quid simile [1]; nam debet intelligi in ipso Verbo respectus ad creaturas, secundum quod creaturae sunt in Verbo expressae et repraesentatae, *persona enim procedens in divinis, procedit ut principium productionis creaturarum* [2].

7. — **Instabis.** — Respectus iste ad creaturas, qui importatur nomine *Verbum*, aut est realis, aut rationis. Si realis, ergo Verbum realiter procedit ex creaturis; et quia relatio multiplicat Trinitatem, hinc, praeter Patris personam, habebitur aliqua persona, tanquam ex qua secundario procedit Verbum. Si autem sit rationis, ergo Verbum nullo modo realiter dicit respectum ad creaturam, et sic non procedit ex completa notitia Patris, ut hucusque dictum est.

Resp. Respectus iste realis est, sed non terminatur ad creaturam qua creatura est, sed qua est cognita scientia Dei. Igitur Verbum primo et principaliter refertur ad scientiam Dei; secundario vero et consequenter ad ea omnia quae in hac scientia comprehenduntur, sed non distincta relatione. Est enim de natura Verbi, ut Verbum est, ut referatur ad scientiam dicentis, ut dicens est, quae scientia in Deo non est aliud ab ipso. Et sic creaturae sunt et in scientia Dei et in Verbo, sed alio et alio modo: in scientia quidem Dei, ut in notitia intellectus divini; in Verbo autem, ut in notitia expressa, semper tamen ipsemet Deus.

8. — **Corollarium.** — Exinde constat quaenam sit differentia inter Verbum et ideas in Deo. Nam Verbum primo

[1] Ad 2[m]. — [2] Quaest. XXXIII, art. 3, ad 1[m].

et principaliter dicit relationem ad dicentem, secundario autem et consequenter ad id quod in scientia dicentis continetur, id est ad creaturas; ideae vero principaliter dicunt respectum ad creaturas, secundum quod Deus cognoscit essentiam suam ut sic imitabilem a creaturis. Unde Verbum personaliter dicitur et numero prorsus singulari; ideae vero essentialiter et numero plurali, ut constat ex doctrina de ideis divinis [1].

[1] Ad 4m. Cf. 1, Quaest. XV.

SYNOPSIS DE HAERESI ARIANA.

Quia omnium potissima et celeberrima, contra Verbi divinitatem, exstitit ariana labes, ideo operae pretium erit illius historiam hic per summa capita retexere.

1. — **Arii impia dogmata.** — Arius, presbyter alexandrinus, circa annum 319, suam haeresim evulgare coepit, docens Filium Dei, seu Verbum, creaturam esse Patre inferiorem in natura et divinitate, quae cum libertate peccandi esset donata, eaque bene usa fuisset, meruerit tam altum gloriae gradum, ut Deus, licet improprie, dici posset. Agnoscebat quidem Arius aliud Verbum, Patris proprium, id est Patris Sapientiam, *in qua Sapientia istud Verbum, id est Christum, fecit*, ut recitat S. Athanasius [1]; sed ista Sapientia non erat a Patre distincta, ideoque erat tantum Verbum nominale. Filium autem nonnisi improprie vocabant Verbum, ne cogerentur illum fateri Patri consubstantialem; et de eo dicebant quod κτίσμα ἐστὶν, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς ἕν τῶν κτισμάτων· ποίημά ἐστιν, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς ἕν τῶν ποιημάτων, *creatura est, sed non sicut una ex creaturis; factura est, sed non sicut una ex facturis* [2].

Cum primum Arius ab Alexandrino Episcopo, S. Alexandro, in Concilio, anno 320, damnatus esset, succrescente nova haeresi, Constantinus imperator, anno 325, concilium Nicaeae Bithyniae coegit, cui interfuere tercentum decem et octo episcopi, in cuius fidei professione decretum est: Πιστεύομεν... εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί, δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, κ. τ. λ., *credimus in unum Dominum Iesum Christum Filium*

[1] Or., I, Contra Arianos. — [2] Ibid., II, 19.

Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, etc.

Attamen Ariani huic Concilii definitioni haud acquieverunt, imo potius vocem *consubstantialis*, quod sabellianismo, ut aiebant, apertius faveret, quasi tolleret personarum distinctionem, repudiaverunt, nicaenos quoque Patres irrisorie *omousianos* vocantes.

2. — Semiariani. — At, instante Catholicos inter et Arianos controversia, cum isti sua decreta nimis impia et Scripturis Sacris adversa esse deprehendissent, in duas partes scissi sunt; aliis ferocia dogmata retinentibus, aliis vero Arii doctrinam cum catholica doctrina temperare conantibus. Illi *Ariani* simpliciter dicti sunt, et aliquando ἀνόμοι, vel etiam *anomaei*, eo quod Filium in omnibus Patri ἀνόμοιον, id est dissimilem facerent; quorum praecipui duces fuerunt Acacius Episcopus Caesareensis, Eudoxius Episcopus Antiochenus, Aëtius et Eunomius. Ursacius et Valens, a quibus etiam nomen ariani sortiti sunt, ut ita dicerentur *Acaciani*, *Eudoxiani*, *Eunomiani*, etc. Alii vero *Semiariani* dicti sunt, et aliquando etiam *Eusebiani*, nomine praecipuorum fautorum et ducum, scilicet Eusebii Caesareensis, necnon Eusebii Nicomediensis Episcopi.

Isti igitur, dum ex una parte Filium per omnia Patri *similem*, ὁμοιούσιον, praedicabant, illum ex altera Patri *consubstantialem*, ὁμοούσιον, agnoscere detrectabant; et si quando consubstantialem eum esse admitterent, hoc sumebant pro eo quod significat *similem natura*. Eorum igitur placitum erat, Iesum Christum esse unicum Dei Verbum, mentem sapientiamque divinam, Deum de Deo, lumen de lumine, genitum ex Patre ante omnia saecula, omniumque rerum factorem. Sed admittere nolebant illum esse a tota aeternitate; et licet eum dicere nollent puram, ut Ariani blasphemabant, creaturam, illum tamen dictitabant esse ante omnem creaturam, nobiliorem quamdam et longe perfectiorem creaturam. Anathema quoque proferebant in dicentes, *Verbum ex nihilo aut ex non ente processisse, aut fuisse tempus quando non erat;*

quae quidem haeretica sunt [1]; sed hoc illi condemnabant tantummodo quia istae locutiones in divinis Scripturis non reperiuntur [2].

3. — **Formula Sirmii.** — Ariani tamen fidei veritati minime obsequentes, anno 357, Sirmii formulam ediderunt, qua dicebatur *Patrem esse Filio maiorem in honore, in dignitate, in gloria et in maiestate,* quam formulam Ursacius et Valens Osio necnon Liberio Summo Pontifici subscribendam imponere conati sunt. Et Osius quidem fere centenarius exsilio tormentisque fractus subscripsit: Liberium vero invictum in fide perstitisse historia perhibet; qui exsilium potius et Arianorum calumnias pati maluit quam haeretica labe foedari; itaque apud Mediolanum exsulavit.

4. — **Concilium Ariminense.** — Post duos annos (359), cum disputationes acriter persisterent, quadringenti Episcopi in urbe Ariminensi veritatis declarandae causa convenerunt. Hic proclamata fuit nicaena fides, et arianismi duces Ursacius et Valens condemnati, necnon decem Episcopi ad Constantium deputati. Quos Ariani fraudibus circumvenientes, adduxerunt, ut tertiam Sirmii formulam, qua agnoscebatur *Filium esse in omnibus Patri similem,* subscriberent, sublatis etiam vocibus *in omnibus.* Ex altera vero parte, Patres Ariminenses, laboribus taedioque confracti, eamdem formulam accipere inducti sunt, praeter viginti, quos tamen Valens subdole captavit, proposito inter anathematismos, quibus Arianos plectebat, sequenti canone: *Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt ceterae creaturae, anathema sit* [3].

5. — **Ecclesiae infallibilitas.** — Ex quibus omnibus concludi nequit, aut cum Protestantibus Ecclesiam posse aliquando a fide deficere, aut cum Iansenistis illam fuisse obscuratam; nam, ut pauca tantum innuamus, 1) Liberius, centrum necessarium Ecclesiae catholicae, aperte damnavit Ariminense concilium, cuius sententiae plurimi Episcopi adhae-

[1] Cf. dicenda in Quaest. XLI, art. 2. — [2] V. Socrat., H. E., l. I. c. 8. — [3] Apud S. Hier., Dial. adv. Lucif., c. VIII.

serunt; β) nunquam fuit probatum Episcopos, qui formulae subscripsere, fuisse aliis numerosiores, sive in concilio sive postea in provinciis, cum multi Episcopi essent intrusi, multi vero subscribere recusaverint, multi quoque de hac re nihil resciverint; γ) Episcopi, qui apud Ariminium subscripserunt, sensu catholico formulam intenderunt, et contra eius arianum sensum postea protestati sunt; immo, potest concludi, nicaenam fidem nunquam tanto lumine resplenduisse, quanto decorata refulsit, cum in mediis tot tergiversationibus Arianorum, una, firmissima, immutabilis et inconcussa prorsus apparuit.

6. — S. Athanasius. — Nec defuerunt catholicae veritati defensores, quos inter praecipuus eminet S. Athanasius († 373), qui Arianorum malleus iure merito potest appellari, et *quem laudare*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *est ipsammet laudare virtutem* [1]. Cum adhuc esset diaconus, S. Alexandrum ad Nicaenum Concilium secutus erat, ubi Arii impietatem detestatus, vehementer repressit. Post S. Alexandrum, Alexandriae ecclesiae praesul constitutus, Arium a sua communione repulit; qua de re magnum inde odium concitavit, ita ut exinde ei insidias moliri non destiterint. Quorum opera in exsilium relegatus, in Gallia apud Treviros aliquando vixit. Postea, Alexandriam a Constantino revocatus, rursus ab inimicis accusatus est; qua de causa, Romam Summum Pontificem Iulium accersivit. Iterum vero in sedem revocatus, mox exsulare rursus coactus est, quod quidem repetitis vicibus evenit, usquedum septuagenario maior, vitam laboribus ac meritis plenam sanctissime finierit, cum sex et quadraginta annos alexandrinam ecclesiam gubernasset.

[1] Orat. XXI. I. t. I. p. 386.

QUAESTIO NONA.

(XXXV).

DE IMAGINE.

PROLOGUS.

1. — **Imago et splendor.** — S. Thomas, sub hoc nomine *Imago*, videtur comprehendere voluisse etiam aliud nomen Filii, de quo locutus est articulo secundo praecedentis quaestionis, nempe nomen *Splendor*. Dixerat enim quod, praeter nomen istud, *Filius*, secunda persona habet etiam proprium nomen *Splendor*, ut ostendatur eius coaeternitas cum Patre; et in secundo articulo huiusce quaestionis adducit ex S. Paulo locum istum [1]: *Qui cum sit splendor*, etc., dum intendit probare nomen *Imago* esse proprium Filio. Dicendum itaque, sub nomine *Imago*, significatione propria et formali, plura alia nomina venire, qua ratione idem significant ac imago: qualia sunt *splendor*, ἀπαύγασμα, quod nomen denotat reflexionem lucis ab ipsamet luce derivatam; *figura*, seu *character*, χαρακτὴρ, quod significat impressionem in aliqua re ex sigillo relictam.

2. — **Quaestionis divisio.** — In qua quaestione, duo S. Thomas singillatim perpendit; primo, praemissa imaginis notione, ostendit imaginem in divinis dici personaliter (1); deinde hoc esse proprium nomen Filii demonstrat (2).

Unde hic quaeruntur duo.

Primo. Utrum *Imago* in divinis dicatur personaliter.

Secundo. Utrum sit nomen proprium Filii.

[1] Hebr., I, 3.

ARTICULUS I. — *Utrum imago in divinis dicatur personaliter.*

1. — **Quid sit imago.** — Imago (graece εἰκών ab εἴοκα, *similis sum*) ortum suum repetere videtur ab *imitando*, quasi sit *imitago*, quia id quod exprimit ac repraesentat, modo suo imitatur. Unde etiam somnia et visa, *imagines*, φαντάσματα, dicuntur, sicut in isto Virgilii versu [1]:

Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus?

somnia enim res actu existentes repraesentare videntur. Sed et *echo* quandoque imago dicitur, eo quod vocem imitatur et reproducit. *Species* etiam, quibus mens nostra instructa in actum cognitionis exit, imagines dicuntur. Unde generice de imagine dicit S. Hilarius [2], quod *est huius rei, ad quam imaginatur, species indifferens*, id est imago est species, quae non differt in ratione similitudinis a specie rei ad quam est imago, licet possit differre in ratione identitatis; imago enim eo modo dicitur esse species alicuius, quo id quod assimilatur alicui dicitur forma eius, scilicet in quantum habet formam ei similem [3].

2. — **Quaenam ad imaginem requiruntur.** — Ex his omnibus facile deducitur quid sit formaliter de ratione imaginis, quid vero sit extra hanc rationem. Siquidem, ut habeatur formaliter imago, tria requiruntur: *primo*, *similitudo*, quae si desit, imaginis ratio abest; *secundo*, non quaecumque similitudo sufficit, verum requiritur similitudo quae sit, vel in *eadem specie*, vel saltem *in signo speciei*. In eadem specie, sicut filius dicitur imago patris, eo quod similis est patri in specie humana; in signo speciei, id est in aliquo quod speciem referat eius de quo est imago. Signum istud in rebus corporeis maxime videtur esse figura, non autem, verbi gratia, color, propterea quod animalia sunt diversa secundum figuram, non autem secundum colorem; unde qui animalis alicuius colorem in pariete depinxerit, non dicitur

[1] AENEID., I. — [2] L. DE SYNOD., super can. I. — [3] Ad 2[m].

eius depinxisse imaginem, sed requiritur ulterius ut terminatio corporis, id est figura depingatur. Nec tamen adhuc ista sufficiunt, secus frater, imo et quilibet homo posset dici imago fratris aut cuiuslibet hominis, qui casu similis inveniretur in lineamentis, statura, etc. cum tamen non dicantur. Igitur, requiritur *tertio*, ut similitudo sit *secundum originem*, id est ut illud, quod est imago, procedat ut simile ab eo cuius est imago, seu exprimatur ab eodem, quod sit praesens, sive realiter secundum physicam praesentiam, sive secundum imaginationem, quo modo fiunt illae imagines, quas ut plurimum sculptores et pictores effingunt. Tertiam hanc conditionem exprimens S. Augustinus ait [1]: *In duobus ovis paribus inest aequalitas, inest et similitudo, quaecumque enim adsunt uni, adsunt et alteri; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est.* Et rursus [2]: *Omnis imago similis est ei cuius imago est, nec tamen omne quod simile est alicui etiam imago est eius, sicut in speculo vel in pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt, tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est cum de aliquo exprimitur* [3].

Igitur haec tria ad rationem imaginis requiruntur; nec exigitur ut imago sit realiter quid distinctum quoad substantiam ab eo cuius est imago; sed sufficit distinctio relativa, secundum quam una res possit dici imago alterius; sed nec requiritur ut habeatur prioritas et posterioritas inter imaginem et imaginatum, sed sufficit ut imago, id quod est formaliter imago, ab alio repetat [4].

Et ex hac notione imaginis, et signanter propter ultimam conditionem, dicitur quod idem est motus in imaginem et in rem cuius est imago, et quod ille cultus qui praestatur imagini, ut formaliter imago est, ipsi rei cuius est repraesentatio praestatur.

Hisce igitur tum contra veterum Iconoclastarum violentias, tum contra recentiorum Novatorum insectationes praestitutis, sit

[1] L. LXXXIII Qq., Quaest. LXXIV. — [2] L. Imperf. de Gen., c. 16. — [3] Cf quae diximus in Tract. de prima hominis Formatione. 1, Quaest. XCIII, art. 1, n. 1, p. 117. — [4] Ad 3^m.

3. — PROP. — **Hoc nomen, Imago, in divinis est nomen personale.**

4. — **Prob.** — Haec propositio fluit ex dictis, et sic probatur. Nomen quod significat processionem, sive originem in divinis, est nomen personale. Atqui hoc nomen *imago* significat processionem, sive originem in divinis. Ergo hoc nomen *imago*, in divinis, est nomen personale. — Eadem veritas *comprobatur* S. Augustini testimonio dicentis [1]: *Quid est absurdius, quam imaginem ad se dici?* quasi dicat, imaginem dici ad aliud, proindeque relationem importare originis ad id, a quo est ut imago, quod ad divina transferendo, ubi relatio significat personam, sibi vult imaginem nomen esse personale in divinis.

5. — **Scholion.** — Aliquando, res quoque, ad cuius imaginem fit aliquid, dicitur et ipsa imago, sicut cum Sanctissima Trinitas dicitur imago hominis. Sic enim loquitur S. Fulgentius [2]: *Una est Sanctae Trinitatis divinitas et imago, ad quam factus est homo.* Sed iste modus loquendi improprius est. Imago enim proprie significat rem quae procedit ad similitudinem alterius, sive in specie, sive in signo speciei, non autem rem a qua deducitur similitudo. Haec enim proprie vocatur exemplar, et eius similitudo *imago;* unde magis proprie loquendo deberet divinitas Sanctissimae Trinitatis dici exemplar, ad cuius similitudinem factus est homo [3].

ARTICULUS II. — *Utrum nomen Imaginis sit proprium Filii.*

1. — **Sententiae.** — Circa hanc quaestionem differentia invenitur inter doctores Graecorum et doctores Latinorum. Priores enim communiter admittunt nomen imaginis competere etiam Spiritui Sancto, ita ut Spiritus Sanctus dicatur imago Patris et Filii, quo modo ait S. Ioannes Damascenus [4]: *Spiritus Sanctus est imago Filii*, ubi nomen *imago* usur-

[1] L. VII, DE TRIN., c. 1. — [2] L. DE FIDE AD PETRUM, cap. 3. — [3] Ad 1[m]. — [4] L. I, ORTHOD. FID., c. 18.

pant pro perfecta similitudine [1]. At latini doctores imaginis nomen soli Filio attribuunt, quorum sententiam ita exprimit S. Augustinus [2]: *Solus Filius est imago Patris.* Hinc cum ipsis dicimus

2. — PROP. — **Nomen imaginis in divinis est proprium Filio.**

3. — **Prob.** — Quod in canonica Scriptura soli Filio attribuitur, est proprium Filio. Atqui in canonica Scriptura nomen imaginis soli Filio attribuitur. Ergo nomen imaginis in divinis est proprium Filio. — *Prob. min.* Revera de solo Filio dicitur α) [3]: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius*; β) rursus [4]: *Qui est imago Dei,* ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ: γ) iterum [5]: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae,* ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. ε) Denique [6]: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius,* ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Huius tamen rei non una a diversis ratio adsignatur.

4. — **Rationes non probandae.** — I. Quidam ideo dixerunt Spiritui Sancto non competere rationem imaginis, quia Spiritus Sanctus non convenit cum Patre et Filio in aliqua notione principii, cum a Spiritu Sancto nulla persona procedat; ad imaginem autem requiritur ut imago conveniat cum imaginato in una notione, sicut Filius convenit cum Patre in notione principii, scilicet in spiratione, et ideo Filius dicitur Patris imago. — Sed haec ratio non est bona; quia sicut secundum relationes divinas non attenditur aequalitas aut inaequalitas personarum in divinis, ut ait S. Augustinus [7], ita nec secundum ipsas formaliter ut sic attenditur similitudo quae ad rationem imaginis requiritur.

II. Alii igitur, aliam viam ingressi, dixerunt Spiritum Sanctum non esse imaginem, quia nec Patris, nec Filii, nec utriusque imago existere potest. Non Patris, quia non im-

[1] Ad 1[m]. — [2] L. VII. DE TRIN., c. 2. — [3] SAP., VII, 26. — [4] 2. COR., IV, 4. — [5] COL., I, 15. — [6] HEBR., I, 3. — [7] L. XV. DE TRIN., c. 6.

mediate refertur ad Patrem, sed mediante Filio; imago autem immediate ad id cuius est imago refertur; non Filii, quia imaginis non est imago; non utriusque, quia duorum non est una imago. — Sed nec ista ratio cogit: nam posset dici quod Spiritus Sanctus est imago utriusque, scilicet Patris et Filii, non ut duo sunt, sed ut sunt unum principium spirans Spiritum Sanctum. Et *confirmatur*: unus enim homo dicitur imago totius Trinitatis.

5. **Vera ratio adsignatur.** — Quapropter, vera ratio quare solus Filius in divinis, et non Spiritus Sanctus, dicitur imago, ex propria ratione processionis utriusque debet repeti. Siquidem, de ratione imaginis, ut dictum est, est ut sit similitudo secundum speciem expressa ab eo cuius est imago, seu, ut ait S. Augustinus [1], de *ratione imaginis est similitudo cum expressione* [2]. Ergo, ille solus proprie imago dicitur in divinis, qui procedit in similitudinem speciei expressam ab eo a quo procedit, cuiusmodi est Verbum, et ipsum solum. Nam licet Spiritus Sanctus accipiat in sua processione naturam Patris, non tamen procedit ut similis, cum de ratione amoris non sit similitudo formaliter dicta, quamvis hoc conveniat Amori, qui est Spiritus Sanctus, in quantum est Amor divinus.

6. — **Quaestio.** — *Utrum homo possit dici imago Dei.*

Affirmative respondendum est, sed non eo modo quo Filius dicitur imago Patris. Revera, dupliciter imago alicuius in aliquo invenitur. *Uno modo*, ut in re eiusdem naturae secundum speciem, seu perfecte, sicut imago regis est in filio suo. *Alio modo*, ut in re alterius naturae, seu imperfecte, sicut imago regis est in denario. Porro, priori modo Filius est imago Patris, unde formaliter eius imago dicitur in recto; secundo autem modo, homo dicitur imago Dei; unde ait S. Paulus [3]: *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est*, ἀνὴρ οὐκ ὀφείλει κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν, εἰκὼν καὶ δόξα τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων. Praeterea, imago ista, cum sit imperfecta, potius quam in recto, dicitur in obliquo, ad

[1] L. LXXXIII, Quaest., Q. cit. — [2] Ad 2[m]. — [3] 1 Cor., II, 7.

designandum motum tendentis in perfectionem: unde potius dicitur homo ad imaginem Dei, quam Dei imago: quapropter etiam legitur [1]: *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., et [2]: *Creavit... hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Pariter [3]: *In eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* [4].

[1] Gen., I, 26. — [2] Vers. 27. — [3] 2 Cor., III, 18. — [4] Ad 3^m.

QUAESTIO DECIMA

(XXXVI).

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

Prologus.

1. **Imperfecta tertiae personae cognitio.** — Inter divinas personas, nulla cognitioni nostrae tam impervia est, quam persona Spiritus Sancti. Nam, de Filio quidem, postquam in carne apparuerit, et per carnis indumentum, intolerabile maiestatis suae pondus, ut melius posset inspici, tantisper obscuraverit, plura nobis comperta sunt, quantum ad aeternam eius a Patre processionem. Pater quoque, ex adverso, per Verbi Incarnationem magis innotuisse dicendus est, cui praeterea ea attributa appropriare solemus, quae ad omnes quidem personas aequo iure pertinent; speciali tamen affinitatis ratione de ipso, utpote fontali in deitate principio, praedicantur. At vero, de Spiritu Sancto nonnisi tenuis theophania habita est, cum sub columbae specie in Christi baptismate visus est, cuius tamen columbae nec naturam assumpsit, nec consequenter operationem propriam habuit. Eius quoque processio remota est quam maxime a consideratione nostra, cum non sit aliqua analogia in natura creata, qua ad illius cognitionem manuduci possimus.

Porro, licet hanc cognitionis deficientiam Christus in Evangelio, et Ecclesia post ipsum suppleverint, multi tamen adhuc in hac doctrina valde deficiunt. Non desunt enim qui ob ipsum quod quidam discipuli Paulo sciscitanti [1]: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes*, olim responderunt [2]: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*, respondere possent hodie quoque similiter; aut, licet aliqui illius nomen in religionis cultu adhibeant, id tamen crassiori fide, tenebris

[1] Act. XIX, 2. [2] Ibid.

obvoluta, peragunt. Quapropter monet Summus Pontifex Leo XIII [1] ut sacri concionatores, curatoresque animarum hoc suum munus esse meminerint, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent, diligentius atque uberius populo tradant, et quanta beneficia ab hoc divino largitore ad nos manaverint, et manare non desinant, enucleate explanent. Sic etiam in *Catechismo Romano* legimus [2]: *Qua in re declaranda, omne studium et diligentiam pastores adhibebunt, cum homini christiano non magis liceat hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis superioribus articulis existimandum sit.*

2. **Dicendorum ordo.** - Circa personam Spiritus Sancti, quae, non dignitate, sed ordine, iuxta fidem et intelligentiam, Patri et Filio succedit, tres quaestiones S. Thomas ita instituit, ut primo de nomine, ex accommodatione, personali et proprio, quod est Spiritus Sanctus, necnon de eius secundum hanc rationem, ex Patre Filioque, processione pertractet (XXXVI): tum de *amore*, non essentialiter sumpto, qui rationem divinae personae praecedit, sed personaliter accepto, in quantum Spiritus Sanctus est nexus Patris et Filii (XXXVII); denique, de *dono*, quod etiam est nomen personale et proprium Spiritus Sancti, et cuius ratio ipse amor est (XXXVIII).

In quibus omnibus exponendis, theologo a S. Thomae doctrina ne transversum quidem unguem discedendum erit, ne quid in re, quae tam aeriter Orientem ab Occidente divisit, infeliciter offendat. Videtur enim Angelicus praeceptor eas omnes difficultates quas Graeci contra Spiritus Sancti processionem in Concilio Florentino moverunt, acumine suo praevidisse et invictis rationibus solvisse; ita et Latinorum theologi, praesertim Ioannes de Montenegro, inclytus ex ordine S. Dominici fidei defensor, argumentis eius Summae fere unice sint usi, ad adversariorum oppugnationes debellandas. Quapropter theologo toto nisu conandum erit, ut his armis fretus, fidei veritatem circa Spiritus Sancti processionem accuratius, quantum in se erit, exponat, quo

[1] Ep. Encycl., *Divinum illud*, 9 maii, 1897. — [2] P. I, c. IX, n. 1.

ad catholicae Ecclesiae gremium dissidentium corda, quantum in se est, citius reducere valeat.

3. — Ordo huius quaestionis. — Porro, in hac quaestione, quae Spiritus Sancti nomini proprio et processioni aperiendis incumbit, duo theologo inquirenda veniunt: aliud, quo nomine vocari debeat tertia ista persona (1), aliud quomodo ipsa sit (2-4), quod resolvetur, tradendo completam illius processionis rationem. Ast, cognosci haud valet huius tertiae personae processio, nisi ii cognoscantur, ex quibus ipsa procedit (2-3); et quia propria cuiusque rei passio est unitas, determinandum quoque venit, quod ad hanc personam plenius cognoscendam requiritur, utrum haec ab illis procedat tanquam a duobus, an tanquam ab uno principio (4). Personae autem, a quibus haec tertia procedit, sunt Pater et Filius, qui non veluti collateraliter, sed ordine quodam (3), illam spirant; et quia quod a Patre procedat vix est ab haereticis denegatum, hinc doctrina potissima remanebit tradenda, contra Graecorum tam pertinaces impugnationes, scilicet quod a Filio procedat Spiritus Sanctus.



Hic igitur quatuor quaeruntur:

Primo. Utrum hoc nomen, Spiritus Sanctus, sit proprium alicuius divinae personae.

Secundo. Utrum illa persona divina, quae Spiritus Sanctus dicitur, procedat a Patre et Filio.

Tertio. Utrum procedat a Patre per Filium.

Quarto. Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

ARTICULUS I. — *Utrum hoc nomen,* SPIRITUS SANCTUS, *sit proprium alicuius divinae personae.*

1. — Ratio articuli. — Non tam de ipso facto proprietatis huius nominis, per respectum ad tertiam in Trinitate personam, hic dubitatur, quam de ratione designanda huius facti, praecipue cum huic contradicere prima fronte videretur ipsa nominis indoles, quae non est ut primo et per se relationem significet, dum e contra novimus propria divinarum personarum nomina *ad aliquid*, sive relative, dici debere, iuxta ea quae tradunt theologi cum Boëtio [1]. Revera, nec in nomine *Spiritus*, nec in nomine *Sanctus*, relatio claudit̃ur: nam illud quidem primitus significasse videtur vehementem quamdam et subtilissimam vim corpoream, magnorum ac subitorum effectuum sensibilium parentem, et postea ad quamlibet substantiam immaterialem significandam transumptum est; hoc vero, a *sanciendo* derivatum, rem vel proprietatem designat quae divina sit, vel essentialiter vel participative, cum quidquid sancitur, a Dei lege ultimo repeti debeat [2].

2. — Praenotamen. — Ad quod solvendum, sciendum est nomen aliquod posse esse proprium alicuius personae, duplici ratione: *primo*, ex vi suae significationis, seu simpliciter; *secundo*, ex accommodatione et usu. Prius habetur, quando tale nomen habet ex suae significationis indole ut significet proprie rem quam designat, sicut hoc nomen *Pater*, ex vi significationis nominis, habet quod designet primam personam, quae relatione paternitatis ad Filium refertur. Secundum vero habetur, quando nomen aliquod, licet ex vi nativa suae significationis non habeat ut significet talem personam, ex usu tamen et accommodatione, praesertim quae Ecclesiae auctoritate firmatur, assumitur tanquam proprium nomen ad istam personam designandam, quae nomine magis proprio careat.

[1] L. DE TRIN., c. 5. — [2] Cf. quae scripsimus in tr. DE S. IOSEPH, P. II, a. 4, nn. 13, 14.

3. PROP. **Hoc nomen, SPIRITUS SANCTUS, est nomen proprium tertiae personae, ipsi accommodatum ex usu Scripturae et ex Ecclesiae auctoritate.**

4. — **Expenditur.** Tria hic exponi debebunt: *primum*, quod hoc nomen non habet ex indole suae significationis, ut significet divinam personam; *secundum*, quod tamen hoc habet ex accommodatione Scripturae et auctoritate Ecclesiae; *tertium*, quod hoc convenientissime factum fuerit.

5. — **I. Tertia persona proprio nomine caret.** In prima huius tractatus quaestione [1], ostensum est quod processio Spiritus Sancti proprio nomine caret, eo quod non suppetunt nobis in natura creata exempla talis processionis; ideoque et relationes, quae secundum huiusmodi processionem accipiuntur, innominatae manent. Unde communiter nomen processionis retinetur ad eam designandam; et quia processio per modum amoris impulsionem significat, quae penes nos nomine spirationis exprimitur, ideo tanquam nominibus accommodatis utimur nominibus spirationis et processionis ad illas relationes significandas. Sed nomina ista potius sunt nomina significantia actus notionales, quam relationes: sunt enim nomina quae primo et per se actionem seu operationem designant, non autem relationes inde ortas; quibus tamen nominibus uti debemus tanquam propriis, deficientibus magis propriis, ad illam divinam personam eiusque ad suum principium relationem, significandas [2].

Quanquam, si Spiritus intelligatur quasi *spiratus*, poterit hoc nomen *Spiritus Sanctus* etiam relative dici, cum sic referatur ad *spirantem*; sed tunc nomine relativo significatur secundum *dici* tantum, et non secundum *esse*, quemadmodum et *genitor* potest dici relativum nomen Patris, et *genitus* relativum nomen Filii [3].

6. — **II. Accommodatio huius nominis.** — Igitur deficiente nomine magis proprio, nobis utendum est nomine

[1] Art. 4. — [2] Cf. CATECHISM. ROM., P. I, c. IX, n. 3. — [3] Ad 2[m]. Cf. I, Quaest. XIII, art. 7, ad 1[m].

Spiritus Sancti, quod nomen adhibent Scripturae, constansque Ecclesiae traditio. Revera, quod α) Scripturae hoc nomine utantur, ex pluribus constat tum Veteris, tum maxime Novi Testamenti locis. Siquidem legimus [1]: *Spiritus Domini replerit orbem terrarum*: pariter, de Verbo incarnato Isaias praedixit [2] quod *requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus*, etc.; David quoque deprecabatur [3]: *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*; sed et in libro Sapientiae legimus [4]: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.*

In Novo pariter Testamento, invenitur Dominus Noster iussisse [5] ut Apostoli baptizarent *gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, iterumque beatissimam Virginem de Spiritu Sancto concepisse legimus [6]; pariter, Christus de eadem tertia persona edisserit, his verbis [7]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus*; demum dignus est qui recenseatur celeber locus [8]: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus* [9].

Constantem quoque hanc esse β) *Ecclesiae traditionem*, ut scilicet haec persona *Spiritus Sanctus* nominetur, ex hoc eruitur quod non alio vocabulo utuntur sive Concilia in suis decretis, sive Patres in suis scriptis, sive ipsa Ecclesia in sua liturgia, sive christifideles in communi loquendi usu. Quod ad Patres attinet, sufficiet adduxisse, pro *Graecis*, S. Gregorium Nazianzenum, qui ait [10]: *Quis catholicorum ignorat, Patrem vere esse Patrem, Filium vere esse Filium, et Spiritum Sanctum vere esse Spiritum Sanctum?* Pro *Latinis* autem valet auctoritas S. Augustini, qui ait quod fides vera *et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum Sanctum, quod est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium* [11]. Unde tam invictis testimoniis res ista firmatur, ut haereticus dici debeat qui hoc nomen, *Spiritus Sanctus*, personae divinae proprium esse negare ausus fuerit.

Quapropter, etiamsi hoc nomen, *Spiritus Sanctus*, nullo

[1] Sap., I. 7. — [2] XI. 2. — [3] Ps., L. 13. — [4] Sap., IX. 17. — [5] Matt., XXVIII. 19. — [6] Luc. I. 35. — [7] Io., XIV. 26. — [8] 1. Io., V. 7. — [9] Cf. quae de hoc loco disseruimus supra, p. 140, n. 3. — [10] In Tr. de Fide. — [11] L. VII. de Trin., cc. 4, 6.

modo ipsorum relative, tamen ex accommodatione poni debuit pro nomine, ad significandam personam sola relatione distinctam ab aliis; at, ut diximus, potest etiam relative intelligi [1].

7. — III. Huius rei convenientia. — Quod autem hoc nomen, abstractione facta a sua relativa significatione, convenienter fuerit accommodatum ad designandam tertiam in Trinitate personam, S. Thomas duabus rationibus ostendit. *Prima* sumitur ex communitate rei significatae, scilicet ipsemet Spiritus Sancti. Nam, ut ait S. Augustinus [2], quia Spiritus Sanctus communis est ambobus personis, scilicet Patri et Filio, Pater enim est Spiritus, et Filius est Spiritus, itemque Pater est Sanctus et Filius pariter est Sanctus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. Hoc autem didicerat Augustinus ab Ambrosio qui scribit [3]: *Nam licet Pater sit Spiritus, et Filius sit Spiritus, et Pater sit Sanctus, et Filius sit Sanctus, sola tamen Tertia persona proprie Spiritus Sanctus nuncupatur. Quia ergo coaeterna et communis est ambobus, id ipsa vocatur quod ambo sunt.*

Altera ratio desumitur ex propria vocis significatione. Nomen enim *spiritus*, in rebus corporeis, impulsionem et motionem quamdam significare videtur: nam et ventus, halitus et flatus, spiritus dici solent. Atqui tertia persona procedit per modum amoris. Proprium autem amoris est ut moveat et impellat voluntatem in amatum, unde convenienter tertia persona *Spiritus* vocatur. Sanctitas autem illis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur: amor vero secundum quem tertia persona procedit, est id quo Deus amatur, ideoque convenientissime ille Spiritus vocatur Sanctus.

Addi potest, Spiritum Sanctum sic apte nominari, respectu habito ad operationem quae ipsi ad extra appropriatur, quae est sanctificare animas: quam rationem tangit Leo XIII, dicens: *eumdem Spiritum nominari Sanctum, idcirco etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur.*

[1] Ad 2[m]. — [2] L. XV, DE TRIN., c. 17, et l. V, c. 11. — [3] Cap. 1, TRACT. DE SYMBOLO. — [4] Encycl. *Divinum illud* 9 maii, 1897.

8. — Scholion. — Advertisse tamen hic non pigebit, hoc nomen *Spiritus Sanctus*, ut sit proprium nomen ex usu Ecclesiae accommodatum ad significandam unam ex tribus personis, illam scilicet quae procedit per modum amoris, debere sumi in vi unius dictionis tantum. Nam, si sumatur in vi duarum dictionum, tunc istud nomen commune est toti Trinitati, quia nomine *Spiritus* designatur immaterialitas divinae substantiae, nomine translato ex spiritu corporeo qui invisibilis est, et parum habet de materia: et propterea omnes substantiae immateriales et invisibiles, et maxime divina substantia, quae prae ceteris maxime immaterialis est et invisibilis, hoc nomine vocantur. Per hoc autem quod dicitur *Sanctus*, puritas divinae bonitatis significatur. Et propter hoc S. Hilarius ostendit [1], per id quod dicitur interdum *in Spiritu Dei*, aliquando significari Patrem, ut cum dicitur [2]: *Spiritus Domini super me:* aliquando significari Filium, ut cum Filius naturae suae potestate eiicere se daemonia demonstrans, dicit [3]: *In Spiritu Dei eiicio daemonia;* aliquando demum Spiritum Sanctum, ut cum dicitur [4]: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* [5].

9. — Quaestio I. — *Cur Spiritus Sanctus, non secus ac Pater, potest dici noster?*

Resp. Ratio est, quia sicut in nomine Patris intelligitur relatio principii, ad id quod est a principio, ita etiam in nomine Spiritus, secundum quod importat quamdam vim motivam; quod non est in nomine Filii, in quo intelligitur sola relatio eius qui est a principio ad suum principium. Cum igitur nulli creaturae competat esse principium respectu alicuius divinae personae, sed potius e converso, ideo Filius non potest dici huius vel illius, sed solius Patris; e contra, quia esse principium respectu nostri, non solum creans, con-

[1] L. VIII. DE TRIN., nn. 23. 25. — [2] Is., LXI. 1. — [3] MATTH., XII. 8. — 28. — [4] IOEL, II. 28. — [5] Ad 1^m. Adverti hic potest, non semper recentes scriptores, qui vitam Iesu conscribendam susceperunt, ita accurate de Spiritu Sancto loqui: quippe qui sub isto communi nomine *Spiritus* (l'Esprit) confundunt notionalia cum essentialibus, aut etiam cum gratiae participatione in homine, non sine sacrae scientiae detrimento.

servans et gubernans, sed et movens, importatur etiam in nomine Patris et similiter in nomine Spiritus Sancti, hinc, licet nequeat dici *Filius noster*, bene tamen dici potest *Pater noster*, ut in hoc : *Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis*; bene etiam dici potest *Spiritus huius vel illius hominis*, ut [2] : *Dixit Dominus ad Moysen : auferam de spiritu tuo, tradamque eis*, nempe septuaginta viris de senioribus Israël; et rursus [3] : *Requievit spiritus Eliae super Elisaeum* [4]. *Quapropter*, concludit Card. Satolli [5] *nos orando solemus dicere Pater noster; et invocamus quoque Spiritum nostrum; numquam vero audebimus dicere, Filius noster: nisi forte, quia datus est nobis, ut dicit Isaias; non ut esset Filius, sed frater noster, adoptionis gratia nobis collata*... *Nomen proprium optime, ut fieri solet, a rei proprio effectu desumitur. Atqui proprius effectus est tertiae personae procedere, spirituales efficere, et in unum Spiritum amatores copulare. Ergo quidam iure illud, ut proprium nomen, vindicat sibi tertia in divinis persona, quod est Spiritus Sanctus.*

10. — Quaestio II. — *Utrum liceat Spiritum Sanctum in forma humana repraesentare?*

Resp. Negative, ut constat ex prohibitione lata a Benedicto XIV [6]. Etenim, cum Spiritus Sanctus se in forma columbae manifestaverit, non est unde repraesentetur in forma humana, quae soli Verbo, quod caro factum est, proprie competit. — Obiicienti Patrem quoque interdum in humana forma repraesentari, respondetur id quidem permitti, cum sub nulla figura se manifestaverit; attamen, communior modus illum repraesentandi est cum Filio sub forma humana, et Spiritu Sancto sub forma columbae.

ARTICULUS II. — *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio.*

1. — Lactantius. — Spiritus Sancti existentiam, si quidem S. Hieronymi verbis fides danda sit, Lactantius inficiatus est, cum eiusdem realem a Patre et Filio distinctio-

[1] MATTH., VI, 8. — [2] NUM., XI, 17. — [3] 4 REG., II, 15. — [4] Ad 3^m. — [5] In h. l. — [6] In Epist. ad Episc. Augustanum, 1 Oct., 1745. Bull. huius Pont., t. I, p. 342, seq. Romae, 1754.

nem negasse perhibeatur. Dicit enim ille [1]: *Lactantius in libris suis et maxime in epistola ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat substantiam, et more iudaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque personae sub eius nomine demonstrari.*

2. — Macedoniani. — Quod autem Spiritus Sanctus personaliter a Patre procedat, primus Macedonius negasse refertur. Hic haeresiarcha, primum Ecclesiae Constantinopolitanae diaconus, postea, Arianorum favore, quorum partes sequebatur, eiusdem Ecclesiae, licet a catholicis Paulus iam fuisset electus, patriarcha renunciatus, demum in conciliabulo Constantinopoli coacto, ab Acacianis, ut episcopatu se abdicaret compulsus est (360). Tum Arianorum principia evolvens, contra Spiritus Sancti divinitatem arma sua convertit, docens ipsum *non esse eiusdem cum Patre et Filio substantiae ac honoris participem, sed utriusque ministrum ac creaturam.* Porro, impius blasphemator hoc eodem anno mortuus est; sed fautores habuit quamplurimos, tam in urbe Constantinopoli, quam in reliquis Graeciae provinciis; inter quos unus Marathonius, olim Macedonii discipulus, meruit ut suo quoque nomine recentes haeretici *Marathoniani* vocarentur. Novam hanc haeresim S. Athanasius in libro de Spiritu Sancto *ad Serapionem*. S. Basilius in libro de eodem *ad Amphilochium*, S. Gregorius Nyssenus in libro *de Trinitate*, aliique Patres hac eadem tempestate florentes scriptis suis confixere.

3. — Condemnatio huius erroris. — Interim vero pluribus Conciliis error iste fuit damnatus, inter quae eminet Synodus oecumenica secunda, quae est Constantinopolitana prima, anno 381, auctoritate S. Damasi Papae, adunata Hoc porro Concilium, in primo canone, inter alios haereticos, damnat etiam *Pneumatomachos* (a πνεῦμα, *spiritus*, et μάχομαι, *pugno*), sic enim Macedoniani et Marathoniani vocabantur, propterea quod Spiritui Sancto bellum inferre viderentur. In isto quoque Concilio conditum est symbolum, quod non est nisi maior explicatio nicaeni symboli; et in ipso, particula τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *qui a Patre pro-*

[1] Epist. LXXXIV, ad Pammachium et Oceanum. T. I. p. 528

[illegible] est[1]. In Ecclesiae autem orientalis usum liturgicum illud symbolum transiit, praesertim postquam in duabus subsequentibus Synodis, scilicet Ephesina et Chalcedonensi sancitum fuit, ne aliud symbolum componeretur.

Sic profligata haeresis Macedonii paulatim extingui coepit, eo vel magis cum ex Sacra Scriptura nimis evidens esset Spiritum Sanctum a Patre procedere, uniusque cum eo esse naturae; legitur enim[2]: *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

4. — **Theodoretus et Damascenus**[3]. — At vero exitiosior et longe luctuosior circa Spiritus Sancti divinitatem eorum error exstitit, qui eum a Filio procedere denegarunt. Huius erroris originem sic repetit S. Thomas[4]: *Spiritum Sanctum non procedere a Filio primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum damnato in Ephesina synodo. Et hunc errorem secutus fuit Theodoretus nestorianus et plures post ipsum.* Revera Theodoretus, in confutatione anathematismi IX S. Cyrilli, hunc reprehendebat quod dixisset Spiritum Sanctum proprium esse Filii Spiritum, ut inde probaret Christum per Spiritum Sanctum, tanquam per virtutem propriam, non alienam, miracula patrasse. Qui tamen sententiam retractasse fertur; unde et in Concilio Chalcedonensi catholicus appellatus est.

Affert quoque Angelicus[5], tanquam huic dogmati contra-

[1] Hoc communiter apud historicos. At clarissimus Professor Aloysius Vincenzi, in dissertatione quam inscripsit: *De Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque* (Romae, 1878), contendit falso dici quod Concilium Constantinopolitanum I ampliaverit symbolum nicaenum, et multo minus quod addiderit particulam: *Qui a Patre procedit*, sed hoc Graecorum astutia et fraude serius factum fuisse, eo scilicet tempore quo processionis Spiritus Sancti a Filio osores effecti, contendebant a solo Patre Spiritum Sanctum procedere, iuxta symboli professionem. — [2] Io., XV, 26. — [3] Pro ampliori evolutione huius synopticae expositionis circa haeresim negantem processionem Spiritus Sancti a Filio, et Graecorum calumnias contra particulam *Filioque*, symbolo Nicaeno additam, vide opusculum quod scripsimus *De Spiritus Sancti a Filio processione*, Romae, 1898. — [4] Ad 3m. — [5] Ad 3m.

riam hanc S. Ioannis Damasceni sententiam : *Spiritum Sanctum et ex Patre esse, et Patris Spiritum nominamus: at vero eum ex Filio esse non dicimus; Filii tamen Spiritum vocitamus.* Attamen caveat theologus oportet, ne praefracte aliquem ex sanctis Patribus haereseos accuset, propterea quod quaedam minus accurate forsan dixisse videatur; cum potius catholici hominis officium erga fidei nostrae parentes sit, ut si qua pateat via, benigne id quod minus recte dixerint, orthodoxo sensu exponat. Quod eo vel magis praestandum erit, quia, ut ait Angelicus [2], *errores circa fidem exorti occasionem dederunt sanctis Ecclesiae Doctoribus, ut ea quae sunt fidei, maiore circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos...: ideo non est mirum, si moderni fidei doctores, post varios errores exortos, cautius et quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei, ad omnem haeresim evitandam.* Porro, de S. Ioanne Damasceno dici potest quod *sicut non confitebatur Spiritum Sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum* [3]; sed factum mere exponit, scilicet non esse penes Graecos morem ut Spiritus Sanctus ex Filio dicatur, prouti constat citatum librum perlegenti [4].

5. — Origo particulae FILIOQUE. — Verumtamen ex historia colligitur, a Nestorianis nefandum dogma longe lateque serpere coepisse, quo primum subdole, mox autem aperte impugnabatur, imo praefracte negabatur Spiritus Sancti a Filio processio. Quapropter, inter Occidentales, Hispani primum, postea Galli, deinde Germani et Angli novitatem aversati, ut publicum fidei suae testimonium opponerent, in symbolo nicaeno-constantinopolitano sensim addere coeperunt particulam *Filioque*, articulum de Spiritu Sancto sic complentes: *Qui ex Patre, Filioque procedit*: mosque invaluit ut solemniter in ecclesiis a fidelibus caneretur. Huius additamenti testes sunt Concilium Gallaeciae (447), necnon Toletanum tertium (589), quartum (633), octavum (653), et undecimum (675); in cuius fidei professione legitur: *Spiritum quoque Sanctum... unum atque aequalem cum Deo Patre et*

[1] L. I, ORTH. FID., c. 8. — [2] OPUSC. CONTRA ERROFES GRAEC. PROOEM. — [3] Ad 3^m. — [4] Cf. cit., opusc., pp. 17. seq.

Filio credimus esse Deum... ab utrisque procedentem, amborum esse Spiritum. Idem dogma in Conciliis XII, XIII, XV, XVII, in eadem Toleti urbe celebratis, iterum proclamatum fuit.

Attamen, impugnatio dogmatis processionis Spiritus Sancti a Filio in dies longe lateque augebatur, quin tamen romana adhuc Ecclesia particulam *Filioque* in suo symbolo inseruisset. Anno 809, mense novembri, Carolus Magnus, habito antea in Aquisgranensi palatio concilio, Romam legatos misit, Leonem III hac de re consulendi gratia. Quos inter eminebat Smaragdus, monasterii S. Michaëlis [1] in diocesi Virodunensi, in Galliis, abbas, qui librum quem conscripserat de Spiritus Sancti a Filio processione, Summi Pontificis iudicio subiecit, cuius auctoritate liber sancitus est: *Lectis enim a praedictis missis per ordinem testimoniis de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, atque a Domino Apostolico diligentissime auditis, ait: ita sentio, ita teneo, cum his auctoribus et Sacrae Scripturae auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo: et nisi conversus fuerit et secundum hunc sensum tenere voluerit, contra sentientem fundibus abiicio* [2]. Attamen symboli additionem formaliter approbare Pontifex renuit, eo quod et in Ecclesiae romanae symbolo deerat, et plurium Conciliorum, praesertim Chalcedonensis et Constantinopolitani secundi decretis, ne aliud symbolum conderetur, diligentissime cautum fuerat. Qui tamen morem illum, cum iam penes plures Occidentis ecclesias obtineret, penitus abrogare noluit; suasit tamen ut primo in ipso aquisgranensi palatio, postea vero paulatim in ceteris ecclesiis auferretur; ipse vero symbolum latinis graecisque litteris in duobus argenteis scutis absque additamento *Filioque* cudi iussit, et ad S. Petri Confessionem appendi. Forsan praevidebat Pontifex mox fore ut Graeci inde occasionem arriperent Ecclesiae romanae calumniandi.

Quod quidem mox evenit. Cum enim impius ille vir, et astu et feritate insignis, Photius, pulso e sede Constantinopolitana S. Ignatio, in huius locum suffectus esset (858), et S. Nicolai I, cuius antea legatos subornarat, anathemate per-

[1] Saint-Mihiel. — [2] Haec habet Sirmondus, t. II. Concil. Galliae ex Smaragdo abbate.

culsus esset, ipse Summum Pontificem vicissim anathematizavit, schismaque ab Ecclesia romana perfecit, hoc, inter alia, suae rationis adducens argumentum, quod Latini Spiritus Sancti a Filio processionem in symbolo profiterentur (866).

6. — Concilia. — Quae cum ita res haberentur, frequens Romae Concilium coactum est, in quo sancitum est ut symbolum cum praedicta particula cani posset; licet nonnisi anno 1014 praefatum symbolum in ipsa Urbe Roma cani coeperit.

Quam legitime haec additio *Filioque* symbolo nicaeno-constantinopolitano facta fuerit, ita exponit S. Doctor[1]: *In quolibet concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in concilio damnabatur. Unde sequens concilium non faciebat aliud symbolum quam primum, sed id quod implicite continebatur in primo symbolo, per aliqua addita explanabatur contra haereses insurgentes. Unde in determinatione chalcedonensis synodi dicitur, quod illi qui fuerunt congregati in concilio constantinopolitano, doctrinam de Spiritu Sancto tradiderunt, non quod minus esset in praecedentibus, qui apud Nicaeam congregati sunt, inferentes, sed intellectum eorum adversus haereticos declarantes. Quia igitur in tempore antiquorum conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum Sanctum non procedere a Filio, non fuit necessarium quod hoc explicite poneretur; sed postea, insurgente errore quorumdam, in quodam concilio in occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cuius auctoritate etiam antiqua concilia congregabantur et confirmabantur. Continebatur tamen implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus Sanctus a Patre procedere.*

Profundius tamen schisma evasit saeculo undecimo, sub Michaële Caerulario Patriarcha Constantinopolitano: quo tempore Summus Pontifex Urbanus II Concilium in urbe Barensi (1097) coëgit, simulque S. Anselmum, archiepiscopum cantuariensem, adesse iussit, quem etiam tanto honore prosecutus est, ut omnium magistrum in concilio appellaret, quique de Graecorum obiectionibus victoria reportata, librum conscripsit de Spiritus Sancti processione.

[1] Ad 2^m.

Eadem res in concilio Lateranensi IV (1215) agitata est et definita, paxque inter Graecos Latinosque fuit inita: sed infelici successu brevi disrupta est ita ut res iterum fuerit agitata sub B. Gregorio X in Concilio Lugdunensi II (1274), ad quod S. Thomas a Pontifice advocatus fuerat, iussus ut secum ferret opusculum quod contra errores Graecorum conscripserat; sed in itinere defunctus est in monasterio Fossae Novae. Hoc in concilio pax rursus firmata est inter utramque ecclesiam, Graecique una cum Latinis symbolum cum particula *Filioque* inter missarum solemnia decantaverunt.

7. - **Concilii Florentini definitio.** At vero, pace iterum disrupta, sub Eugenio IV Concilium generale eadem de causa coactum est primum in urbe Ferraria, postea in urbe Florentina, ubi per decem sessiones acriter hinc inde disceptatum est, Graecorum partes agentibus praesertim Marco Ephesino et Bessarione Nicaeae episcopo, quem postea Cardinalem Eugenius creavit, Latinorum vero Ioanne de Monte Nigro ordinis S. Dominici, qui S. Thomae fretus argumentis, adversariorum arma victor superavit. Tandem, die 6 iulii 1439, Graeci omnes, praeter unum Marcum Ephesinum, una cum Latinis, decretum istud subscripsere, quod in Bulla Eugenii IV *Laetentur caeli* continetur.

In nomine igitur Sanctae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, hoc sacro approbante universali Florentino Concilio diffinimus, ut haec fidei veritas ob omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione, procedit. Declarantes quod id quod Sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti sicut et Patrem, et quoniam omnia quae Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.

8. — **Graecorum defectio.** — Attamen, nec ista vice Graeci promissis steterunt: vix enim in patriam regressi, urgente praesertim Marco Ephesino, ridemmet qui decreto subscripserant, paucis admodum exceptis, Latinis anathema dixerunt; sicque profundior haeresis, latiusque schisma evasit; unde gravem illam et omnium luctuosissimam urbis Constantinopolitanae cladem, Graecorumque imperii eversionem, ipsomet Pentecostes die, anno 1453 perfectam, iusto evenisse ulciscentis Dei iudicio, unanimiter agnoscunt historici: quinimmo, qui in errore pertinaciter sustinendo Iudaeos fuerant imitati, poenae non dissimilis participes extiterunt. Iudaei quidem, praesertim inter ipsos sacerdotum principes et scribae, non obstantibus apertissimis miraculis, Christum supra se regnare noluerunt [1]; Graeci autem, saltem inter eos doctiores, qui Florentinae synodo interfuerant, quanquam invictissimis testimoniis catholicam veritatem circa Spiritus Sancti a Filio processionem cognoverunt, mox tamen eam una cum infallibili Ecclesiae magisterio, quod modo professi erant, ad vomitum regressi, reiecerunt. Illi, loco Christi Dei Filii, petierunt homicidam donari sibi; isti, loco Summi Pontificis, Christi in terris Vicarii, Sultanum se praeferre professi sunt [2]; illi Filium Dei occiderunt suspendentes in ligno, deicidiique sui stipendium sumpserunt, cum post triginta duos annos [3], urbis suae obsidium, totalemque direptionem passi sunt, incolis in omnes terrae plagas dispersis; isti vero vix quatuordecim annos postquam datam fidem in Spiritum Sanctum foede abiecerant, civitate a Turcis obsessa et capta, ipsoque S. Sophiae templo in quo gloriabantur, facto abominationum et orgiorum loco, aut crudele iugum subire, aut longe a patria exsulare coacti sunt; tanti criminis est *contristare Spiritum Sanctum Dei* [4].

Quocirca, unicuique catholico ardenti affectu supplicandum est et, quantum in se est, adlaborandum, ut ad Spiritus Sancti a Filio processionem agnoscendam, errantium animi

[1] Luc., XIX, 14. — [2] Classis praefectus palam profitebatur se malle videre Constantinopoli Sultani cidarem (*turbante*), quam Isidori Cardinalis galerum rubrum, ipse autem in urbis obsidione capite truncatus est. — [3] Id est, A. D. 70. — [4] Eph., IV, 30.

reducantur, eorumque corda illius amore inflammescant, *qui est pignus hereditatis nostrae* [1].

Hisce ita praeiactis, accessuri ad ipsius dogmatis probationem, primo loco ponimus

9. PROP. — **Spiritus Sanctus procedit ex Patre et Filio.**

10. — **Definitiones Ecclesiae.** - Ut nihil de provincialibus conciliis dicamus, tantummodo recensebimus, pro *Oriente*, quinque sequentia Concilia generalia, scilicet: α) III^um, seu ephesinum [2]; β) IV^um, seu chalcedonense [3]; γ) V^um, seu constantinopolitanum II^um [4]; δ) VI^um, seu constantinopolitanum III^um [5]; ε) VIII^um, seu constantinopolitanum IV^um [6]; in quibus Conciliis lecta fuit et approbata S. Cyrilli ad Nestorium epistola, in qua diserte asseritur processio Spiritus Sancti a Filio, ut mox dicemus [7].

Praeter ista in Oriente Concilia, adsunt quoque in *Occidente* tria generalia Concilia, videlicet: α) Lateranense IV^um, sub Innocentio III [8]; β) Lugdunense II^um, sub B. Gregorio X [9]; γ) Florentinum, sub Eugenio IV [10]; in quibus Conciliis pariter praefata epistola S. Cyrilli ad Nestorium lecta et approbata fuit. Horum omnium Conciliorum definitiones synthetice complectitur Symboli Athanasiani regula in universa Ecclesia recepta: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in fidei professione ab Urbano VIII et Benedicto XIV Orientalibus praescripta, legitur: *Profiteor... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; item dictionem illam* FILIOQUE *veritatis declarandae gratia et imminente necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*

11. — **Probationes ex S. Scriptura.** — Ille qui in divinis Scripturis dicitur: I. *Spiritus Filii*, II. *a Filio missus*, III. *accipiens a Filio*, et IV. *per quem Filius operatur*, procedit a

[1] Epii. I, 14. — [2] Act. 1. — [3] Act. 5. — [4] Collat. 6 et 8. — [5] Act. 18. — [6] Sess. ult. — [7] N. 11, huius art., § VI, p. 281. — [8] A. D. 1215. — [9] A. D. 1274. — [10] A. D. 1439.

Filio. Atqui in Sacra Scriptura Spiritus Sanctus dicitur I. *Spiritus Filii*, II. *a Filio missus*, III. *accipiens a Filio*, et IV. *per ipsum Filius operatur*. Ergo, secundum Sacram Scripturam, Spiritus Sanctus procedit a Filio.

12. — **I. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii.** — In S. Scriptura Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Filii*. Sic [1]: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ.

Dices: Christus hic sumitur ut homo, unde per hoc: *Spiritus Christi*, debet intelligi spiritus hominis, sicut quando dicitur [2]: *Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane*.

Respondetur, locum istum non compati hanc interpretationem. Nam, ut appareat hic esse sermonem de Spiritu Christi, ut Deus est, immediate antea dictum fuerat [3]: *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν.

Confirmatur. α) Legimus [4]: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, κρᾶζον· Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Atqui hoc in loco non potest sumi Filius ut homo est, sic ut sensus esset: misit Deus spiritum hominis Christi, quia Spiritui, ut in recitato textu sumitur, attribuitur opus filiationis nostrae adoptivae. Atqui adoptio non fit per assimilationem ad humanitatem Christi, sed ad eius filiationem aeternam, prout dicitur et est vere Filius Dei: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* [5]. Ergo Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii Dei naturalis. Igitur, dicitur secundum habitudinem distinctionis, et cum sola distinctio in divinis habeatur secundum aliquam originem, sequitur quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, sicut Filius procedit a Patre [6].

β) Eodem modo dicitur Spiritus Sanctus Spiritus Filii, quo dicitur Spiritus Patris nostri seu Dei, verbi gratia, in isto loco [7]: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Atqui, fatentibus Graecis,

[1] Rom., VIII. 9. — [2] Luc., III. 1. — [3] Eod. vers. — [4] Gal., IV. 6 — [5] Rom., VIII. 29. — [6] Cf. Act., XVI. 7; Phil., I. 19; I. Petr., I. 11. — [7] Matth., X. 20.

Spiritus Sanctus ideo est Spiritus Dei, quia Deus cum sit, a Deo procedit. Ergo dicitur Spiritus Filii, quia ab eo procedit. *Cur ergo non credamus*, ait S. Augustinus [1], *quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?*

γ) Spiritus Filii est illemet Spiritus, quem Iesus discipulis suis insufflando dedit. Atqui insufflando Iesus dedit non Spiritum hominis, sed Spiritum Dei, per quem videlicet peccata remitti possent, iuxta illud [2]: *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, ἐνεφύσησεν καὶ λέγει αὐτοῖς· Λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Atqui dare Spiritum Sanctum eius tantummodo est, ex quo Spiritus Sanctus existit. *At vero Dominus*, ait Anastasius Sinaïta [3], *ostendens ex semetipso Spiritum existere, insufflans discipulis dixit Accipite Spiritum Sanctum*, καὶ μὴν ὁ κύριος δεικνὺς αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχειν, ἐμφυσῶν τοῖς μαθηταῖς ἔλεγε· λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

13. — II. Spiritus Sanctus dicitur a Filio missus. — Spiritus Sanctus in Scripturis dicitur *a Filio missus*. Sic [4]: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit*, ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, quibus verbis Spiritus Sanctus a Filio missus perhibetur. Atqui mittens auctoritatem habeat in missum necesse est, auctoritatem autem non dominii vel maioritatis, sed secundum originem. Ergo Spiritus Sanctus est a Filio secundum originem aut processionem.

Dices: Atqui etiam Filius perhibetur missus a Spiritu Sancto, quin tamen ab ipso procedere ponatur, verbi gratia [5]: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.*

- *Resp.* Nego paritatem. Filius enim dicitur missus a Spiritu Sancto ratione humanae naturae, quam assumpsit; in Spiritu Sancto autem non est natura humana assumpta, vi cuius possit ipsemet dici a Filio missus, et sic ita missus, quin ab ipso procedat. Relinquitur ergo quod Filius in Spiritum Sanctum auctoritatem mittentis habeat, in quantum Spiritus Sanctus ab eo procedit. *Spiritus Sancti missio*, ait S. Gregorius Magnus [6], *ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio.*

[1] Tract., XIX, in Io. — [2] Io., XX, 22. — [3] L. I, de rectis Dogm. — [4] Io., XV, 26. — [5] Luc., IV, 18. — [6] Hom., XXVI, in Evangel.

14. — III. **Spiritus Sanctus dicitur accipere a Filio.** — Spiritus Sanctus Sacra Scriptura dicitur *accipere a Filio.* Revera Filius de Spiritu Sancto dicit [1]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis,* ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

DICES: Ex hisce verbis non resultat nisi quod Filius accipiat id quod est Filii, id est, essentiam divinam, non autem quod illam accipiat a Filio. — *Resp.* Hoc non potest esse; subdit enim Christus [2]: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis,* πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατήρ ἐμά ἐστιν· διὰ τοῦτο εἶπον, κ. τ. λ., ex quibus apparet quod si omnia quae Patris sunt, sunt et Filii, oportet quod et Filii sit auctoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus Sancti. Sicut igitur de eo quod est Patris, Spiritus Sanctus accipit a Patre, ita de eo quod est Filii, Spiritus Sanctus accipit a Filio, quod est per processionem ab ipso. *Quoniam consubstantialis est Filio Spiritus et procedit ab eo,* ait S. Cyrillus [3]..., *propterea, inquit,* DE MEO ACCIPIET [4].

15. — IV. **Per Spiritum Sanctum dicitur Filius operari.** — Filius dicitur *operari per Spiritum Sanctum.* Revera, Filius dicitur baptizare in Spiritu Sancto. Sic legitur [5]: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto,* ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Rursus [6]: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti,* οὐ γὰρ τολμήσω τι λαλεῖν ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου. Et iterum [7]: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum,* ἡμῖν ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. Ubi sermo est de Deo Verbo, a quo apocalypsis nobis magna facta est. Atqui Filius non potest dici operari per Spiritum Sanctum, nisi procedat ab ipso. Ergo reapse ab ipso procedit.

[1] Io., XVI, 14. — [2] Vers. 15. — [3] COMMENT., XI, IN Io. — [4] Cf. C. GENT., l. IV, c. 24. — [5] Io., I, 33. — [6] ROM., XV, 18, 19. — [7] I. COR., II, 10.

Revera, cum dicitur Filius operans per Spiritum Sanctum, oportet quod causalis praepositio, *per*, se teneat aut ex parte principii operantis, aut ex parte operati. Atqui non ex parte principii operantis, quia secus sequeretur quod Spiritus Sanctus esset causa Filio ut operetur, sicut cum dicitur quod minister operatur per regem, rex est causa ministro ut operetur, quod in divinis esse nequit, quia Spiritus Sanctus non est Filio causa ut operetur. Ergo se tenet ex parte operati, ut sensus sit quod Spiritus Sanctus sit causa actionum Christi, secundum quod terminantur ad operatum, sicut cum dicitur quod rex operatur per ministrum. Ergo requiritur quod virtus Spiritus Sancti recipiatur a Filio, quod non est, nisi procedat ab ipso. *Filius Dei*, ait S. Athanasius [1], *illuminando nos praeveniens et iustificando in fide corroborans, et Scripturas reserando donis suae sapientiae nos replens, non in alieno et non suo Spiritu dona concedit, remittens peccata et charismatibus nos imbuens, sed potius in suo proprio Spiritu Sancto.* Pariter, S. Cyrillus dicit [2]: *Filius proprium habet in se essentialiter Spiritum Sanctum et ex se naturaliter missum, in quo operatur divina miracula tanquam in propria et vera sua virtute*

16. — Scholion. — Ex quibus omnibus apparet, quid respondendum sit Graecis, dum contendentes in Sacra Scriptura non poni quod Spiritus Sanctus a Filio procedat, urgent contra nos verba libri *de Divinis Nominibus* [3]: *Non est audendum dicere aliquid de substantiali divinitate, praeter ea quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa.* Equidem aliquid nos de Deo dicere non debemus, quod in Sacra Scriptura non inveniatur, aut per verba, aut per sensum: at, licet per verba non inveniatur quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, abundantissime tamen invenitur quantum ad sensum [4]

17. — Probationes ex Traditione. — Quoniam in determinatione quinti Concilii, ut ait S. Thomas [5], legitur: *Sequitur per omnia sanctos Patres et doctores Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, Gregorium*

[1] In Ep. ad Serap. — [2] Serm. Dogm. Dei. — [3] C. 1. — [4] Ad 1[m] - L. IV, C. G., c. 24.

Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Probum; et suscipimus omnia quae de recta fide et damnatione haereticorum exposuerunt, hinc ex horum Patrum quos Graeci fidei suae magistros sequi se fatentur, et quorum doctrinae se consentaneos inveniri cupiunt, copiosissima traditione, sequentia seligemus, quibus unanimis utriusque Ecclesiae fides in Spiritus Sancti a Filio processionem manifeste evincitur.

Porro, primo loco graecos Patres adducemus; quod enim Latini omnes hoc dogma confiteantur, ultro agnoscunt Graeci. Ad quorum tamen scriptorum rectam intelligentiam praenotandum est, Graecos non omnino negare Spiritum Sanctum ullum ad Filium habere respectum, quippe qui ultro concedunt Spiritum Sanctum esse *Spiritum Filii*, aut *esse a Patre per Filium* aut *effluere, scaturire, emanare, spirari a Filio;* cum tamen admittere nolint illummet procedere a Filio: ne, quemadmodum ipsi arbitrantur, cogantur duo distincta in divinis admittere principia: haud valentes concipere quomodo Filius possit esse principium, cum procedat a Patre. Quanquam, cum admittant a Filio Spiritum Sanctum effluere aut emanare, haud certe apparet quare contra eiusdemmet a Filio processionem contendant. Quod sane S. Thomas ignorantiae aut proterviae adscribit: *Quia si quis recte consideret, inveniet processionis verbum, inter omnia quae ad originem qualemcumque pertinent, communissimum esse. Utimur enim eo ad designandam qualemcumque originem, sicut quod linea procedit a puncto, radius a sole, rivus a fonte, et similiter in quibuscumque aliis. Unde ex quocumque alio ad originem pertinente potest concludi quod Spiritus Sanctus procedit a Filio.*

18. — Patres graeci. — I. *S. Athanasius* († 373) in tractatu ad Serapionem misso [1], in quo theologiae christianae momenta circa Spiritum Sanctum miro ordine digessit, scribit: *Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperiemus; et quemadmodum Filius dicit:* OMNIA QUAECUMQUE HABET PATER, MEA SUNT, *ita haec omnia per Filium in Spiritu Sancto esse deprehendemus.*

II. Magni quoque facienda est *S. Basilii* auctoritas († 379) contra Eunomium scribentis [1], ut contra illum ostenderet non a solo Filio, ut ipse contendebat, Spiritum Sanctum procedere, verum etiam a Patre, eo quod α) Filii operatio a Patris operatione indivisa est, et β) dixit Christus: *Omnia mea tua sunt et tua mea sunt*, et γ) Apostolus utriusque indistincte, Patris scilicet et Filii, Spiritum Sanctum esse dicit: ubi etiam Basilius dubitationem solvit eorum quibus videretur Patrem et Filium duo esse Spiritus Sancti principia, non vero unum tantum. Qui pariter [2] Spiritum Sanctum probat tertium esse in Sanctissima Trinitate, et a Filio secundum, utpote *qui ab illo esse habeat*. Ita enim in antiquissimo codice, cuius genuinitatem vindicavit in Concilio Florentino Ioannes Theologus, legebatur: *Quid enim necesse est, si dignitate et ordine tertius est Spiritus, tertium ipsum esse naturâ? Nam dignitate secundum esse a Filio ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat, pietatis sermo tradit, verum tertiam usurpare naturam, neque ab Sacris Litteris edocti sumus, neque ex supradictis potest colligi.* Τίς γὰρ ἀνάγκη εἰ τῷ ἀξιώματι καὶ τῇ τάξει τρίτον ὑπάρχει τὸ πνεῦμα, τρίτον εἶναι αὐτὸ καὶ τῇ φύσει: ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον· παραδίδωσιν ἴσως ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος· φύσει δὲ τῇ τρίτῃ χρῆσθαι οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεδιδάγμεθα, οὔτε ἐκ τῶν προειρημένων κατὰ τὸ ἀκόλουθον δυνατὸν συλλογίσασθαι [3].

III. Accedit *S. Gregorii Nysseni* († 400) auctoritas, qui ait [4]: *Ut Patri coniunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non tamen posterius exstitit: sic etiam Spiritus Sanctus proxime haeret Filio, qui sola cogitatione, secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus..., adeo ut, detracta principii ratione, nulla re Sancta Trinitas a seipsa dissideat.* Τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστά-

[1] L. II, DE SP. S. — [2] L. V, CONTRA EUNOM. — [3] Circa hanc periocham et eius in Florentino concilio historiam, vide Petavium, DE TRINITATE, l. VII, c. 3, n. XV. — [4] L. I, CONTRA EUNOMIUM.

σεως..... ὥστε τοῦ λόγου τῆς αἰτίας ὑπεξηρημένου, ἐν μηδενὶ τὴν ἁγίαν τριάδα πρὸς ἑαυτὴν ἀσυμφώνως ἔχειν.

IV. *S. Epiphanius* († 403): *A Patre Filioque*, ait [1], *non alienus* (Spiritus), *sed ex eadem substantia, eademque divinitate ex Patre et Filio.* Et [2]: *Spiritus Sanctus*, inquit, *ex ambobus oritur. Spiritus e Spiritu: Deus enim est Spiritus.* Et [3]: *Spiritus Dei et Spiritus Patris et Spiritus Filii, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima et corpus, sed inter Patrem Filiumque medius, ex Patre et Filio appellatione tertius.* Πνεῦμα γὰρ Θεοῦ, καὶ πνεῦμα τοῦ πατρὸς, καὶ πνεῦμα υἱοῦ· οὐ κατά τινα σύνθεσιν, καθάπερ ἐν ἡμῖν ψυχὴ καὶ σῶμα, ἀλλ' ἐν μέσῳ πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ, τρίτον τῇ ὑποστάσει.

V. *S. Ioannes Chrysostomus* († 407) ait [4]: *Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult.* Et [5]: *Et in Spiritum Sanctum credimus, qui procedens de Patre et Filio, caritate coniungitur.*

VI. *S Cyrillus Alexandrinus* († 444) in Epistola contra Nestorium [6] quae, ut diximus, lecta fuit et approbata in Conciliis oecumenicis Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitanis II, III et IV, et postea in Conciliis Lateranensi IV, Lugdunensi II et Florentino, ita scribit: *Et si Spiritus in propria persona subsistat, eatenusque in seipso consideretur, quatenus est et non Filius, non est tamen a Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur. Christus autem est veritas, et perinde quoque ab illo, sicut a Deo Patre procedit.* Et in Thesauro [7]: *Cum ergo Spiritus Sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre et Filio, perspicuum est divinae ipsum esse substantiae, substantialiter in ipsa et ex ipsa procedentem, quemadmodum utique flatus ille qui ex ore hominis exierit.. Necesse est fateri Spiritum e substantia esse Filii.* Ὅτε τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γενόμενον συμμόρφως ἡμᾶς ἀπεργάζεται Θεοῦ, πρόεισι δὲ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας ἐστὶν οὐσίας, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ καὶ ἐξ αὐτῆς προϊὸν, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ τὸ ἐξ ἀνθρωπείου στόματος ἐπιέχον ἐμφύσημα.... ἀνάγκη τὸ πνεῦμα τῆς οὐσίας ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ.

[1] Haer., LXII. — [2] Haeres., LXXIV. — [3] In Ancor., n. 8. — [4] Hom. I. in Symbol. Apost. — [5] Hom. II. — [6] N. X. — [7] 34.

VII. Ultimo non pigebit auctoritatem producere S. Ioannis Damasceni († circa annum 754), cuius dubia verba superius retulimus, qui ait : *Similiter credimus et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit et in Filio quievit... qui est Paracletus, cum omnium suscipit obtestationes; qui per omnia similis est Patri et Filio: qui ex Patre procedit, et per Filium datur et participatur ab omni creatura; qui per seipsum creat et omnibus substantiam dat et omnia sanctificat et continet: subsistens, id est, in propria hypostasi existens, indivisibilis, et a Patre Filioque inseparabilis. Omnia quoque habet quae habet Pater et Filius, praeter innascibilitatem et generationem.* Ὁμοίως πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον τὸ κύριον καὶ ζωοποιόν· τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐν τῷ υἱῷ ἀναπαυόμενον... παράκλητον. ὡς τὰς τῶν ὅλων παρακλήσεις δεχόμενον· κατὰ πάντα ὅμοιον τῷ πατρὶ καὶ υἱῷ· ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ διὰ υἱοῦ μεταδιδόμενον, καὶ μεταλαμβανόμενον ὑπὸ πάσης κτίσεως, καὶ δι' ἑαυτοῦ κτίζον, καὶ οὐσιοῦν τὰ σύμπαντα καὶ ἁγιάζον καὶ συνέχον· ἐνυπόστατον, ἤτοι ἐν ἰδίᾳ ὑποστάσει ὑπάρχον, ἀχώριστον, καὶ ἀνεκφοίτητον πατρὸς καὶ υἱοῦ· καὶ πάντα ἔχον ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱός, πλὴν τῆς ἀγεννησίας καὶ τῆς γεννήσεως.

19. — **Confirmatur** ex illis omnibus locis, in quibus a Patribus graecis Spiritus Sanctus vocatur ῥῆμα, *verbum*, εἰκών, *imago*, ἐνέργεια, *energia* seu *operatio*, ἀτμός, *vapor*, ὀδμή, *odor*, πνεῦσις, *flatus*, ἐκπνοή, *halitus*, χαρακτήρ, *character*, σφραγίς, *sigillum* Filii, quem illius πηγήν, *fontem*, ἀρχήν, *principium*, αἴτιον seu αἰτίαν, *auctorem*, vicissim appellant, et a quo illum ἀναβλύζειν, *scaturire*, προχεῖσθαι, *profundi*, προΐέναι, *promanare*, πηγάζεσθαι, *derivari*, imo ἐξηρτῆσθαι, *pendere*, per ἔκφανσιν id est *effulsionem* seu *divulgationem*, fatentur [2]. Pulcre Anastasius Antiochenus ait [3]: *Spiritus oris ipsius Dei Spiritus Sanctus dicitur, cum sit os Unigenitus; et rursus Spiritus ex ipso procedens, et qui mittitur, non solum a Patre, sed etiam a Filio* [4].

[1] L. I, Fid. Orthod., c. 8. — [2] Cf. S. Hilar., de Trin., l. VIII, § 20; l. XII, § 56; S. Epiphan., l. de Ancor. et de Haer.; S. Basil., l. V, Contra Eunom.; S. Nyss., Ep. ad Abl.; S. Athan., ad Serap., etc. — [3] L. I, de rectis Dogm. — [4] Cf. Petavium, de Trin., l. VII, c. 3, sqq.

20. Patres Latini. — Nunc praestat illos audire inter Patres latinos, quorum auctoritatem Synodus oecumenica V approbat; nam longior res est quam ut possint omnes, qui hac de re locuti sunt, adduci.

I. *S. Hilarius* († 367) de Spiritu Sancto disserens, ait [1]: *Loqui de eo non necesse est, quia de Patre et Filio auctoribus confitendus est.* Et Calecas locum ex eodem libro recitat, ubi Hilarius dicit: *Spiritum Sanctum a Patre et Filio ex aequo procedere.*

II. *S. Ambrosius* († 397) ait [2]: *Spiritus autem Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio: sed non est ipse Filius, quia non generatur, neque Pater, qui e procedit ab utroque; non genitus, non ingenitus, non factus.* Et : *Spiritus vero Sanctus qui ab utroque procedit, nec ipse coepit*, etc.

III. *S. Augustinus* († 430) scribit [4]: *Nec possumus dicere quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur.* Et paulo post: *Qui ergo a Patre procedit et Filio, ad eum refertur, a quo natus est Filius.* Et quaerens utrum Spiritus Sanctus a Filio procedat sicut a Patre, ait [5]: *Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem se repraesentans discipulis suis, insufflans diceret:* Accipite Spiritum Sanctum. *Quid enim aliud significat illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso?*

III. *S. Leo Magnus* († 461), cuius scripta quarta Synodus oecumenica *fidei orthodoxae columnam*, στήλην ὀρθοδοξίας, vocat, et quem sequentes quoque synodi laudibus extollunt, dicit [6], *alium* (esse) *qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroque processit.* Rursus verba illa S. Ioannis [7]: *Adhuc multa habeo vobis dicere*, commentans, ait [8]: *Numquid, sese Dominus inferioris scientiae videbat intelligi, aut minus aliquid quam Spiritum Sanctum, a Patre didicisse, cum ipse sit veritas, et nihil Pater dicere, nihil docere possit sine Verbo,*

[1] L. II, de Trin. — [2] L. de Symbolo, cap. 3. — [3] Cap. 4. — [4] L. IV, de Trin., c. 20. — [5] Tract. in Io., XCIX. — [6] Epist., XCIII. — [7] XVI, 12. — [8] Serm. II, de Pentec.

ideoque dictum sit: DE MEO ACCIPIET; *quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius.*

V. Ultimo praetermittendus non est *S. Gregorius Magnus* († 604), quem Graeci *Dialogum* nominant et magno honore prosequuntur. Hic igitur ita scribit [1]: *Quamvis mitti etiam iuxta naturam divinitatis possit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. Nam Sanctum quoque Spiritum, qui cum sit coaequalis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet, dicens:* CUM VENERIT PARACLYTUS QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE. *Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi. Sanctus proculdubio Spiritus nullimode diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est. Sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita et Filius non incongrue mitti dicitur quia generatur* [2].

21. — Theologicae rationes ex parte Filii. — Necessitas agnoscendi theologice processionem Spiritus Sancti a Filio potest ex duplici capite considerari: nempe ex parte Filii, et ex parte Spiritus Sancti. Sed quia quaestio praesens est exclusive de Spiritu Sancto, ideo primum caput probationis a S. Thoma hic merito omittitur, et solum secundum caput expenditur. Ne quid tamen desit plenitudini huius tractatus, et ut uno obtutu exhibeantur omnia quae ad hoc dogma probandum adduci possunt, primo loco ea tradentur argumenta quibus evincitur necessitas ut Filius Spiritum Sanctum spiret aeque ac Pater.

α) In divinis, iuxta celebrem S. Anselmi sententiam, omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui inter Patrem et Filium, in spiratione Spiritus Sancti, non obviat relationis oppositio, nam omnia quae habet Pater, seclusa formali ratione qua Pater ad Filium refertur, Filius similiter habet; unde dicit Christus [3]: *Mea omnia tua sunt, et*

[1] HOM. XXVI, IN EVANGEL. — [2] Cf. Petavium, DE TRIN., l. VII, c. 8, apud quem ampliora testimonia reperies. Vide quoque pulcherrimam orationem a Chrysolano, Archiep. Mediolan. AD ALEXIUM COMNENUM. IMPER., apud Baronium, t. XII, a. 1116, n. VII. — [3] Io., XVII, 10.

tua mea sunt, τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστιν καὶ τὰ σὰ ἐμά. Ergo Filius habet, non secus ac Pater, quod spiret Spiritum Sanctum.

β) In divinis, ad intra, non distinguitur esse et posse, seu a posse arguitur ad esse. Et quaerenti rationem, haec redditur, quia Deus est ipsum esse subsistens, et in ipso non habetur compositio potentiae et actus. Igitur si possit ostendi posse Filium producere Spiritum Sanctum, aut non repugnare ut Spiritus Sanctus, a Filio procedat, iam ostensum erit quod revera a Filio procedat Spiritus Sanctus. Atqui Filio non repugnat ut Deus est, quia secus repugnare deberet et Patri: nec ut Filius est, quia ut Filius, est a principio; atqui non repugnat ei qui est a principio, ut sub altero respectu sit et ipsum principium alterius, quemadmodum non repugnat ut aliquis homo simul sit patris sui filius et filiorum pater [1].

γ) Nisi Filius spiret Spiritum Sanctum, ipse non erit vere Patris Filius. Atqui est vere Patris Filius. Ergo spirat Spiritum Sanctum. — *Maior ostenditur.* Filius habet intellectum ac voluntatem Patris. Intellectum quidem quo intelligit, sed non dicit, eo quia fecunditas divini intellectus sub hac ratione exhauritur a Patre cum dicit Verbum, ita communicans Filio divinam essentiam; voluntatem autem Patris habet Filius, qua vult et amat. Sed fecunditas divinae voluntatis non exhauritur nisi in processione Spiritus Sancti, et sic est in Filio eadem identica voluntas, eodem modo formaliter se habens ad suum terminum ac in Patre est. Ergo et ab ipso procedit Spiritus Sanctus, non secus ac a Patre [2].

22. - Rationes ex parte Spiritus Sancti. — Tres a S. Thoma in textu exhibentur sic ordinatae, ut secunda non sit nisi maior explicatio prioris, et tertia solutio alicuius possibilis instantiae: unde potius quam tria argumenta, non sunt nisi tres facies unius eiusdemque argumenti, cuius tota vis in hoc reponitur, quod non possit salvari, sicut catholica veritas postulat, realis Spiritus Sancti a Filio distinctio, nisi ille ab hoc procedere ponatur.

[1] Cf. ad 7^m^, et l. IV. C. Gent., c. 24. — [2] Cf. Ad 6^m^.

23. **Primum argumentum. — Ex distinctione Spiritus Sancti a Filio.** Nisi Spiritus Sanctus procedat a Filio, non distinguitur realiter ab ipso. Atqui Spiritus Sanctus distinguitur realiter a Filio. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

Minor est simpliciter de fide, qua profitemur trinitatem personarum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum: tota igitur difficultas *maiorem* respicit, quam α) logice exponemus, β) theologice probabimus, γ) ab obiectionibus vindicabimus.

Exponitur maior logice. Haec propositio dicitur conditionalis, et apparenter negativa est, re tamen positiva, huic alteri aequivalens: Si Spiritus Sanctus ponitur distingui personaliter a Filio, tunc necessario procedit ab ipso. Et vera est illa conditionalis, licet tum antecedens tum consequens, absolute sumpta, falsa sint; nam veritas propositionis conditionalis, in veritate nexus logici consistit. Sibivult autem haec propositio quod Spiritus Sanctus ideo distinguitur a Filio, quia ab ipso procedit: ita quod ipsum distingui Spiritum Sanctum a Filio sit ipsum Spiritum Sanctum a Filio procedere. Unde et propositio est vera in primo modo dicendi per se, quae potest semper resolvi in conditionalem, verbi gratia, haec: *Homo est animal rationale*, in hanc resolvitur: *Si est homo, ergo animal rationale*, aut: *Nisi sit animal rationale, non est homo.*

Igitur haec propositio probanda theologice manet: Si Spiritus Sanctus distinguitur personaliter a Filio, ergo procedit ab ipso.

24. — **Exponitur theologice.** — Evincetur autem theologice praefata propositio, si singillatim ostensum fuerit α) quod distinctio personalis in divinis non est, nisi secundum relationes; β) non qualescumque, sed oppositas; γ) quod oppositae relationes non sunt nisi secundum originem; δ) quod esse relationes oppositas secundum originem in divinis sibi vult esse sicut principium et id quod est a principio; ε) quod esse duo sicut principium et id quod est a principio, est unum procedere ab altero; unde, colligendo extrema, dicetur: esse distinctum personaliter in divinis est unum procedere ab altero, seu si Spiritus Sanctus distinguitur personaliter a Filio, ergo procedit ab ipso; et consequenter nisi Spiritus Sanctus procedat a Filio, non distinguitur personaliter ab ipso.

α) *Primum* ex dictis resultat. Siquidem, non sunt nisi duo in divinis; absolutum et relativum, substantia et relatio. Et absolutum seu essentia unitatem continet, relatio vero pluralitatem facit. Ubi notandum venit, id quod dicitur personas *absoluto* uniri, *relativo* distingui, formalissime sumi debere, ita quod si personae uniantur, non uniantur nisi in eo quod absolutum est, si vero distinguantur, non distinguantur nisi in eo quod relativum est. Sic personae Patris et Filii, in eo quod sunt generans et genitus, distinguuntur: in eo vero quod sunt spirans, uniuntur et idem sunt. Relativum enim, formalissime sumptum, est relativum prout est ad suum correlativum ens, seu prout opponitur suo correlativo; nam materialiter acceptum, seu secundum rationem generis, est ens. Ergo distingui relatione in divinis aliud non est, nisi distingui a correlativo; et sic distingui Patrem a Spiritu Sancto non est ipsum distingui ut Pater est, sed ut est spirans, et ita de Filio. Ex quo sequitur

β) *Secundum*. Si enim relationes aliquae non opponantur, non distinguunt aliquam personam; nam paternitas et spiratio sunt quidem relationes; sed quia non sunt oppositae, ideo non distinguunt personam Patris. Igitur, si in Filio et in Spiritu Sancto non sunt nisi duae relationes, quibus uterque ad Patrem referatur, quin oppositae sint inter se, uni et eidem personae poterunt convenire, et ita, sicut persona Patris est subsistens in duabus relationibus, ita Filius et Spiritus Sanctus erunt una tantum persona habens duas relationes oppositas relationibus Patris, seu, ut aiebat Rosminius, *Verbum, quatenus est obiectum amatum, et non quatenus Verbum, id est obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti*. Sed hoc tollit fidem Trinitatis; unde, ut salvetur veritas catholica de Spiritus Sancti a Filio distinctione, necesse est admittere relationes in utroque ad invicem oppositas.

γ) *Tertium* per se patet: nam relationes oppositae non sunt nisi secundum quod attenditur origo unius ab altero, id est secundum rationem originis.

δ) *Quartum* quoque evidens est. Siquidem, persona quae inter divinas personas ab altera oritur, ad istam refertur, quemadmodum id quod est a principio ad principium, ut sic

Pater sit principium non de principio, Filius principium de principio, Spiritus Sanctus non principium de principio.

c) *Quintum* tandem non est nisi expressior vocis explicatio: quod enim est a principio, ab ipso procedat oportet. Unde dilemma: ergo necesse est ut aut Filius procedat a Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus a Filio. Primum autem nemo dicit, et relinquitur: ergo sequitur alterum; et ita, si Spiritus Sanctus distinguitur a Filio, ut etiam Graeci illum esse distinctum admittunt, ab ipso procedere debet.

Haec veritas ita traditur in concilio Toletano I: *Credimus Spiritum Sanctum esse Paracletum, qui nec Pater, nec Filius sit, eo quod sit a Patre Filioque procedens.* Pariter, S. Gregorius Nyssenus [1]: *Distinguitur*, inquit, *Spiritus a Filio, quod per ipsum est*: et [2]: *Detracta principii ratione, nulla re S. Trinitas a se ipsa dissidet.* Demum S. Augustinus [3]: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt.*

25. — **Obiectiones.** — Contra conditionalem hanc, plura obiicit Scotus [4], ad illam infirmandam aut destruendam [5].

I. Idem est principium constitutivum et distinctivum ab aliis. Atqui Filius constituitur *filiatione*, sicut et Pater paternitate, et Spiritus Sanctus processione. Ergo Filius filiatione distinguitur a Spiritu Sancto; et sic etiamsi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, adhuc tamen distingueretur ab ipso.

Resp. Principium in *maiori* enunciatum non semper verum est. Tenet quidem in absolutis, sicut homo constituitur rationalitate, et per hoc a ceteris specie differentibus distinguitur; non tamen tenet universaliter in relativis; nam duplum constituitur dimidio repetito, et tamen dimidium non est id quo duplum distinguitur a triplo aut a quadruplo: sed potius duplicitate formaliter distinguitur duplum a dimidio, non autem a triplo, quadruplo, etc. Sic igitur Filius constituitur filiatione, et filiatione distinguitur formaliter a Patre, non autem filiatione distinguitur a Spiritu Sancto. Sed in divinis distinctio est secundum relationes sumptas

[1] Ep. ad Ablab. — [2] L. Contra Eunom. — [3] Tract. XXXIX, in Io. — [4] I, Dist. XI, Quaest. 2. — [5] Cf. Caiet., in hoc loco.

sensu formalissimo, ut dictum est; ita quod non modo ipsae res sint relativae, sed ipsa etiam distinctio sit relativa. Et sic, si Filius non distingueretur a Spiritu Sancto nisi filiatione, non distingueretur relatione sumpta formaliter: et ita ista distinctio, aut refunderetur in distinctionem penes ipsam substantiam, et sic Spiritus Sanctus non esset Deus, aut in distinctionem penes solam rationem, et sic non esset alius a Filio.

Unde sic propositae *difficultati*: Per quod res constituitur, per idem distinguitur. Atqui Filius constituitur filiatione. Ergo Filius distinguitur a Spiritu Sancto filiatione. — *respondetur, dist. mai.*: per quod constituitur in esse absoluto, per idem distinguitur, *conc.*; in esse relativo, *subdist.*: per idem distinguitur ab eo a quo sic relative constituitur, id est a correlativo, *conc.*; ab aliis. *nego. Dist. min.*: Filius constituitur filiatione, tanquam relatione quae est formaliter ad Patrem, *conc.*: tanquam relatione quae est formaliter ad Spiritum Sanctum, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Relatio formaliter non habetur nisi per respectum ad correlativum oppositum; ceterae autem relationes sunt quasi disparatae, et ideo non distinguunt personas. Quocirca Filius non distinguitur a Patre nisi filiatione; sed a Spiritu Sancto non distinguitur filiatione, quia filiatio et processio non sunt relationes formaliter oppositae, sed quasi disparatae.

II. Instabis. — In Filio non sunt nisi duo: essentia et relatio personalis aut personalitas. Atqui Filius a Spiritu Sancto non distinguitur essentia. Ergo personalitate: quod si personalitate, igitur filiatione.

Resp. Filius distinguitur a Patre per id per quod constituitur, a Spiritu Sancto autem per aliquid consequens constitutivum eius. Igitur in primo quasi rationis momento intelligi debet Filius procedere a Patre per generationem, et per hoc ad ipsum referri opposita ratione ab ipsoque distingui; in secundo autem velut momento, Filius iam constitutus, una cum Patre, spirat Spiritum Sanctum, et vi huius spirationis, oppositis relationibus ad hunc refertur et ab ipso distinguitur a Patre personalitate sua, a Spiritu Sancto autem actu notionali, qui personalitatem consequitur et a personalitate pendet, scilicet distinguitur Filius a Spiritu Sancto spiratione, qua etiam Pater ab eodem distinguitur

III. Urgebis. - 1. Si ratio cur personae divinae distinguuntur, sit oppositio relationum, quemadmodum Filius distinguitur a Patre tanquam a persona, eo quod inter ipsum et Patrem est opposita relatio, ita et Spiritus Sanctus distinguetur a spirante, tanquam a persona, et sic, praeter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, erit quarta persona, nempe spirans, cui relative opponitur Spiritus Sanctus tanquam spiratus.

Resp. Ratio cur divinae personae distinguuntur, est oppositio relationum, sive sit oppositio quae constituat personam, sive sit oppositio quae constitutam supponat. Oppositio constituens personam est sicut paternitas et filiatio; oppositio sequens personam constitutam est spiratio, qua opponuntur relative spirans et spiratus. Unde haec relatio opposita utique tantam virtutem haberet in divinis, ut constitueret personam spirantem distinctam a spirato, nisi iam essent personae, scilicet Pater et Filius, qui ad instar unius principii, spirant tertiam personam.

Ex quo sequitur quod si quis velit assignare rationem formalem cur distinguantur personae in divinis, aliam reperire non poterit, nisi quia sunt relationes oppositae, vi processionum. Unde, quaerenti: *Quoniam Filius distinguitur a Spiritu Sancto*, falsissimam exhibebit responsionem, *filiatione*: aut iterum quaerenti: *Quonam Pater distinguitur a Spiritu Sancto*, falso respondebitur: *paternitate*. Sed Filius distinguitur, a Patre quidem, filiatione, a Spiritu Sancto vero, spiratione. Unde filiatio facit seu constituit personam et eam distinguit a Patre; et ita paternitas per respectum ad Filium; sed spiratio non constituit sive personam Patris, sive personam Filii, sed eas distinguit a Spiritu Sancto. Processio autem facit, seu constituit personam, et distinguit formaliter a spirante, qui realiter est Pater et Filius [1].

2. Si in solo Filio esset spiratio, adhuc Spiritus Sanctus a Patre distingueretur. Ergo, a pari, si in solo Patre esset spiratio, adhuc distingueretur Spiritus Sanctus a Filio.

Resp. In hac hypotesi, quae impossibilis omnino est, quia auferret a Filio quod sit Patri simillimus praeterquam in sua

[1] Cf. Caiet., hoc loco.

ad Patrem relatione, Spiritus Sanctus in tantum distingueretur a Patre, non quidem immediate, sed mediate, in quantum procederet a Patre mediante Filio. Nam, non posset procedere a Filio, nisi in quantum Filius a Patre naturam, et cum natura etiam virtutem spirandi Spiritum Sanctum acciperet; et ita tota distinctionis ratio tandem denique ex relationibus originis desumi deberet.

26. Secundum argumentum. — Ex ratione processionum. — Non potest aliquid amari, quin conceptione mentis apprehendatur. Atqui Spiritus Sanctus procedit ut amor. Ergo debet a conceptione mentis apprehendi. Atqui illum a conceptione mentis divinae apprehendi, est illum ab ipsa procedere. Ergo nequit esse amor notionaliter subsistens in divinis, nisi sit a Verbo procedens. Et ita est quidem unus dicens, Pater, et unus dictus *ut* Verbum, id est Filius, et unus amatus notionaliter in Verbo, id est Spiritus Sanctus.

Argumentum istud sibi vult quod procedere ut amorem, non potest esse, nisi tale procedens sit in Verbo cognitum ut amor, et quod esse notionaliter cognitum in Verbo ut amorem, sit a Verbo procedere. Et sic importat non modo quod ordo processionum esse debeat, verum etiam quod ordo iste sit ut una processio sit ab altera. Non enim potest aliter concipi ordo in processionibus divinis, nisi secundum quod una oritur ab altera. Et ita, quod dicitur in Verbo ut Pater, non oportet ut procedat a Verbo, nec quod dicitur in Verbo ut Filius; sed quod notionaliter dicitur in Verbo ut Amor, oportet ut procedat ut Amor ab ipso Verbo: ut sicut amor essentialis oritur, secundum rationem, ex conceptu essentiali quo formaliter Pater omnia novit, ita amor notionaliter oriatur ex conceptu notionaliter, quod Verbum est [1].

Et si quis *obiiciat* quod aliquid amatur, quin dicatur a Verbo, verbi gratia, divina essentia a videntibus eam, *respondetur* hoc non esse omnino verum, quia ipsamet divina essentia visa vices gerit verbi, et sic ab hac visione procedit amor beatorum in Deum, amor infinitus, sicut est infinita ipsa divina essentia.

[1] Cf. Caiet.

Ubi, ad praeveniendas difficultates, notari oportet quod Verbum in divinis proprie sumimus, id est secundum similitudinem verbi mentalis, et non metaphorice, id est, secundum similitudinem verbi vocalis: a verbo enim vocali non procedit spiritus, sed a verbo mentali amor procedit [1].

Huc faciunt verba quae habet S. Anselmus [2]: *Habent itaque a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, sed diverso modo: quia alter nascendo, et alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem... Nam si per aliud non essent plures, Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi.* Scilicet, cum in personis duo sint, nempe origines et relationes, et illae quidem actum, istae vero formam dicant, S. Anselmus hoc in loco processiones accipit, non secluso ordine originis inter eas, sed secundum suas integras rationes, id est, in quantum origo unius distinguitur ab origine alterius, ita quod non esset processio voluntatis, nisi supposita processione intellectus; et sic processiones distinguunt Filium a Spiritu Sancto per hoc, quod ille est a solo Patre, hic vero, praecise propter differentiam processionis, ab utroque: non enim aliter processiones distinguerentur, nisi esset propter differentiam originis per oppositas relationes [3].

27. - Tertium argumentum. - Ex ipso ordine rerum. In iis inter quae non est sola materialis distinctio, oportet ut sit aliquis processionis ordo. Sed inter Verbum et Spiritum Sanctum non est sola materialis distinctio. Ergo oportet ut sit inter eos processionis ordo.

Minor est evidens. *Maior* declaratur. — Inter plures cultellos materialiter tantum distinctos ab invicem non est aliquis processionis ordo, et ita faber indifferenter unum aut alterum producit. Sed statuarius, debens plura producere σχήματα antequam statuam efficiat, non quocumque modo producit unum et aliud, sed ordinatim et cum aliquo processionis ordine unius ab altero, cum inter ea non sit sola materialis distinctio, sed specifica, seu quasi specifica. Sic etiam Deus benedictus, cum mundum produxit, non indiscri-

[1] Ad 5[m]. — [2] In l. de Process. Spiritus S., c. 4. — [3] Ad 7[m].

minatum omnia in ipso produxit, sed pulcherrimo ordine diversas species, cum respectu unius ad alteram.

28. — Quaestiones. — I. *Utrum, si in S. Scriptura inveniretur quod a solo Patre procedit Spiritus Sanctus, per hoc excluderetur Filius?*

Resp. Negative. Nam, utique haec dictio *solus* non esset sumenda categorematice, quasi poneret solitudinem circa Patrem, ut supra dictum est [1], sed syncategorematice, quo sensu, aut excluderet alium a participatione subiecti, ut sensus esset: *Ille, cum quo nullus alius in divinis est Pater, spirat Spiritum Sanctum*, et ita propositio vera esset; aut excluderet a participatione praedicati *aliud* neutro genere, id est aliam naturam, et sic rursus vera esset; aut denique excluderet a participatione praedicati *alium* masculino genere, id est aliud suppositum, et sic evidenter falsa esset, quia Filius una cum Patre spirat Spiritum Sanctum. At, quia regulariter omnia Patri et Filio communia sunt, nisi ubi habeatur opposita relatio, hinc dictio exclusiva *solus*, in hac propositione: *Spiritus Sanctus procedit a solo Patre*, non habet ut excludat aliam personam ab actu spirandi, nisi ipsum Spiritum Sanctum procedentem; quia Pater et Filius ad invicem non opponuntur, nisi quantum ad hoc quod hic est Pater et hic est Filius, non autem quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus Sancti; sicut, quia quantum ad cognitionem Filii, Pater et Filius non opponuntur, ideo quod dicitur [2]: *Nemo novit Filium, nisi Pater*, non excludit quin et Filius seipsum cognoscat [3].

II. *Potestne dici Spiritus Sanctus quiescere vel permanere in Filio, quin hoc officiat eius processioni?*

Resp. Affirmative, iuxta ea quae in apocrypho libro de legenda B. Andreae, leguntur: *Pax vobis et universis qui credunt in unum Deum Patrem, et unum Filium eius unicum Dominum Nostrum Iesum Christum et in unum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre, in Filio permanentem.* Nam α) processiones in divinis non accipiuntur secundum operationem aliquam ad extra transeuntem, sed secundum operationem

[1] Quaest. XXXI, art. 3, p. 161. — [2] Matth., XI, 27. — [3] Ad 1um.

in ipso operante manentem. Unde et Filius in Patre, licet ab ipso procedat, manere dicitur, et similiter Spiritus Sanctus in Patre et Filio, licet ab ipsis, tanquam ab uno principio, procedat. ε) Insuper speciali ratione hoc dici potest de Spiritu Sancto relate ad Patrem et Filium. Ipse enim procedit ut Amor, de cuius ratione est ut maneat in obiecto amato et quiescat in ipso. Igitur Amor Patris in Filium in ipso Filio conquiescit, et Amor Filii in Patrem in Patre conquiescit. Sed Amor Patris et Filii unus est et substantialis, id est, persona Spiritus Sancti: igitur persona Spiritus Sancti tum in Patre, tum in Filio conquiescere et permanere dicenda est. ζ) Aut possunt praedicta verba referri ad humanam naturam, in qua subsistit Verbum Dei, et ratione cuius requiescere visus est Spiritus Sanctus in columbae specie super Christum, cum baptizaretur in Iordane, iuxta illud [1]: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto* [2].

Articulus III. — *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium.*

1. — Ratio articuli. — Cum sancti Patres, tum latini, tum potissime graeci, hac locutione interdum usi sint ad significandam processionem Spiritus Sancti a Filio, ideo Angelicus hunc adiicit articulum, non modo ut ostendat dissidentes Graecos, qui dum hanc locutionem admittunt, praefatam processionem respuunt, de facto id asserere quod negant, verum etiam ut, opportuna distinctione tradita inter suppositum operans et operativam virtutem, determinet quanam mediatione mediet Filius inter Patrem spirantem et Spiritum procedentem, cum particula *per* aliquam mediationem significet.

2. — Praenotandum. — Quando dicitur aliquis per aliquem vel per aliquid operari, haec praepositio *per* designat in causali aliquod principium talis operationis. Sic, cum

[1] Io., I, 33. — [2] Ad 4[m].

dico: *Ignis calefacit per calorem*, ly *per* designat calorem qui est principium calefactionis ab igne peractae. At, cum actio sit quoddam medium inter agens et patiens, sic enim calefactio intelligitur ut media inter ignem et calefactibile, hinc principium designatum per particulam *per* potest esse principium operationis, prout haec exit ab agente, et sic esse causa agenti quod agat, aut potest esse principium operationis, secundum quod terminatur ad factum. Et primum quidem in triplici genere causae invenitur: scilicet, vel in genere causae finalis, ut cum dico: *Artifex operatur per cupiditatem lucri*: vel in genere causae formalis, ut cum dico: *Artifex operatur per artem suam*: vel in genere causae efficientis aut motivae, ut cum dicitur: *Ballivus operatur per regem aut per regis imperium*: in quibus omnibus, causale cui adiungitur praepositio, *per*, est causa actionis secundum quod exit ab agente, scilicet causa, vel finalis, vel formalis, vel effectiva aut motiva. — Aliquando autem causale, cui adiungitur dictio causalis, *per*, est causa actionis secundum quod terminatur ad factum, sicut cum dico: *Faber operatur per martellum*: martellus enim non est causa sive finalis, sive formalis, sive efficiens respectu fabri; quin potius est causa artificiato ut ab artifice procedat, et esse sic causam habet ab artifice.

Hanc autem distinctionem alii aliter adsignarunt, dicentes quod haec praepositio, *per*, aliquando denotat auctoritatem in recto, ut cum dicitur: *Rex operatur per ballivum*: aliquando autem in obliquo, ut cum dicitur: *Ballivus operatur per regem*.

3. — Sensus quaesiti. — Porro, cum hic dubitatur utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, quaestio non est utrum haec praepositio, *per*, importet principium actionis ex parte operantis, quasi quaeratur an Filius sit causa vel ratio qua Pater spiret Spiritum Sanctum; sed sensus est, utrum actio spirativa Patris terminetur ad Spiritum Sanctum mediante Filio.

In quo cavere theologum oportet quominus, dum agnoscit Spiritum Sanctum esse a Patre per Filium, reputet prius generari Filium, quam spiretur Spiritus Sanctus. Nam

in processionibus divinis, nihil prius et posterius habetur: et sicut generatio Verbi est generanti coaeterna, non enim prius fuit Pater quam Filium gigneret, ita Spiritus Sancti processio est suo principio coaeterna: ideoque non prius fuit Filius genitus, quam Spiritus procederet, sed utrumque, id est, tum generari, tum procedere, aeternum est [1].

4 - PROP. **Recte dicitur secundum fidem catholicam quod Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium**

5. — Patres. — S. Hilarius, alloquens Patrem, ait [2]: *Conserva hanc, oro, fidei meae religionem, ut semper obtineam Patrem, scilicet te, et Filium tuum una tecum adorem, et Spiritum Sanctum tuum, qui est ex te per Unigenitum tuum, promerear.* Et S. Basilius, in libro contra Eunomium, hunc haereticum ita ironice perstringebat: *Si ex verbo tuo, o qui inimicaris veritati, ex proprio intellectu tuo, spiritum producis, aerem per verbum verberans, unde eiusdem essentiae Spiritum Sanctum a Patre per Verbum unigenitum dubitas provenire?*

6. — Rat. theol. — Filius habet a Patre quod ab eo procedat Spiritus Sanctus. Ergo potest dici quod Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, seu quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum. *Prob. conseq.* Sicut ex eo quod ballivus habet a rege ut operetur, dici potest quod rex operatur per ballivum, ita ex eo quod Filius habet a Patre ut spiret Spiritum Sanctum, dici potest quod Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium.

7. — Exponitur. — Haec doctrina aliud non significat, nisi quod, ut ait S. Gregorius Nyssenus, Spiritus Sanctus sit ex Patre mediante Filio, scilicet respectu habito ad supposita spirantia [3]. Ad cuius rei intelligentiam sciendum est quod, in omni actione, duo sunt consideranda: suppositum agens, et virtus qua agens agit, sicut in calefactione suppositum agens est ignis; virtus autem qua ignis calefacit est calor. In processione autem Spiritus Sancti supposita quae spirant sunt Pater et Filius; virtus vero qua spirant est

[1] Ad 3[m]. — [2] L. XII DE TRIN. — [3] L. DE S. TRINIT.

ipsa virtus spirativa. Porro, cum haec virtus una eademque sit in Patre et in Filio, secundum hoc Spiritus Sanctus procedit ab utroque immediate; et sic, cum dicimus quod Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, sensus non est quod virtus Filii mediet inter Spiritum Sanctum et virtutem Patris; sed ista mediatio attenditur tantummodo per respectum ad supposita spirantia, ita quod, si attendatur Spiritus Sanctus ut procedit a Patre, tunc immediate ab eo procedit, et non per Filium; si vero attendatur ut procedit a persona Filii, tunc mediate a Patre procedit, id est mediante persona Filii.

Cuius rei exemplum habemus in generatione, puta, Abelis. Siquidem, hic homo fuit ab Adam immediate, in quantum scilicet processit ab ipso; est tamen mediate ab eo, si consideretur ut est filius Evae, quia et ipsa ab Adam processit. Quanquam, ut advertit S. Thomas, exemplum materialis processionis ineptum est ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum [1]; et hoc quidem propter tria: *primo*, quia deficit in generatione Abelis unitas virtutis in patre et in matre; *secundo*, quia deficit simultas generantium et geniti; nam Eva et Adam praecesserunt Abelem; *tertio*, quia non est eadem identice forma, nec idem esse in generantibus et in genito.

8. — Corollarium. — Ex his sequitur, non posse dici quod Spiritus Sanctus sit a Patre principaliter, et a Filio secundario. Nam, si non una quidem eademque foret Patris ac Filii virtus, posset utique huiusmodi locutio sub duplici suo adspectu sustineri; sicut cum dicitur quod miles vincit per ducem, principaliter dux, secundario autem miles vincere censetur. At una et eadem omnino numero est virtus in Patre et in Filio; ideoque non magis ab uno quam ab altero, sed aequaliter ab utroque, Spiritus Sanctus procedit. Unde locum hic non habet vulgatum axioma: *Propter quod unumquodque tale et illud magis*; tenet enim tantummodo in illis agentibus, in quibus non est utriusque eadem identica virtus.

Invenitur tamen S. Augustinus dixisse [2] quod *principa-*

[1] Ad 1[m]. — [2] L. XV. de Trin., c. 17.

liter et proprie Spiritus Sanctus a Patre procedit; sed haec locutio positive quidem pro Patre, non vero negative pro Filio debet extendi: ut sit sensus quod licet Spiritus Sanctus sit a Patre principaliter, tamen non secundario, aut instrumentaliter a Filio procedit, et licet a Patre proprie procedat, non tamen a Filio improprie procedit [1]. Unde idem S. Augustinus adiungit [2]: *Ideo addidi: principaliter, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque illi Pater dedit, non tam existenti et nondum habenti, sed quidquid Unigenito dedit, gignendo dedit.*

9. - **Quaestio.** — *Utrum sicut dicitur quod* PATER SPIRAT SPIRITUM SANCTUM PER FILIUM, *ita etiam possit dici quod* FILIUS SPIRAT SPIRITUM SANCTUM PER PATREM?

Resp. Ratio dubitandi est quia, cum quis dicitur per aliquem operari, potest e converso dici iste per illum operari, sicut cum dicitur: *Rex per ballivum operatur*, potest reciproce dici: *Ballivus operatur per regem.* - Sed resolvendum est, non posse omnino reciprocationem dari, ut dicatur quod Filius per Patrem spiret Spiritum Sanctum. Revera, imprimis falsum est quod quando dicimus aliquem operari per alium, semper recipiatur conversio. Nam conversio in hoc casu non datur: *Artifex operatur per martellum*; nequit enim dici: *Martellus operatur per artificem.* Cuius rei ratio est quia martelli non est agere, sed tantum agi, et ideo designatur mere ut instrumentum; e contrario autem, cum bailivi sit agere et operari, ideo sicut potest dici: *Rex operatur per ballivum*, ita potest dici: *Ballivus operatur per regem.*

Sed haec ratio videretur praecise suadere conversionem Nam Filii est agere et non tantum agi; ergo poterit dici quod Filius spirat Spiritum Sanctum per Patrem, seu quod Spiritus Sanctus procedat a Filio per Patrem. Quapropter, ad hoc dubium solvendum, ulterius considerandum est, alium esse ordinem suppositorum, alium vero ordinem virtutis; et ut habeatur conversio, non modo ordinem suppositorum, sed etiam virtutis ordinem haberi debere. Sed inter Patrem et Filium non attenditur ordo virtutis, sed tantum ordo sup-

[1] Ad 2[m]. — [2] Loc. cit.

positorum; ergo non datur conversio, ut dici possit: *Spiritus Sanctus procedit a Filio per Patrem.*

10. — **Explicatur.** — Revera quandocumque duo operantur inter se coniunctionem habentia, tanquam primum et secundum agens, potest esse quod primum, relate ad effectum, se habeat mediate, vel mediatione virtutis, vel mediatione suppositi: mediatione virtutis, sicut cum dicitur: *Ballivus operatur per regem*; mediat enim virtus regis, vi cuius ballivus operatur: virtus namque regis est immediatior effectui, quam virtus ballivi, quia virtus principalis aut primi agentis semper intimior est et immediatior effectui, cum coniungat causam secundam suo effectui. Hoc quoque in ordine logico tenet, in quo videmus quod principia coniungunt praemissas cum conclusionibus, unde vocantur immediata in demonstrativis scientiis, licet etiam dicantur immediata, quia immediate innotescunt. Pariter in ordine naturali videmus quod virtus solis immediatius effectus naturae attingit, quam virtus causarum inferiorum, quia virtutem harum causarum coniungit cum suo effectu. In ordine etiam theologico Deus, cum sit prima et altissima causa, omnia attingit immediata sua virtute, quae coniungit virtutem causarum secundarum cum suis effectibus, non modo in rebus ratione carentibus, sed etiam in nobis, in quibus operatur velle et perficere pro bona voluntate.

Sed in processionibus divinis, ordo inter Patrem et Filium non attenditur quantum ad virtutem, sicut attenditur inter regem et ballivum, quia divinae personae non distinguuntur quantum ad virtutem. Igitur alius ordo est attendendus, scilicet ordo suppositorum. Porro hic ordo in hoc consistit quod primum agens operatur mediante supposito altero, sicut cum Deus operatur ea omnia quae in mundo sunt mediantibus causis secundis, tanquam tot suppositis distinctis. Et praecise haec est ratio cur dicitur quod *rex operatur per ballivum* aut *mediante ballivo*, scilicet mediante supposito ballivi. Et a pari dicitur quod Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium, id est mediante persona Filii. Igitur, ut concludamus, haec locutio: *Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium*, non recipit conversionem, licet haec propositio: *Rex operatur per ballivum*, conversionem recipiat.

quia in ista conversio fit per respectum ad mediationem virtutis, quae in divinis locum non habet [1].

ii. **Scholion.** — Exinde apparet cur non debeat dici Filius *instrumentum* merum in processione Spiritus Sancti, nam sua propria virtute illum producit; pariter nequit dici *minister*, quia virtus qua agit non est alia a virtute Patris; sed nec *causa adiuvans*, quia perfecte ab eo, non secus ac a Patre, procedit Spiritus Sanctus.

Et ita quoque apparet quam profunde a Christo dictum fuerit de Spiritu Sancto quod a *Patre procedit*, quod profecto esse non posset, nisi procederet etiam a Filio. *Personam tertiam*, ait Caietan, *per secundam comparari cum prima, dixit Gregorius Nyssenus; et magnus Basilius naturalem dignitatem ac regiam dignitatem a Patre per Unigenitum in Spiritum transire. Unde etiam et hoc apparet, quam aptissime in Evangelio dictum esse*: SPIRITUS SANCTUS A PATRE PROCEDIT, *non vero ab emissore. Nam secundum paternitatis proprietatem, Patris persona subsistens, secundum hanc primo et immediate, quippe procedentem a se Filium, per generationem vero etiam Spiritum emittit. Illud enim proxime est a primo; hoc vero per eum qui proxime est a primo. Quare, nisi Pater esset, ne emissor quidem esset. Unde dictum est eum propterea a Patre procedere, quia ex Filio resplendet, et per ipsum est. Nisi enim per Filium esset, neque a Patre esset, at qui ante Filium quidem cogitetur propter paternam generationem, secundum quam Patris persona subsistit; per Filium autem procedat Spiritus Sanctus* [2].

ARTICULUS IV. — *Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.*

1. — Ratio articuli. — Cum summa obiectionum quae contra processionem Spiritus Sancti a Filio fieri possunt ex eo deducitur, quod sic videretur Spiritus Sanctus procedere quasi ex duobus principiis, et sic quodammodo compositus

Ad 4[m]. — [2] Apud Petav., DE TRIN., l. VII, c. XI, n. 14.

esse, hinc modo quaeritur non solum utrum Pater et Filius sint unum numero principium Spiritus Sancti, sed etiam, et hoc praecipue, qua ratione debeat intelligi ista adserta unitas principii. Quod haec quaestio difficultatibus non vacet, ex eo apparet quod S. Thomas usque ad septem congerit in textu obiectiones, quas et solvit, et ad quas profecto omnes illae possunt reduci, quas Graeci in Florentino concilio contra catholicum dogma adducere conati sunt.

2. — PROP. — α) **Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti,** β) **et hoc quidem proprie loquendo.**

3. — **Auctoritates.** — Veritas ista est *de fide* in pluribus Conciliis definita. Sic Gregorius X in Concilio Lugdunensi ait [1]: *Fideli ac devota professione fatemur quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione, procedit.* Ubi et Pontifex damnat eos qui contrarium praesumpserint asserere. Pariter Eugenius IV ait [2]: *Spiritus Sanctus ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione, procedit.* In sessione quoque undecima Concilii Lateranensis V [3], delegati Petri, Patriarchae Maronitarum Montis Libani, fidei professionem obtulerunt, in qua ultro agnoscebant Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, tanquam ab unico principio et unica spiratione [4].

4. — **Solvitur obiectio.** — Porro obiici posset, in praefatis Conciliis haberi vocem, *tanquam*, quae diminutiva est, et enervare videtur vim locutionis.

Respondetur, vocem, *tanquam*, hic adhiberi declarationis, non autem diminutionis, causa, quo sensu pluribus in locis tum S. Scripturae, tum Conciliorum reperitur. Sic legitur [5]: *Factum est repente de caelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis*, ubi haec vox, *tanquam*, idem significat ac vox, *quasi*, in hoc loco [6]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi*

[1] C. unic. DE SUMMA TRIN., in 6°. — [2] In Bulla *Laetentur coeli*. — [3] Die 19 dec. 1516. — [4] Labbe, COLLECT. CONC., t. IV, pp. 283, 286. — [5] ACT., II, 2. — [6] Io., I, 14.

Unigeniti a Patre. Hoc quoque sensu in Concilio Tridentino [1] dicitur quod *actus poenitentis sunt quasi materia sacramenti poenitentiae*.

Sane, si particula, *tanquam*, in praefatis Conciliis, vim haberet diminutivi, non fuisset ullo modo responsum obiectionibus Graecorum; imo maiorem illi accepissent occasionem calumniandi huic dogmati, cum deprehendissent ipsammet Ecclesiam latinam processionem Spiritus Sancti ponere *tanquam*, seu *secundum quid*, ab uno principio, subintellectum relinquens quod sit simpliciter a duobus principiis. Ceterum, in citato Florentino Concilio, quod in hac re potissimum est, mens Patrum plus quam semel fuit aperte manifestata, cum, verbi gratia, cum eo qui Latinorum partes sustinebat, illi dixerint quod Spiritum Sanctum *emittere, ita Patris et Filii est, ut ab uno principio Spiritus Sanctus credatur procedere*, etc.

5. — Prob. ex Patribus. — Inter Patres, S. Augustinus et S. Anselmus hanc veritatem egregie tradunt. Quorum ille ait [2]: *Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia, sed sicut Pater et Filius unus Deus et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium*. Hic autem [3]: *Sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc in quo unum sunt, ita non dicimus duo eius principia, sed unum. Quippe cum dicimus Deum principium creaturae, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum principium, non tria principia, sicut unum Creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, quoniam per hoc in quod unum sunt, non per hoc in quod tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus principium sive creator. Sicut igitur quamvis Pater sit principium, et Filius sit principium, et Spiritus Sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia sed unum, ita cum Spiritus Sanctus dicitur esse de Patre et Filio, non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater et Filius*. Cavendum tamen est ne ex hoc loco inferatur, eodem prorsus modo

[1] Sess. XIV, c. 3. — [2] L. V. de Trin., c. 14. — [3] L. de Processione Sp. S., c. 10.

Patrem et Filium esse unum principium respectu Spiritus Sancti, sicut tres divinae personae sunt unum principium respectu creaturae: nam, respectu creaturae, tres divinae personae unum sunt ratione divinae potentiae, quae a divina essentia non distinguitur, nisi sicut absolutum ab absoluto, dum Pater et Filius sunt unum principium respectu Spiritus Sancti, ratione spirativae virtutis, quae a divina essentia distinguitur sicut relativum ab absoluto.

6. — Ratio theol. — PRIMA PARS. — Pater et Filius in omnibus sunt unum, ubi non distinguit inter eos relationis oppositio. Sed in eo quod est spirare Spiritum Sanctum, non distinguit inter eos relationis oppositio, non enim opponuntur relative in hoc quod est esse principium Spiritus Sancti. Ergo Pater et Filius unum sunt, in eo quod spirant Spiritum Sanctum, et proinde sunt unum Spiritus Sancti principium.

SECUNDA PARS ostenditur contra quosdam ponentes hanc propositionem: *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti*, esse impropriam. Nam, dicebant, hoc nomen, *principium*, singulariter acceptum, non personam sed proprietatem significat, ideoque non substantivum est, sed adiectivum; et quia adiectivum non determinatur per adiectivum, ideo, cum dicitur quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, hoc nequit intelligi, nisi unum intelligatur adverbialiter positum, scilicet pro *uno modo*, ut sensus sit: *Pater et Filius sunt uno modo principium Spiritus Sancti*.

Sed ista sententia non est bona. Nam, si ita esset, cum e converso Pater sit duobus modis principium Filii et Spiritus Sancti, posset ipse dici esse duo principia Filii et Spiritus Sancti, quod tamen non dicitur. Igitur propositio in proprio sensu ita est intelligenda, ut unum significet indivisionem in ratione principii.

Ad cuius evidentiam, sciendum est quod hoc nomen *principium*, licet significet in divinis proprietatem, eam tamen significat per modum substantivi, sicut haec nomina *pater* et *filius*, etiam in rebus creatis. Quod autem attinet ad pluralitatem in nominibus, differentia est inter nomina adiectiva et nomina substantiva, in hoc quod illa quidem, utpote desi-

gnantia actus, pluralitatem accipiunt a suppositis, actus enim sunt suppositorum; haec vero, utpote designantia formam, pluralitatem accipiunt a forma. Porro, licet in spiratione Spiritus Sancti duo sint supposita, quia tamen Pater et Filius habent unam tantum proprietatem per modum substantivi significatam in hoc nomine *principium*, ideo sunt unum principium, sicut sunt unus Deus, propter unitatem formae significatae per hoc nomen *Deus*.

Nec huic doctrinae obstat quod legitur in symbolo athanasiano: *Non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, et unus immensus*, ubi nomina ista, *increatus*, *immensus*, pluralitatem innuere deberent propter suppositorum pluralitatem, cum adiectiva sint; — nam dicendum est quod ista nomina hic non sumuntur adiective, sed substantive.

7. — **Confirmatur** [1]. Duplici modo potest aliquid distingui secundum aliquam formam: uno modo, sicut genus in species per differentiam ultimam, alio modo, sicut species in individua. Porro, in divinis, nulla distinctio ex hoc secundo capite potest haberi, *primo*, quia non fit distinctio speciei in individua, nisi per materialia individuationis principia, cum non possit esse distinctio per aliquod formale adiunctum, siquidem ratio speciei specialissimae constituitur praecise per adventum ultimae formae constitutivae. Atqui in Deo non est materia. *Secundo*, quia haec distinctio in illis fit, in quibus habetur esse aliud et aliud, quia tota quidditas completa est in specie; in Deo autem non est esse aliud et aliud. Ergo sequitur quod, si distinctio habeatur in divinis, haec non possit esse nisi primo modo, nempe secundum quod commune dividitur in species. Sed tanquam commune in divinis non est nisi essentia et relatio. Porro, secundum essentiam, nulla fieri potest distinctio, ergo solummodo secundum relationes; et quidem quousque poterit commune istud distingui per adventum alicuius ultimae formae constitutivae. At spirationi nulla specialis ratio potest addi: ergo nequit distingui spiratio in Patre a spiratione in Filio, sed uterque est unum principium spirans Spiritum Sanctum.

[1] Ex S. Thoma, in 1, Dist. XXIX, Quaest. I, art. 3.

8. — Scholion. — Ad pleniorem huius rei evidentiam, addendum videtur quod spirativa virtus non significat simpliciter naturam, sed significat naturam cum proprietate. Non significat simpliciter naturam, secus Spiritus Sanctus illam haberet, et sic esset suimet ipsius principium, cum sit unum cum Patre et Filio in natura. Igitur, cum virtus spirativa, etsi non sit aliud re a natura, attamen addat supra naturam respectum ad procedentem, seu proprietatem, hinc ista spirativa virtus aliud non est, nisi ipsa *natura cum proprietate*. Non enim repugnat unam et eamdem proprietatem esse duarum personarum, si hae quidem duae personae considerentur non ut sunt ab invicem distinctae aut oppositae relationibus originis, sed ut unum sunt in natura, sicut in praesenti [1].

Attamen duo sunt supposita virtutem spirativam habentia: unde, ex hoc capite, videretur quod dici deberent duo principia. — At, haec animadversio non infirmat enunciatam thesim. *Principium* enim, hic, nomen substantivum est, quod formam determinatam significat; et quidem nomen substantivum concretum. Porro, ad pluralificationem nominis substantivi abstracti sufficit quidem pluralificatio formae; sed ad pluralificationem substantivi concreti duo requiruntur: pluralificatio formae et pluralificatio suppositorum. Ratio est, quia res per nomen substantivum concretum significata, significatur ut subsistens, ideoque non multiplicatur nisi multiplicentur supposita. Sic, musica et geometria sunt nomina substantiva abstracta plura, propter pluralitatem formarum, item paternitas et spiratio; sed musicus et geometra non significantur ut plura nomina substantiva concreta, nisi musicus sit Petrus, et geometra Paulus: si enim unus Petrus sit simul musicus et geometra, unus homo est, licet duabus formis, seu virtutibus distinctis coalescat. Unde quaerenti: Pater et Filius, in eo quod spirant Spiritum Sanctum, suntne duo principia vel unum, respondetur quod sunt quidem duo supposita, sed quia una spiratione spirant, ergo unum sunt Spiritus Sancti principium. Sic Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus tres sunt hypostases aut personae subsistentes, at-

[1] Ad 1^m.

tamen una tantum natura communis: ideoque unus Deus, non tres. E contra ipse Pater est unum suppositum, duabus tamen proprietatibus, quasi virtutibus ratione distinctis, generat Filium et spirat Spiritum Sanctum: ergo Pater est unus, non duo; sicut in mysterio Incarnationis Christus una persona subsistit in duabus naturis, et tamen est unus et unum, non autem duo [1]. Ergo Pater et Filius, in eo quod spirant Spiritum Sanctum, sunt unum principium.

Hinc S. Anselmus comparans operationem Patris in generatione Filii, et operationem Patris et Filii in spiratione Spiritus Sancti, negat inde dici posse quod Pater et Filius sint duo Spiritus Sancti principia. Ait enim [2]: *Nec tamen duo confitemur principia: unum, Patrem ad Filium; alterum Patrem et Filium ad Spiritum Sanctum: sicut non credimus alium Deum Patrem de quo est Filius, et alium Deum Patrem et Filium, de quo est Spiritus Sanctus; quamvis de eodem Deo, sive de eodem principio, suo quisque modo sit, alter scilicet nascendo, alter procedendo.*

9. PROP. II. — **Pater et Filius, per respectum ad Spiritum Sanctum, sunt quidem duo spirantes, non autem duo spiratores.**

10. — **Exponitur.** — S. Doctor hanc doctrinam hic statuit, contra id quod cum aliis antea ipsemet tenuerat, nempe utrumque dici posse, quod Pater et Filius sunt duo spirantes et quod sunt duo spiratores. Rationem autem isti reddebant, scilicet Patrem et Filium esse duos spiratores, quia sunt duo supposita distincta, et quia actus sunt suppositorum, ideo duo quoque spirantes esse. — Et obiicienti quod Deus dicitur unus creator tantum, licet sint tria supposita, respondebant quod creaturae non procedunt a tribus personis ut sunt distinctae personae, sed ut sunt unum in essentia.

Hic vero S. Thomas, re melius perpensa, licet admittat quod possunt dici duo spirantes, non vult tamen ut dicantur duo spiratores, quia hoc nomen *spirator* est nomen sub-

[1] 3, Quaest. XVII, art. 1. — [2] L. de Process. Sp. S., c. 10. — [3] Ad 7[m]. — [4] In 1. Dist. XI, et XXIX, art. ult.

stantivum; nomen vero *spirans*, nomen adiectivum; sed substantiva nomina in concreto, ut multiplicentur, exigunt semper distinctionem in forma significata, et non sufficit distinctio suppositorum, ut dictum est, hic autem forma est una et eadem in Patre et Filio, unde non duo spiratores, sed unus tantum spirator dicendi sunt. Nomina vero adiectiva numerum habent ex suppositis, duo autem sunt supposita, ergo duo spirantes. Quod vero dicit S. Hilarius [1], quod *Spiritus Sanctus a Patre et Filio auctoribus confitendus est*, exponendum docet Angelicus, quod hic ponitur substantivum pro adiectivo.

11. — **Quaestio.** — *Utrum, cum dicitur quod Spiritus Sanctus est a Patre et Filio ut a pluribus suppositis, aut, ut habet S. Thomas [2], consideratis suppositis spirationis, quod* SPIRITUS SANCTUS PROCEDIT A PATRE ET FILIO UT SUNT PLURES, *haec locutio sit ita formaliter et necessario accipienda, ut in hypothesi quod non esset nisi aut Pater aut Filius, Spiritus Sanctus non posset produci?*

Resp. Contra Scotum hanc necessitatem non admittentem, dicimus, cum S. Thoma, Spiritum Sanctum esse a Patre et Filio ut sunt plures, accipiendo locutionem reduplicative, ut sic; unde si non esset ab utroque, Spiritus Sanctus utique non produceretur.

Revera, qui ex iis quae hucusque dicta sunt, Spiritus Sancti processionem intellexerit, eum procedere ut amorem Patris ad Filium et Filii ad Patrem, fateatur oportet. Et sic non procedit nisi ut communio, nexus, vinculum utriusque: ergo nonnisi ab uno et ab altero. Dato enim quod non esset Pater et Filius, aut quod si esset uterque, ab alterutro tantum procederet, non salvaretur eius processionis ratio.

DICES: ergo Pater solus est imperfectus ex hac parte, et praesentia seu consortium Filii illum perfectum facit, ut producat Spiritum Sanctum.

Resp. Pater non est imperfectus, nec praesentia Filii ipsum perfectiorem facit, sed tantum praesentia Filii est ipsi conditio sine qua spirare non posset, licet distinctio

[1] L. II. DE TRIN. — [2] Ad 1^m

formalis inter processionem Spiritus Sancti et generationem Filii non sit desumenda ex pluralitate suppositorum in primo casu et ex unitate suppositi in secundo casu, sed ex modo distincto secundum quem Verbo et Amori producere competit [1].

12. — **Obiectiones.** - I. Spiritus Sanctus et Pater non sunt unum principium alicuius personae. Ergo nec Pater et Filius erunt unum principium Spiritus Sancti. — *Prob. conseq.* Quia non magis convenit Filius cum Patre, quam cum eodem conveniat Spiritus Sanctus.

Resp. Conc. antec. Nego conseq. — Ad eius *prob.*, dicitur quod convenientia in divinis personis aut etiam dissimilitudo non attenditur secundum relativas proprietates, sed secundum essentiam. Et sic Pater non convenit magis cum Filio quam cum Spiritu Sancto in essentia, licet simpliciter cum eo conveniat in proprietate virtutis spirativae, secundum quam attenditur esse principium Spiritus Sancti [2].

II. Cum dicitur Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, aut unum quod est Pater, aut unum quod non est Pater. Atqui non primum, secus sequeretur quod Filius est Pater; nec alterum, secus sequeretur quod Pater non est Pater. Ergo non est dicendum quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

Resp. In hac interrogatione est fallacia figurae dictionis a confusa suppositione ad determinatam. Revera, cum dicimus Pater et Filius sunt unum principium, hoc quod dico principium non habet determinatam suppositionem, ut stet pro uno aut pro altero, sed confusam pro duabus personis simul, sicut cum in sacramento Eucharistiae dicitur: *Hoc est Corpus meum*, ubi *hoc* non habet suppositionem determinatam aut pro pane aut pro corpore Christi, sed pro utroque simul confuse. Unde haec duo: Pater et Filius sunt unum principium quod est Pater, et sunt unum principium quod non est Pater, non sunt contradictorie opposita, ideoque non est necesse alterum eorum dare [3]. Et quia in hoc quod dico: *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti*, princi-

[1] Cf. Caiet., in h. l. — [2] Ad 3[m]. — [3] Ad 4[m].

pium non supponit pro una persona tantum, sed confuse et indistincte pro duabus personis simul, potest etiam verti propositio, ut dicatur: *Unum principium Spiritus Sancti est Pater et Filius* [1], et ut etiam dicatur quod *Pater et Filius sunt idem principium Spiritus Sancti* [2].

III. Si ly *principium* staret confuse pro Patre vel Filio, liceret descendere sub praedicato ad eius singularia per propositionem de disiuncto extremo, quod tamen hic non licet.

Respondet Caietanus [3], *quod illa regula non habet locum ubi sub praedicato non sunt plura singularia, ut contingit in proposito: singulare enim principii non est Pater aut Filius, sed* HOC PRINCIPIUM. *Cum autem ibi non sint plura numero principia, sed Pater et Filius sunt unum numero principium Spiritus Sancti, non restat descensus ad singularia principii. Sed si ad Patrem vel Filium venitur, iam extra regulam sumus, et est sophisma figurae dictionis.*

[1] Ad 5[m]. — [2] Ad 6[m]. — [3] Hoc loco.

QUAESTIO UNDECIMA.

(XXXVII).

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI QUOD EST AMOR

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. Cum omnium actuum voluntatis amor sit veluti prima radix, et omnes praecedat naturaliter, utpote qui respicit bonum in communi, pronum est ut de Spiritu Sancto, quem in divinis processione, quae est per modum voluntatis, procedere novimus, quaeratur utrum ipsi proprie competat nomen amoris.

Ubi sumuntur indifferenter haec nomina: *amor*, *dilectio*, *caritas*, licet inter ea quaedam differentia habeatur, in eo consistens quod amari dicitur id in quo quiescit voluntatis affectus, diligi vero id quod unum prae ceteris seligitur, dum caritas importat quamdam rei quae amatur aestimationem.

Est igitur huius articuli intentio ut declaretur qua ratione Spiritui Sancto personaliter competat esse amorem, qui invocari solet [1]:

Fons vivus, ignis, caritas,

et de quo, cum proprium effectum habeat amorem in fidelium cordibus excitare, Ecclesia canit [2]:

De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore Verbi compleat.

[1] In Hymno Veni Creator. — [2] In Hymno ad Matut. Dom. Pentec.

2. **Ordo quaestionis.** — Eo autem diligentius res ista considerari debebit, quod nomen amoris in divinis essentialiter etiam sumitur; unde distinctionibus opportune traditis, non modo investigandum veniet, qua ratione amor sit nomen personale et proprium divinae personae, cum sit etiam essentiale et proinde commune (1), sed etiam determinari debebit num Pater et Filius diligant se amore essentiali, vel potius amore notionali, qui Spiritus Sancti proprius est (2).

Hic ergo quaeruntur duo:

Primo. Utrum *Amor* sit proprium nomen Spiritus Sancti.

Secundo. Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto.

Articulus I. — *Utrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

1. — **Amor in S. Scriptura.** — De amore, ut dicitur in divinis, pluries recurrit in S. Scriptura sermo. Sic, in Veteri Testamento protestatur Deus se hominem iugi amore prosecutum fuisse, his verbis [1]: *In caritate perpetua dilexi te.* Explicitius tamen hoc Dei attributum recensens S. Ioannes [2], ait: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;* qui etiam originem caritatis ex Deo repetit [3]: *Caritas ex Deo est.* Paulus quoque instanter orat [4]: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis;* qui rursus appellat ad Spiritus Sancti caritatem, dicens [5]: *Obsecro vos et per caritatem Sancti Spiritus;* et iterum [6]: *Per caritatem Spiritus servite invicem.*

Sed et aliquando sermo fit de caritate Patris in Filium et viceversa; sic [7]: *Pater dilexit Filium, et omnia dedit in manu eius;* et iterum [8]: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem.* Iterumque, baptizato Domino, vox de nube facta est [9]: *Hic est Filius meus dilectus;* et Paulus testatur [10]: *Nos... transtulit in regnum Filii dilectionis suae.* Quinimmo, ita videtur

[1] Ier., XXXI, 3. — [2] 1 Ep., IV, 16. — [3] Ibid., V, 7. — [4] 2 Cor., XIII, 13. — [5] Rom., XV, 30. — [6] Gal., V, 13. — [7] Io., III, 35. — [8] Ibid., XIV, 31. — [9] Matth., III, 12. — [10] Col., I, 13.

amor et caritas Dei propria esse, ut S. Ioannes signum nostrae filiationis adoptivae in dilectione reponat [1]: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quocirca, concludit Christus [2]: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione.*

Quae cum ita sint, quaeritur utrum amor possit dici proprium nomen tertiae in divinis personae.

2. — PROP. **Amor personaliter sumptus, est proprium nomen Spiritus Sancti.**

3. — Prob. — Nomen significans personam procedentem per modum voluntatis, est proprium huius personae nomen. Atqui hoc nomen, *amor*, personaliter dictum, significat personam procedentem per modum voluntatis. Ergo est nomen proprium huius personae seu Spiritus Sancti.

4. — Exponitur. Haec propositio importat quod amor, secundum quod essentialiter sumitur, non est nomen proprium Spiritus Sancti. Quod quidem ex hoc patet, quia nullum nomen quod de singulis personis praedicatur et de omnibus in communi singulariter, est nomen proprium alicuius personae. Atqui tale est nomen, *amor*, essentialiter sumptum; sic enim ait S. Augustinus [3]: *Nescio cur sicut sapientia dicitur et Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et simul omnes non tres, sed una sapientia, non ita et caritas dicatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et simul omnes una caritas* [4].

Restat ergo ut probetur quod amor, personaliter dictus, significat personam procedentem per modum voluntatis. — Ad cuius evidentiam recolendum est duas esse in divinis processiones, quae in aliquo conveniunt et in aliquo ab invicem discrepant. Ita autem discrepant quoad nos, ut processionem, quae est per modum intellectus, melius cognoscamus, quam processionem quae est per modum amoris; proindeque priorem nominibus magis propriis, alteram vero

[1] 1 Ep., IV, 7. — [2] Io., XV, 9, 10. — [3] L. XV, de Trin., c. 71. — [4] Ad 1^m.

nominibus magis communibus designamus. Quapropter, ad significandas et personam procedentem, et relationes quae secundum hanc processionem accipiuntur, utimur nominibus spirationis et processionis, quae tamen nomina magis sunt nomina originis, quam relationis, secundum proprietatem vocabuli.

5. **Comparatio inter processionem Verbi et processionem Amoris.** — Attamen, inde a prima huius tractatus quaestione, dictum est esse similitudinem et convenientiam inter processionem per modum intellectus, et processionem per modum voluntatis. Quae quidem convenientia quantum ad tria considerari potest: *primo*, quantum ad habitudinem voluntatis ad rem volitam, quod dicitur velle, seu amare, quemadmodum in intellectu est habitudo intellectus ad rem intellectam, quod dicitur intelligere; *secundo*, quantum ad impressionem quamdam rei amatae in amantis affectu, secundum quam amatum dicitur esse in amante, quae impressio dicitur amor, quemadmodum intellectum est in intelligente, et intellectualis conceptio ex intellectu procedens dicitur verbum; *tertio*, quantum ad ipsam habitudinem impressionis seu affectionis rei amatae ad suum principium, et e converso, quam rursus significamus per nomen amare seu diligere, quemadmodum per nomen *dicere* significamus ipsam habitudinem principii verbi ad verbum ipsum, et e converso.

Unde, sicut in processione per modum intellectus sunt haec tria: intelligere, quod est essentiale, verbum quod est personale, dicere quod est notionale, ita in processione per modum voluntatis sunt pariter haec tria: amare, quod est essentiale, amor qui, sub altero quidem respectu, est personalis, et rursus amare sub respectu a priori diverso, quod est notionale.

6. **Differentia.** — Sed quis iam non videat propriam inter unum et alterum differentiam? Nam, in processione per modum intellectus, vocabulis utimur omnino propriis; in processione vero per modum voluntatis utimur vocabulis communibus, immo uno et eodem vocabulo amoris uti cogimur ad diversa significanda: et esset idem, ait S. Doctor, ac

si verbum nominaremus intelligentiam conceptam vel sapientiam genitam. Et hoc fit, ut saepe dictum est, propter carentiam vocabulorum, quibus huius processionis terminos nominare possimus. Igitur, per accommodationem habet vox illa, una et eadem, scilicet *amor* aut *amare*, ut modo stet pro essentiali, modo pro notionali, modo pro personali. Et ideo hoc nomen, *amor* aut *amare*, si quidem significet habitudinem voluntatis ad rem volitam, vel amantis ad rem amatam, essentialiter sumitur, appropriatur tamen Spiritui Sancto, tum quia ipse procedit per modum amoris, tum quia in hominum sanctificatione, quae specialiter a Scriptura Spiritui Sancto tribuitur, singularis Dei caritas elucet. Si vero per hoc nomen significetur actus quo aliquae personae divinae spirant Spiritum Sanctum, seu habitudinem amoris procedentis ad suum principium, sumitur notionaliter, et sic est notio communis Patri et Filio, cum dicuntur diligere se; denique, si accipiatur ad significandam ipsammet personam procedentem, personaliter accipitur.

7. — Confirmatur. — S. Bonaventura [1], cum dixisset quod dilectio in divinis dicitur tripliciter, scilicet essentialiter, notionaliter et personaliter, pergit exponendo quod essentialiter dicitur, in quantum quaelibet divinarum personarum diligit se, ut sic dicat *complacentiam*: notionaliter vero dicitur, in quantum Pater et Filius concordant in spirando Spiritum Sanctum, quae concordia amor sive dilectio est, ideoque amor sic acceptus *consensum* dicit: denique personaliter dicitur, in quantum ille qui producitur per modum perfectae liberalitatis nequit non esse amor et dilectio, et ita sumptus significat *processum in concordia*. Ipse quoque Angelicus doctor [2] docuerat quod, quando amor sumitur essentialiter, non dicit aliquam processionem seu relationem realem, sed tantum rationis, unde eadem persona potest esse amans et amata; quando sumitur personaliter, tunc amor significatur ut res quaedam procedens, et importatur relatio realis ad suum principium; quando autem sumitur notionaliter, significat rationem *sub qua* processionis huius personae.

[1] 1 Dist., X. — [2] 1 Dist., X, q. 1, a. 1, ad 4.

Et secundum hanc doctrinam poterunt intelligi ea quae passim tradunt sancti Patres. Sic S. Augustinus ait [1]: *Spiritus Sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere et ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio.* Et [2]: *Quid convenientius, quam ut ille dicatur caritas proprie, qui Spiritus est communis ambobus?* Pariter S. Gregorius [3]: *Ipse namque Spiritus Sanctus amor est, unde et Ioannes dicit:* DEUS CARITAS EST.

8. — **Corollarium**. — Ex hoc deduci potest, Spiritum Sanctum esse amantem, non quidem notionaliter, sed essentialiter. Quod primo patet exemplo Filii, qui est intelligens essentialiter, licet non sit dicens seu intelligens notionaliter; intelligit enim Filius, non ut a quo Verbum procedit, sed ut Verbum quod procedit. Pari ratione Spiritus Sanctus amat, non ut a quo amor procedit, sed ut amor qui procedit; unde ipsi non competit spirare amorem, quod est diligere notionaliter, sed tantum diligere essentialiter [4].

Si quis autem intelligere non valeat, quomodo amor possit amare aut Verbum intelligere, cum de ratione intelligendi et amandi sit ut transeant in obiecta intellecta aut amata, respondetur, primo, quod intelligere et amare, licet significentur per modum actionum transeuntium in obiecta, manent tamen in agentibus, cum respectu et habitudine ad obiecta. Quod et in nobis verificatur, in quibus amor est aliquid manens in amante et verbum in intelligente, tamen cum habitudine ad rem amatam aut expressam. In nobis tamen nec verbum intelligit, nec amor amat, quia verbum et amor in nobis accidentia sunt; sed in Deo sunt res subsistentes; ideoque non modo sunt id quo Deus intelligit et amat, sed sunt etiam id quod intelligit et amat [5].

9. — **Scholia**. — I. Ex dictis satis constat, Spiritum Sanctum procedere ex illo actu amoris quo Pater et Filius essentiam divinam, seque invicem, Spiritum quoque Sanctum, necnon omnes creaturas diligunt, et diligendo produ-

[1] L. XV, DE TRIN., c. 17. — [2] IBID., c. 19. — [3] HOM. PENT., 30 IN EVANG. — [4] Ad 4[m]. — [5] Ad 2[m].

cunt, sive spirant amorem, in quo proinde est habitudo ad suum principium. Nam, ut ait S. Thomas [1]: *Pater diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primae secundum quam Pater amat se et omnem creaturam.* Ubi tamen duo notanda veniunt: 1) hic sumi creaturas, non secundum quod in suo esse physico constituuntur, sed secundum quod dicunt imitabilitatem divinae essentiae; 2) Spiritum Sanctum procedere ex amore Dei ad creaturam, non principaliter, sed quasi secundario, nam *respectus importatur ad creaturam in Verbo et in Amore procedente quasi secundario, in quantum scilicet bonitas et veritas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam* [2].

II. Cavendum est quominus distinctio amoris in amorem essentialiter et amorem personaliter dictum in divinis accipiatur tanquam distinctio rei, quasi nomen amoris importet aliquid commune superius, quod per proprias differentias dividatur in amorem essentialem et amorem personalem. Revera, unus tantum amor est; nomen vero amoris, ex penuria vocabulorum, accommodatur ut quandoque divinum amorem significet sub respectu Dei amantis semetipsum seu essentialiter, quandoque vero divinum amorem, prout est tertia persona procedens.

10. — Quaestio. - *Utrum Spiritus Sanctus sit dicendus tertius, an medius in Trinitate?*

Responsio pendet ex duplici modo quo potest considerari Spiritus Sanctus. Si enim consideretur prout est amor Patris ad Filium, et e converso, ipse est medius *nexus* quasi coniungens amantem ad amatum. Pater enim unica dilectione diligit se et Filium, et Filius unica dilectione diligit se et Patrem. Sed ex eo quod est nexus Patris ad Filium et vice versa, ab utroque procedit, et *origine* accipit esse Deum, et ita esse tertiam in Trinitate personam. *Spiritus Sanctus non dicitur esse medius*, ait S. Thomas [3], *secundum ordinem enumerationis qui respondet ordini originis; sic enim Filius medius est inter Patrem et Spiritum Sanctum, sed di-*

[1] Art. seq., ad 3^m. — [2] Ibid. — [3] Opusc., I c. 9.

citur medius, quasi communis nexus amborum; est enim communis amor Patris et Filii. Et [1]: *Pater et Filius dicuntur uniri Spiritu Sancto non effective, sed quasi formaliter. Sed forma est duplex*, ait Franciscus Sylvius [2]: *quaedam enim manens et quiescens in his quorum est forma, et sic per modum formae se habet ad personas divina essentia, et sic uniuntur formaliter amore essentiali. Est etiam aliquid formaliter unions, non quasi inhaerens, sed sicut procedens ab utroque unitorum. Ac si diceremus aliqua duo corpora uniri per aliquem liquorem ab eis procedentem; et ita Pater et Filius uniuntur Spiritu Sancto* [3].

Articulus II. — *Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto.*

1. — Articuli ratio. — Videtur a S. Thoma articulus praesens adiunctus fuisse propter singularem S. Augustini sententiam, dicentis [4]: (Spiritus Sanctus est) *quo genitus a generante diligitur, genitoremque suum diligit.* Ex quo sequi videretur quod Spiritus Sanctus, cum ponatur in ablativo casu, et sic construatur in habitudine causae, sit Patri et Filio causa, seu principium diligendi ipsum Spiritum Sanctum, quod est impossibile.

Quam acriter olim fuerit agitata ista quaestio, abunde demonstrant multae quae recitantur, ad illam solvendam, opiniones.

2. — Opiniones. α) Aliquibus enim falsa omnino visa est ista locutio, ideoque reiicienda, reiectamque putant ab ipso S. Augustino in suo simili, cum nempe propositionem hanc: *Pater est sapiens sapientia genita* retractaverit. Sed hoc non est tam facile adserendum, cum ea quae S. Augustinus retractavit expresse recensuerit; insuper non est eadem ratio quoad esse sapientem et quoad diligere; illud enim dicitur tantum essentialiter, hoc autem etiam notionaliter, ut infra dicetur.

[1] 1. Dist. X. a. 3. — [2] In h. l. — [3] Ad 3[m]. — [4] L. V. de Trin., c. 5. — [5] L. I. Retractat., c. 26.

γ) Aliis igitur videtur propositionem hanc esse impropriam, ideoque exponendum esse quod dicitur de Spiritu Sancto pro amore essentiali, qui ipsi appropriatur, ut sit sensus: *Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto*, id est, *amore essentiali*. Sed obstat quod si ita esset, a pari Pater posset dici sapiens Filio, quasi sapientia essentiali quae Filio appropriatur.

γ) Unde alii dixerunt quod ablativus iste construi debet in habitudine signi, ut sensus sit: *Spiritus Sanctus est signum quod Pater diligat Filium et vice versa*, in quantum ab eis procedit Spiritus Sanctus ut amor. Sed nec ista explicatio est sufficiens, quia secus posset dici quod Pater et Filius diligunt se amore creato, quasi signo dilectionis suae.

ε) Alii igitur videntes quod Spiritus Sanctus est amor Patris, et amore aliquid formaliter diligitur, dixerunt quod ablativus iste construitur in habitudine causae formalis quasi Spiritus Sanctus sit amor quo formaliter Pater et Filius se invicem diligunt. Sed huic officit quod forma, ad hoc quod aliquid denominet, debet ei inhaerere, Spiritus Sanctus autem est per se subsistens; praeterea, forma habet rationem principii respectu eius cuius est forma, dans ei esse vel operari; Spiritus Sanctus autem nullo respectu est principium relate ad Patrem.

3. - **Verior sententia.** — Quocirca, alii concluserunt quod ablativus iste construitur *in habitudine effectus formalis*: — *et isti*, ait S. Doctor, *propinquius ad veritatem accesserunt*.

Haec opinio, quae dicitur fuisse Hugonis Victorini, sibi vult quod *effectus* hic sumatur large pro omni eo quod est a principio, et *formalis* pro eo quod, licet forma non sit, exercet tamen actum formae in denominando, sicut cum dicitur: *Homo est indutus vestimento*, ablativus *vestimento* construitur in habitudine causae formalis, quamvis forma non sit. Denominativa enim sunt quaecumque differentia casu, non grammaticali sed logico, ab aliquo, secundum nomen appellationem habent, sicut album ab albedine et homo ab humanitate; et quia res communiter denominantur a suis

formis, quantum ad hoc, id a quo aliquid denominatur habet rationem formae. Porro, sic accepta, locutio S. Augustini huic aequivalet, quod *a Patre et Filio procedat amor, qui est Spiritus Sanctus, quo illi se diligunt.* Et in hoc sensu ponitur sequens

4. — PROP. — α) **Si diligere sumatur essentialiter, Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto**; β) **si autem sumatur notionaliter, utique diligunt se Spiritu Sancto.**

5. — **Prob. 1ª Pars.** — *Primo,* auctoritate S. Augustini [1]: *Quis audet dicere Patrem nec se nec Filium, nec Spiritum diligere, nisi per Spiritum Sanctum?* Revera, si diligere sumatur essentialiter, Pater et Filius diligunt se essentia sua, non Spiritu Sancto; unde, sicut non potest dici quod Pater sit sapiens vel intelligens Filio, cum esse sapientem et esse intelligentem in divinis non sumatur nisi essentialiter, ita si diligere essentialiter sumitur, nequit dici quod Pater diligat Filium Spiritu Sancto. Et in hoc sensu verum dicebant duae priores recitatae sententiae [2].

6. **Prob. 2ª Pars.** — Quandocumque in intellectu alicuius actionis effectus includitur, principium huius actionis potest denominari per id quod ab ipsa actione procedit tanquam effectus aut terminus actionis. Sic, verbi gratia, possumus dicere: *Arbor floret floribus,* ubi quia florere significat actionem, in cuius intellectu includitur effectus determinatus, scilicet flores, principium huius actionis nempe arbor, potest denominari per id quod ab ipsa actione procedit tanquam effectus, scilicet flores, licet flores non sint forma arboris. Pari ratione, possumus dicere: *Ignis est calefaciens calefactione,* licet calefactio non sit forma qua ignis calefacit, sed actio ab igne procedens, nam forma ignis est calor.

Porro, quando dicitur: *Pater et Filius diligunt se, τὸ diligere,* ut dictum est, potest notionaliter sumi; et tunc in intellectu huius actionis includitur aliquid, quod est quasi determinatus effectus, scilicet Spiritus Sanctus, qui est terminus dilectionis notionaliter acceptae, sicut Filius est ter-

[1] L. XV, DE TRIN., c. 7. — [2] Ad 1^m.

minus dictionis Patris; ergo potest dici quod Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, sicut potest dici quod arbor floret floribus; unde manet quod ablativus iste, id est *Spiritu Sancto*, construitur in habitudine quasi effectus formalis. Unde ait S. Ambrosius [1]: *Ex quo ergo et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt.* Et S. Bernardus in illud [2]: *Osculetur me osculo oris sui* [3], ait: *Si recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit absque osculum Spiritum Sanctum intelligi.* Et rursus [4]: *Spiritus Sanctus est commune vinculum Trinitatis per quem sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos sumus in ipsis.*

7. — Quaestio I. — *Utrum possit dici quod Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto et ipsa dilectione?*

Respondetur affirmative. Ratio est quia quando in intellectu alicuius actionis includitur effectus determinatus, principium huius actionis potest denominari tum ab actione tum ab effectu. Sic, possumus dicere quod *arbor floret floritione et floribus.* Hoc autem nequit fieri quando in intellectu actionis effectus determinatus non includitur, quo in casu principium actionis denominari potest tantum ab actione et non ab effectu. Exemplum: dicimus quidem: *Arbor producit flores floritione*; sed non dicimus: *Arbor producit flores floribus.* Porro, in intellectu istius verbi *diligere*, notionaliter accepti, includitur determinata persona procedens, non secus ac in intellectu istius verbi *dicere*; diligere enim, notionaliter acceptum, est producere amorem, sicut dicere est producere Verbum. Unde dicere possumus: *Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto*, tanquam persona procedente, et *ipsa dilectione*, tanquam actu notionali, sicut dicere possumus: *Pater dicit Verbo*, tanquam persona procedente, et dictione, tanquam actu notionali; e contra, quia in verbis *generare* et *spirare* includitur actus notionalis tantum, et non determinata persona procedens, non possumus dicere: *Pater generat Filio*, sed tantum generat generatione; aut: *Pater et Filius spirant Spiritu Sancto*, sed tantum spirant spiratione [5].

[1] L. de Dign. Cond. hum., c. 2. — [2] Cant. I, 1. — [3] Serm. VIII. — [4] Serm. I, in Oct. Pasch. — [5] Ad 2[m].

8. — Tacita obiectio. — *Dices:* Regula ista non valet: nam nequit dici: *Aedificator aedificat aedificio*, licet in intellectu actionis aedificatricis includatur aedificium.

Respondetur hoc esse falsum; nam cum aedificium sit totum quid integrale, quod solum decursu temporis completur, salvatur conceptus actionis aedificatricis, etiamsi sola fundamenta iaci incipiant [1]. Porro, quod generare et spirare non includant in suo conceptu determinatum effectum, patet α) quia effectus generationis et spirationis non necessario completur in primo instanti generationis et spirationis, imo possunt sumi quasi habitualiter, sicut quando dicimus: *Arbor producit flores*, id est, est apta nata producere flores; β) quia generare et spirare latissime etiam sumuntur, ut per illas actiones procedere dicantur quaecumque res, etiam non viventes, unde dicitur quod Deus generat omnes res creatas, et spirat pacem; γ) quia generare et spirare non necessario important quod effectus coniungatur suo principio, sicut dicere et diligere notionaliter sumpta: unde eorum effectus non tam intime et determinate includuntur in conceptu actionis [2].

9. — Quaestio II. — *Utrum Pater et Filius diligant etiam nos Spiritu Sancto?*

Respondetur affirmative. Ita S. Thomas scribit [3]: *Et Pater et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente, et se et nos.* Et [4]: *Pater non solum Filium, sed etiam se et nos diligit Spiritu Sancto.* Revera, eodem amore Pater diligit se et nos, quo diligit Filium. Ergo se et nos diligit Spiritu Sancto. Praeterea, sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo quod genuit, ita diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto quem spirat. Ratio autem est, quia diligere non solum importat productionem personae divinae, sed etiam personam productam per modum amoris, qui amor habet habitudinem ad rem dilectam. Quocirca, sicut Verbum genitum sufficienter repraesentat Patrem et omnem creaturam, ideoque Pater se et omnem creaturam Verbo quod genuit dicit, ita et Amor procedens a bonitate prima, scilicet

[1] Cf. Sylvium, in h. l. — [2] Cf. Caiet, in h. l. — [3] Sub fine corporis articuli. — [4] In resp. ad 3[m].

Spiritus Sanctus, sufficienter includit Patrem et omnem creaturam, ideoque Pater se et omnem creaturam Spiritu, quem spirat, diligit [1].

10. — **Corollarium.** — Ex hucusque dictis sequitur quod, quemadmodum in Verbo importatur respectus ad creaturam, ita etiam in amore procedente, non quidem primario, sed quasi secundario, in quantum veritas et bonitas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam [2].

[1] Ad 3[m]. — [2] Ibid.

QUAESTIO DUODECIMA.

(XXXVIII).

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI, QUOD EST DONUM

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Cum ex amore proveniat ut quis alteri donum tribuat, ut hoc veluti pignore, dilectionem suam erga donatarium testificetur et firmet, hinc, post quaestionem de amore, sequitur quaestio de dono, praesertim cum ipse amor primum donum sit, et inter dona, tanquam maximum computandum. Cum enim voluntatis processio proportionaliter sit similis processioni intellectus, hinc, sicut de secunda persona habentur tria nomina propria, videlicet: *Filius*, *Verbum* et *Imago*, ita et tertia persona tribus nominibus propriis decoratur, scilicet vocatur *Spiritus Sanctus*, *Amor* et *Donum*. Revera, sicut secunda persona nascitur ut Filius, quia procedit ut Verbum, et consequenter est Imago Patris; ita tertia persona spiratur ut Spiritus Sanctus, quia procedit ut Amor, et consequenter ipsi competit esse *altissimi Donum Dei* [1]. Attamen differentia habetur in hoc quod nomina, quibus ad secundam personam significandam utimur, vi suae significationis propria sunt; nomina vero quae ad tertiam personam nominandam usurpamus, proprietatem habent ex accommodatione et usu.

2. **Ordo quaestionis.** — Porro, in hac quaestione eodem modo procedit S. Doctor, ac in quaestione de Imagine (XXXV), ita quod *primo*, generaliori ratione quaerat utrum donum sit nomen personale (1), et *secundo*, cuiusnam personae sit pro-

[1] Hymn. *Veni Creator*.

prium nomen (2). Nec abs re in primo articulo generaliter quaestio proponitur, quin adhuc determinetur utrum Filio an Spiritui Sancto conveniat; siquidem, cum et Filius videretur habere doni conditiones, et ipse datus sit nobis, hinc speciali articulo statuendum erit, nomen istud Spiritus Sancti esse proprium.

Duo igitur hic quaeruntur:

Primo. Utrum *donum* possit esse nomen personale.

Secundo. Utrum sit proprium Spiritus Sancti.

Articulus I. — *Utrum donum sit nomen personale.*

1. — Quid si donum. — Nomine *donum*, graece δωρεά, δῶρον, δόσις, intelligitur res quae est donabilis, praecise sub ea ratione qua donabilis est, seu qua habet aptitudinem et ordinem ad hoc ut donetur: nomen enim *donum* denominative a *donando*, seu a *dando* derivatur. Unde donum differt a *donatione* ipsa, quae proprie significat actum quo aliquid ita datur, ut non sit fas illud repetere; donatio enim est verus contractus, unilateralis nempe, qui proinde veram obligationem gignit, seu est, ut dicitur, *datio irreddibilis*. *Datum* vero in hoc differt a *dono*, quod hoc dicit aptitudinem in re ut donetur, illud vero proprie significat id quod actu datur, licet aliquibus magis placeat ut *donum* dicatur quod maius est et praestantius, *datum* vero quod minus est et levius. Differt autem utrumque a *munere*, quia munus est quod alicui datur tanquam debitum praemium aut merces, aut certa compensatio, donum vero prorsus gratuito fit a donatore; aut potius munera sunt hominis ad Deum, dona vero Dei ad hominem, qui cum non valeat rem ullam Deo praestare quae Dei non sit, eius loco actus et obsequia, tanquam munera, illi reddit [1].

2. Ratio articuli. — Quae cum ita sint, de hoc nomine, *donum*, quod interdum in Sacris Litteris recurrit, quaeritur utrum in divinis sit nomen personale, quod praefracte

[1] Cf. S. Isid. Hisp., l. VI. Orig., c. 69.

negasse perhibentur Durandus et Aureolus, in hoc, sicut in pluribus aliis, a S. Thoma recedentes, quibus etiam suffragatur theologaster calvinista Lambertus Danaeus: isti scilicet posuerunt nomen *donum* in divinis tribus personis esse commune et nonnisi appropriate competere Spiritui Sancto. Contra quos, ut observat Petavius [1], militat fere universa Doctorum consensio.

Ubi recolendum venit, ad nomen personale hoc requiri, ut in suo conceptu includatur respectus ad alium, seu ut importet relationem oppositam, et sic etiam originem secundum unam alteramve processionem. Unde, quaerere utrum nomen *donum* sit nomen personale, est quaerere utrum dicat originem in divinis unius personae ab altera.

3. — **Conditiones doni.** — Porro, cum de ratione doni sit habitudo seu aptitudo ad hoc quod donetur, et illud quod donatur in tantum a donatore donatur, in quantum eius est, et donatario donatur ut fiat eius, ideo tres conditiones ad donum requiruntur: α) ut sit eius a quo datur, seu donantis; β) ut per donationem fiat eius cui donatur; denique γ) ut non ex debito, sed gratuito detur ei cui datur: hoc enim dari nobis dicitur formaliter, quod aliunde et non ex nobis habemus.

4. — PROP. — **Nomen et ratio doni competunt personae divinae relate ad creaturam rationalem quae sit per gratiam elevata.**

5. — **Sacra Scriptura.** — Christus ipse dixit [2]: *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* — Aqua viva de qua Christus hic loquitur est, ut explicat S. Thomas [3], aqua quae suo principio continuatur, ut discriminatur ab aqua mortua quae a principio, unde olim scaturivit, separata manet. Aqua autem viva quae donatur a Christo est gratia: eius autem principium est Spiritus Sanctus, qui et

[1] Theol. Dogm. de Trin., l. VIII, c. 3. — [2] Io., IV, 10. — [3] Comment. in Ev. Io.

ipse debet dari, ut gratia habeatur, unde dicitur [1]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rursus dicitur [2]: *Spiritus Sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Iterum [3]: *Poenitentiam agite.... et accipietis donum Spiritus Sancti.* Et narratur [4] quod cum vidisset Simon Magus quod per impositionem manuum Apostolorum, daretur Spiritus Sanctus, et oblata pecunia sibi hanc facultatem postulasset, dixit Petrus ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* In quibus omnibus ostenditur, non modo aliquam personam esse donum, sed etiam hoc esse respectu creaturae rationalis per gratiam elevatae.

6. **Sancti Patres.** - S. Augustinus ait : *Sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic donum Spiritus Sancti nihil aliud est quam Spiritus Sanctus.* Atqui Spiritus Sanctus est nomen personale, ergo et donum.

7. — **Ratio theol.** — Ad hoc ut nomen et ratio doni alicui rei competat, necesse est ut res ista habeat aptitudinem ad hoc quod donetur. Atqui aliqua persona in divinis habet aptitudinem ad hoc quod donetur. Ergo nomen et ratio doni alicui personae in divinis competit, seu *donum* est nomen personale in divinis.

8. - **Exponitur minor.** — Ad hoc ut persona possit dari, ex parte dantis, necesse est ut sit eius, et ex parte eius cui donatur, necesse est ut possit ab eo haberi. Quod autem persona sit alicuius, hoc in divinis verificatur secundum quod una persona originem habet ab altera, ut Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Quod autem persona possit haberi ab aliquo, necesse est ut ille qui personam habet, possit libere vel frui illa prout vult, vel uti eius effectu: haec enim est differentia inter uti et frui, quod fruimur fine, utimur autem iis quae sunt ad finem. Atqui frui divina persona et uti eius effectu proprium est solius rationalis creaturae, et quidem Deo coniunctae. — *Rationalis*

[1] Rom., V, 5. — [2] Ibid., VII, 30. — [3] Act., II, 38. — [4] Ibid., VII, 20. — [5] L. XV, de Trin., c. 19.

quidem *creaturae*, quia cum aliae creaturae possint moveri a divina persona, sola creatura rationalis ad hoc pertingit, quod fiat particeps aut divini Verbi, aut Amoris procedentis, ut possit libere Deum vere cognoscere et recte amare: unde dictum est in propositione, quod sola creatura rationalis potest divinam personam habere. Diximus etiam: dummodo creatura rationalis sit *per gratiam elevata, seu Deo coniuncta*. Revera, ad hoc quod creatura rationalis possit habere divinam personam, necesse est ut sit per gratiam elevata: non potest enim propria virtute ad hoc pervenire, quod eam ex se habeat, quandoquidem possessio Dei, sub respectu aut Trinitatis aut distinctae cuiusdam personae, superat vires totius naturae creatae: unde ait S. Iacobus [1]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*. Et sub hoc respectu donatio alicuius personae divinae, facta creaturae rationali, omnino *gratuita* est.

9. — **Corollaria.** I. Haec quae dicta sunt intelligenda sunt de dono proprio et stricte accepto: si enim sermo sit de dono large sumpto, potest etiam aliqua persona dici seipsam dare. Sic S. Augustinus [2] de Spiritu Sancto dicit quod *ita datur sicut donum Dei, ut etiam seipsum det, sicut Deus*. De Filio Dei pariter legimus [3] quod *dedit semetipsum pro peccatis nostris*; et de tribus Sanctissimae Trinitatis personis scriptum est [4]: *Ad eum* (iustum) *veniemus, et apud eum mansionem faciemus*. In quibus omnibus, licet non habeatur distinctio personalis, et ita origo unius ab altero, tamen cum aliquid etiam dicatur esse alicuius quia eo potest uti et frui, sicut homo liber dicitur esse sui ipsius, secundum illud S. Augustini [5]: *Qui tam tuum, quam tu?* — hinc persona divina dicitur respectu sui ipsius esse donum, large sumendo hanc vocem. Ita S. Paulus hortatur nos ut demus Deo *non nostra, sed nos*; et in historia legimus de aliquibus Sanctis, verbi gratia, de S. Paulino Nolano, quod seipsos ultra dederunt pro aliis. Donum igitur sic acceptum dicitur per mo-

[1] I, 17. — [2] L. XV, DE TRINITATE, c. 19. — [3] GAL., I, 4. — [4] Io., XIV, 23. — [5] TRACT., XXIX, SUPER Io.

dum *identitatis*, secundum quem modum etiam essentia divina dicitur esse donum Patris, iuxta illud Christi [1]: *Sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*; et iterum [2]: *Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est.*

II. Sed et donum dicitur etiam *essentialiter*, quo modo scilicet id quod datur importat non modo distinctionem personalem, sed etiam distinctionem in natura, et ita dicit subiectionem: est enim alicuius, ut possessio vel servus. Talia sunt dona quae inter homines fiunt; et antiquitus mancipia a dominis donabantur amicis. Talia quoque sunt dona creata quae Deus facit rationali creaturae, maxime quae ad ordinem supernaturalem spectant. De hisce loquebatur S. Paulus [3]: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*; et [4]: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*: et iterum [5]: *Gratias Deo super inenarrabili dono eius.*

Revera, ex eo quod Spiritus Sanctus in animis fidelium inhabitat, plurima caelestium munerum ubertas consequitur in quibus muneribus, ait Leo XIII [6], *sunt arcanae illae admoniliones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur: quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in Sacris Paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sibilo.*

10. — Scholion. — Tripliciter igitur donum potest dici: uno modo, *proprie*, scilicet *personaliter*, quo modo importat relate ad dantem, originem et sic distinctionem, relate vero ad eum cui datur, liberam eius fruitionem aut liberum usum effectus illius, non autem subiectionem aut dependentiam ab illo: alio modo, *large*, et sic dupliciter: 1° *identice*, et hoc modo a dante non distinguitur, nec subiectionem aut dependentiam importat relate ad eum cui datur, sed tantum liberum usum vel fruitionem, si sit creatura: non enim potest persona divina libere frui natura divina; 2° *es-*

[1] Io., V, 26. — [2] Ibid., X, 29. — [3] Rom., XI, 29. — [4] 1, Cor., VII, 7. — [5] 2, Cor., IX, 15. — [6] Encycl. *Divinum illud*, 9 maii 1897.

sentialiter, et sic a dante distinguitur et in hypostasi et in natura, subiectionemque dicit, et liberum usum vel fruitionem ad eum cui datur [1].

11. — **Quaestio.** — *Utrum hoc nomen,* DONUM, *personaliter dictum, dicat respectum ad creaturas?*

Respondetur. affirmative: nam persona divina sic datur ad hoc quod habeatur a creatura. Nec obstat quod ex tempore, et non ab aeterno, persona divina sit data. Nam licet ad rationem dati requiratur quod actu donetur, ad rationem tamen doni sufficit quod habeat aptitudinem ad hoc quod donetur. Atqui persona divina ab aeterno habet aptitudinem ut donetur, licet ex tempore detur. Unde S. Augustinus ait [2]: *Quia sic procedebat ut esset, iam donum erat et antequam esset cui daretur.* Et [3]: *Spiritus sempiterne dicitur donum, temporaliter autem donatum.*

12. — **Tacita obiectio.** — Dices: Ergo nomen donum est nomen essentiale, cum importet respectum ad creaturam. — *Resp. Nego conseq.* Nam, ait S. Doctor, *nec tamen per hoc quod importatur respectus ad creaturam, oportet quod sit essentiale, sed quod aliquid essentiale in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu personae* [4].

ARTICULUS II. — *Utrum* DONUM *sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

1. **Ratio articuli.** — Ex iis quae hucusque de dono in divinis dicta sunt, posset alicui videri nomen *donum*, personaliter dictum, competere posse tum Filio, tum Spiritui Sancto, uterque enim habet esse per processionem a Patre, et gratuito datur rationali creaturae, ut haec eo fruatur, eiusque effectibus utatur. In praesenti tamen articulo, S. Doctor determinare intendit, istud nomen Spiritui Sancto ita competere, ut sit ipsi omnino proprium.

[1] Ad 1[m], 2[m] et 3[m]. — [2] L. V, DE TRIN., c. 15. — [3] IBID., c. 16. — [4] Ad 4[m].

2. — PROP. — **Nomen, DONUM, secundum quod personaliter sumitur in divinis, est nomen proprium Spiritus Sancti.**

3. **Auctoritas.** — S. Augustinus ait [1] quod per *donum, quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.* Pariter ait [2] quod sicut *natum esse est Filium a Patre esse, ita Spiritum Sanctum donum Dei esse, est a Patre et Filio procedere.* — Ex quo sic licet argumentari. Nomen quo significatur in divinis processio alicuius personae, est nomen proprium illius personae. Atqui nomen *donum*, secundum S. Augustinum, est nomen quo significatur in divinis processio Spiritus Sancti. Ergo est nomen proprium Spiritus Sancti.

4. **Rat. theol.** — Ad huius rei evidentiam, et ad declarationem auctoritatis S. Augustini, iuvabit rem hanc declarare hisce quinque propositionibus, sic ordinatis: 1° Donum importat gratuitam donationem: est enim, secundum Philosophum [3], *datio irreddibilis*, id est quae non datur intentione alicuius retributionis, aut propter aliquod opus bonum in gratiam dantis factum, quasi praemium aut merces. 2° Ratio autem gratuitae donationis est amor: ideo enim aliquid alicui gratuito damus, quia illi volumus bonum, seu illum amamus. 3° Ergo amor se habet in ratione primi doni: est enim id quod primo damus amato, et per quod omnia dona gratuito donantur. 4° Sed Spiritus Sanctus procedit ut amor. 5° Ergo procedit in ratione primi doni, et ita nomen doni, est nomen quo significatur Spiritus Sancti processio, unde in hoc nomine importatur proprietas originis, seu quod Spiritus Sanctus sit dantis per originem [4], ideoque nomen *donum* est Spiritus Sancti omnino proprium.

5. — **Argumentum.** — Sic igitur in forma poterit argumentum proponi. Nomen *donum* est proprium primi doni. Atqui Spiritus Sanctus est primum donum. Ergo nomen *do-*

[1] L. XV, DE TRIN., c. 19. — [2] L. IV, DE TRIN., c. 20. — [3] IV, TOPIC., c. 4. — [4] Ad 2m.

unum est proprium Spiritus Sancti. — *Prob. min.* Amor est primum donum. Atqui Spiritus Sanctus procedit ut amor. Ergo Spiritus Sanctus procedit ut primum donum. *Prob. mai.* Ratio cuiuscumque doni est primum donum. Atqui amor est ratio cuiuscumque doni. Ergo amor est primum donum. *Prob. min.* Id quo volumus alicui bonum est ratio cuiuscumque doni. Atqui amor est id quo volumus alicui bonum. Ergo amor est ratio cuiuscumque doni [1].

Quocirca dicebat S. Petrus : *Accipietis donum Spiritus Sancti.* Et Ecclesia, Spiritum Sanctum deprecans, ait [2] :

Qui diceris Paraclytus,
Altissimi donum Dei, etc.

6. — Corollaria. — I. Exinde sequitur, quod nomen *donum*, prout attribuitur Spiritui Sancto, primo et principaliter significat relationem realem, qua tertia persona se habet ad Patrem et ad Filium ut ad sui principium, secundario autem significat relationem rationis qua ad creaturam se habet, ut ad rem cui donabilis est ; et quia, ut dictum est, ex hac parte, aliae etiam personae possunt dici *donum*, ideo hoc nomen non tam proprie competit Spiritui Sancto, sicut competit Filio nomen *Verbum* : nomen enim *Verbum* nullo modo competit Patri aut Spiritui Sancto.

II. Sequitur etiam quod, licet Filius quoque sit donum, cum etiam ipse sit datus, secundum illud Isaiae [3] : *Filius datus est nobis*, tamen nomen *donum* ipsius proprium non est. Ratio est quia Filio non competit procedere formaliter ut donum, licet ipsi quoque competat ut detur, sicut etiam competit Spiritui Sancto esse imaginem. Revera Filius de ratione suae processionis non habet ut procedat ut amor, sed ut similitudo sui principii ; Spiritus Sanctus autem hoc habet ex vi suae processionis, ut procedat ut amor, de cuius ratione est ut sit donum. Unde, quemadmodum Spiritus Sanctus, licet sit Patri simillimus, tamen non dicitur proprie eius imago, ita et Filius, licet etiam detur, tamen non dicitur proprie donum.

[1] Act. II, 38. — [2] In hymno *Veni Creator*. — [3] IX, 6.

7. — **Confirmatur.** — Ratio cur Filius datur, est praecise amor, qui Spiritui Sancto competit: hoc enim ipsum quod Filius detur, est ex Dei amore, secundum illud [1]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* [2].

8. — **Quaestio.** — *Potestne Spiritus Sanctus dici donum nostrum?*

Ratio huius dubitationis est quia Spiritus Sanctus aliquando dicitur Spiritus alicuius hominis; unde, quia nomen *donum* est nomen proprium Spiritus Sancti, ideo videretur pariter quod possit dici donum nostrum.

Respondetur negative. — Ratio est quia nomen *donum* non importat dationem in actu, et antequam detur est tantum dantis; sed postquam datum est, fit eius cui datur. Igitur, quia in hoc nomine *donum*, potest importari tantummodo ratio donabilitatis, ideo Spiritus Sanctus potest dici donum Dei; sed postquam datus est, potest dici quod sit non donum, sed datum hominis, sicut dicitur Spiritus hominis [3].

[1] Io., III, 16. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 3[m].

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

QUAESTIO DECIMA TERTIA.

(XXXIX).

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

PROLOGUS.

1. — **Comparatio in Trinitate.** — Post traditam doctrinam de divinis personis, tum generaliter, tum specialiter, sed semper absolute inspectis, sequitur ut, iuxta praestitutum ordinem, circa easdem comparativa instituatur consideratio, ut quid de identitate aut de distinctione in Trinitate sit adserendum, proprie dignoscatur; nisi enim post exactam absolutam considerationem circa aliquam veritatem, ad comparativam fiat progressus, incompleta de hac re doctrina maneat oportet. Unde tertiae huius tractatus partis, quae de personis inscribitur, tertia haec est disputatio, quae multiplices comparationes in Trinitate factu possibiles rimari intendit. Gravis sane disputatio, in qua ad examen revocantur ea omnia quae de tanto mysterio proferri possunt, sive circa personas ad essentiam (XXXIX), ad relationes aut proprietates (XL), necnon ad actus notionales (XLI) relatas, sive circa easdem personas inter se, tum quantum ad aequalitatem et similitudinem (XLII), tum quantum ad missionem (XLIII) comparatas: totidem enim sunt quae institui debent in hac parte comparationes.

2. **Officium Santissimae Trinitatis.** - Porro hic non inutile erit advertisse quam apte subsequentium quaestionum doctrina summatim expressa habeatur in officio de Sanctissima Trinitate, quod Dominica prima post Pentecosten ministris suis Ecclesia recitare praecipit; quibus vicissim haud modicum quaestum ad devotionem suam confoven-

dam ex huius doctrinae studio accessurum esse confidimus. De hoc officio narrat S. Ulricus (1091) in suo Chronico, quod recitari consueverat ad instar specialis cuiusdam devotionis. S. autem Thomas, Cantuariensis episcopus (1162), hoc festum in sua ecclesia eadem die instituit, in memoriam suae consecrationis. Postea, in concilio Arelatensi (1260), idem festum eodem die celebrari mandatum est; demum a Ioanne XXII (1334) ad universam Ecclesiam extensum fuit.

3. — **Ratio huius quaestionis.** — In praesenti igitur quaestione, quae potissima est, assumitur examinandum quid decernendum sit de personis, quas tres distinctas esse novimus, relatis ad divinam essentiam, quam unam rem esse simplicissimam et indivisam accipimus. Quapropter, nostra huc intentio dirigitur, ut comparatis personis et personalibus cum essentia et essentialibus, praestituta inter haec reali identitate, proprie stabiliatur quid, sive concrete, sive abstracte, praedicari possit.

4. — **Divisio quaestionis.** — Porro hic duo singillatim pertractanda proponuntur, scilicet de comparatione inter essentiam et personas, primo, secundum ordinem rerum et rationum formalium (1), secundo vero, secundum ordinem logicum, facienda (2-8). Comparatio autem secundum ordinem logicum attendenda est, tum secundum praedicationes in divinis faciendas (2-6), tum secundum manifestationem eorum quae sunt propria personis, ex essentialibus (7-8). Ista personarum ex essentialibus manifestatio vocatur *appropriatio*, de qua determinandum est, tum quod sit licita (7), tum quot modis fieri permittatur (8). Rursus, comparatio in divinis facienda secundum praedicationes dupliciter fieri debet: nempe, tum secundum quod essentialia praedicantur de personis, tum secundum quod notionalia praedicantur de essentia. Porro, essentia potest praedicari de personis, tum in obliquo (2), tum in recto (3); notionalia autem quae de essentia praedicantur, possunt esse aut adiectiva (4-5), aut substantiva (6). Denique, adiectiva notionalia possunt praedicari de nominibus essentialibus sumptis, tum in concreto (4), tum in abstracto (5).



Unde, circa hoc octo quaeruntur:

Primo. Utrum essentia in divinis sit idem quod persona.

Secundo. Utrum dicendum sit, quod tres personae sunt unius essentiae.

Tertio. Utrum nomina essentialia praedicanda sint de personis in plurali, vel in singulari.

Quarto. Utrum adiectiva notionalia, aut verba, vel participia, praedicari possint de nominibus essentialibus concretive acceptis.

Quinto. Utrum praedicari possint de nominibus essentialibus in abstracto acceptis.

Sexto. Utrum nomina personarum praedicari possint de nominibus essentialibus concretis.

Septimo. Utrum essentialia attributa sint approprianda personis.

Octavo. Quod attributum cuique personae debeat appropriari.

ARTICULUS I. *Utrum in divinis essentia sit idem ac persona.*

1. - **Ratio articuli.** Superflua videretur haec quaestio post ea quae initio huius tractatus tradita sunt [1]. Nam, cum ex alibi explicatis [2] iam constiterit Deum, abstractione facta a Trinitatis mysterio, esse idem quod suam deitatem, seu in Deo non dari compositionem naturae et suppositi utcumque accepti, superius demonstratum fuit, aliud ab essentia divina non esse relationes in Deo; et quia persona significat relationem ut subsistentem, ideo ex hoc deduci potuit personas realiter non distingui ab eadem essentia.

At ordo methodi postulat ut quae generaliter supra fuerunt tradita, hic resumantur, specialiter tanquam in proprio loco pertractanda; quandoquidem, ibi de suppositis divinis nonnisi subobscure actum fuit, nondum determinato quid sit proprie persona, aut quot personae sint in divinis, aut denique quid unaquaeque persona significet; unde, istis omnibus iam exploratis, pronum est ut ex professo in proprio loco haec veritas agitetur. Quod et rei gravitas postulat, ne videlicet incertum maneat, quomodo duo ita unum idemque realiter sint, ut eorum alio ab unitate non recedente, aliud tamen realiter multiplicetur.

2. - **Praenotamen.** Hic autem animadvertendum venit, quod iam quidem alibi deductum est, hoc nomen *persona*, in Deo et in rebus creatis, non univoce sumi. Nam, cum naturae rerum visibilium individuentur per materiam quae subiicitur naturae speciei, ideo individua rerum visibilium quae dicuntur subiecta, seu supposita aut hypostases, important realem subiectionem individui, per respectum ad ipsam naturam speciei. At, in divinis, personae non ita dicuntur, quasi sit ibi aliqua secundum rem suppositio aut subiectio, sunt enim, ut mox dicetur, eadem prorsus res simplicissima ac divina essentia, et nihil subiicitur realiter sibi ipsi; sed subiectio, si qua in nomine importatur, individui ad essentiam

[1] Qq. XXVIII, art. 2, et XXIX, art. 4. — [2] 1, Quaest. III, art. 3.

divinam, est tantummodo secundum modum nostrum intelligendi, divina enim nominamus secundum modum rerum creatarum [1].

3. — PROP. — **In divinis, α) essentia idem est realiter ac persona, licet ratione distinguatur ab ipsa; β) personae vero ab invicem realiter distinguuntur.**

4. — **Error.** — Ponitur haec propositio contra eos qui dicebant relationes in divinis esse distinctas ab essentia et esse tantum adsistentes et non inhaerentes, quod ideo ponebant, quia, ut ait Boetius [2], *relatio multiplicat personarum Trinitatem*. Sed huiusmodi positio erronea ex eo evincitur, quod isti considerabant tantum relationem secundum *esse ad aliud*, et non secundum *esse in*, cum tamen relatio debeat considerari etiam secundum quod res est, et sic accepta in Deo non est nisi divina substantia.

5. — **Prob. 1ª Pars.** — De ratione eius quod est summe simplex, est quod essentia eius sit idem realiter ac suppositum, quod in substantiis intellectualibus vocatur persona. Atqui Deus est maxime simplex. Ergo in Deo idem est substantia seu essentia et persona. — Revera, personae divinae sunt ipsaemet relationes subsistentes. Sed relatio, considerata secundum quod res aliqua est, sicut in creaturis est accidens, ita in Deo est idem realiter ac essentia divina. Unde in Concilio Lateranensi IV habetur [3]: *Quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina*. Et S. Augustinus [4]: *Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris.*

Ratione tamen, seu secundum intelligentiae rationem, distinguuntur personae divinae ab essentia, quia haec significatur ut absolutum, illae vero ut relativum. Et quia affirmationes et praedicationes efformantur secundum nostrum concipiendi modum, ideo aliquid potest affirmari de essentia, quod negatur de personis, et vice versa, verbi gratia, quod personae sunt distinctae, essentia vero non est distincta;

[1] Ad 3[m]. — [2] Lib. DE TRIN. — [3] Cap. *Damnamus*. — [4] L. VII, DE TRIN., c. 6.

et consequenter quod supposito uno non supponatur alterum, et quod cognita divinae Essentiae existentia, non cognoscantur personae, etc. [1].

6. — **Prob. 2ª Pars.** - Relatio comparata oppositae relationi, praecise virtute huius oppositionis, realiter distinguitur ab ea. Atqui personae divinae sunt ipsaemet relationes oppositae. Ergo personae divinae sunt ab invicem realiter distinctae.

7. — **Corollarium.** — Exinde apparet discrimen inter Deum et creaturas. Nam in creaturis distinctio suppositorum nequit fieri per relationes, quia in ipsis relationes non sunt subsistentes; ideo omnis distinctio suppositorum in eis postulat fieri per essentialia principia, scilicet sive per materiam, ut in rebus compositis ex materia et forma, sive per formam, ut in substantiis spiritualibus separatis. Sed quia in Deo relationes sunt subsistentes, ideo possunt per se distinguere supposita, secundum quod habent oppositionem ad invicem; quin tamen necesse sit ut ipsamet essentia distinguatur, cum relationes ipsae non distinguantur ab invicem secundum quod sunt realiter unum et idem cum essentia [2].

8. — **Quaestio.** — *Potestne admitti cum Scoto quod persona in divinis distinguatur ab essentia* FORMALITER, *id est, secundum rationes formales unius et alterius, et* ACTUALITER EX NATURA REI, ANTE *mentis considerationem?*

Resp. Talis distinctio non est admittenda. Revera Deus est res excellentissima, quae in unitate purissima suae simplicitatis, quae non est aut mere respectiva, aut mere absoluta, aut mixta vel composita resultans ex utraque, habet in se eminentissime et formaliter quidquid est respectivi simul et absoluti. Et quia rei oportet ut respondeat ratio formalis secundum quod est in se, consequenter rei quae est est maxime una, oportet ut respondeat ratio formalis maxime una, secus non esset per se primo unum intelligibile ab intellectu; hinc in ordine rationum formalium secundum se in Deo non est nisi una ratio formalis *non pure absoluta*

[1] Ad 2um. — [2] Ad 1um.

nec pure respectiva, nec pure communicabilis, nec pure incommunicabilis, sed eminentissime ac formaliter continens quidquid absolute perfectionis est, et quidquid Trinitas respective exigit [1].

Et ita ratio ista formalis, unica simul manens, praestat quidquid in creaturis possunt praestare rationes distinctae absoluti et relativi, incommunicabilis et communicabilis, *res enim divina prior est ente et omnibus differentiis eius; est enim super ens et super unum*; et quia entis genera duo sunt, scilicet substantia et accidens, accidens vero quodcumque, praeter relationem quae est ad aliquid, in divinam vertitur substantiam, hinc distinctio inter absolutum et relativum in Deo est quasi posterior ipsa re divina.

Et secundum hoc non debet admitti quod absolutum et relativum, essentia et personae in Deo distinguuntur distinctione formali *actuali a parte rei ante mentis considerationem* [2]: siquidem talis distinctio, cum refundatur in ipsa re divina, secum fert divinae simplicitatis praeiudicium.

9. Obiectio Scoti. — At, obiicit Scotus, Pater, ante mentis considerationem, habet in se entitatem communicabilem, qua Deus est, et entitatem incommunicabilem, qua est Pater, a priori formaliter distinctam; ergo habet in se rem duarum rationum formalium actualiter ex natura rei distinctarum.

Resp. Dist. antec.: formaliter distinctam, *nego*; virtualiter, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Aequivocatio est in eo quod confunditur conditio rei creatae cum dotibus entis increati et immensi. In creatura quidem, quia perfectiones inibi habentur per modum compositionis, non potest una res simul formaliter esse absoluta et respectiva, nec potest una ratio formalis utrumque simul complecti. Non autem est ita in re infinita, cuius ratio formalis, infinita quoque cum sit, utrumque simplicissime complectitur. Idcirco Deum esse est ipsum esse omnia quae ipse est; unde vivere, sapere, esse unum et trinum, et cetera, sive absoluta, sive relativa, omnia sunt *ex*, et *ab*, et *in* esse divino; dum in creatura est realis compositio omnium perfectionum quae in ipsa sunt, itidemque compositio ex relativo et absoluto. Et ideo esse Dei est

[1] Caietanus, in hunc loc. — [2] Ibid.

ultima et prima res, in cuius forma eminenter omnes rerum perfectiones clauduntur, et ratio prima omnium aliarum rationum, quae proinde res et rationes non actualiter, sed virtualiter tantum distinguuntur in Deo. Non quod ista virtualiter tantum sint in Deo: sunt enim ibi realiter et formaliter, sed *distinctio earum est virtualiter, quia ita ibi sunt, ac si essent distinctae: et rursus quia ita exercent propria utrinsque, ac sic essent distinctae* [1].

Sed quia nonnisi ex creaturis res divinas cognoscere et nominare possumus, in creaturis autem absolutum et relativum actualiter distinguuntur, ideo absolutum et relativum in Deo nominamus tanquam actualiter in ipso distincta; dicimus enim cum S. Augustino [2]: *Si Pater non est aliquid ad se, non est ad aliud*: vel de Filio [3]: *Non eo Verbum, quo Sapientia*: sed huiusmodi locutiones non aliud significant, nisi quod, quia res illa eminens, et ratio formalis quae tum absolutum, tum relativum unitissime claudit, non valet a nobis intelligi prouti est a parte sui, ideo nec a nobis valet concipi ut una res et una ratio.

Articulus II. — *Utrum sit dicendum tres personas esse unius essentiae.*

1. — **Ratio articuli**. — Ponitur articulus iste contra instantias Arianorum qui, licet admitterent Filium esse similis naturae cum Patre, quod voce ὁμοιούσιος significabant, tamen nolebant agnoscere ipsum esse unius eiusdemque substantiae cum Patre, quod voce ὁμούσιος, aut ὁμοούσιος significatur, seu negabant Patrem et Filium esse unius eiusdemque essentiae. Qua de re, celebria sunt verba S. Augustini [4]: *Quid ergo haec Trinitas, nisi unius eiusdemque substantiae est?* Et paulo inferius [5]: *Pater ergo et Filius unius sunt eiusdemque substantiae. Hoc est illud* HOMOUSION, *quod in Concilio Nicaeno adversus haereticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est: quod*

[1] Caiet., Ibid. — [2] L. VII. DE TRIN., c. 1. — [3] IBID., c. 2. — [4] L. II. CONTRA MAXIM., c. 14, n. 2. — [5] N. 3.

postea in Concilio Ariminensi, propter novitatem verbi, minus quam oportuit, intellectum, quod tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, haeretica impietas sub haeretico imperatore Constantio labefactare tentavit. Sed post non longum tempus libertate fidei catholicae praevalente, posteaquam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, HOMOUSION *illud catholicae fidei sanitate longe lateque defensum est. Quid est enim* HOMOUSION *nisi unius eiusdemque substantiae? Quid est inquam, nisi:* EGO ET PATER UNUM SUMUS? Et iterum: *Deus,* ait, *de Deo natus, hoc est unius eiusdemque naturae.* Igitur, ad vindicandam contra detractores rectitudinem huius locutionis, ponitur

2. — PROP. **Recte dicitur, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unius eiusdemque essentiae.**

3. — **Arianorum obiectio.** — *Obiiciebant* ariani, nunquam in Scripturis Sanctis inveniri dictum quod tres personae sunt unius essentiae, ideoque respuendam esse hanc propositionem, iuxta illud quo vetatur affirmare aliquid de divinis quod auctoritate S. Scripturae non sit expressum [1]. Sed facile respondetur, propositionem illam, si non per explicita verba, saltem quoad sensum, esse in S. Scriptura contentam. Dicit enim Christus [2]: *Ego et Pater unum sumus,* et [3]: *Ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Atqui Patrem et Filium unum esse, iterumque Patrem esse in Filio et Filium in Patre, aliud non sunt, nisi Patrem et Filium esse unius eiusdemque naturae [4].

4. **Traditio.** — Hoc quidem ita intellexit *Patrum et Conciliorum* unanimitas. Sic, praeter S. Augustinum modo recensitum, habetur S. Damasus qui ait [5]: *Anathematizamus eos qui non tota libertate proclamant eum* (Spiritum Sanctum), *cum Patre et Filio, unius potestatis esse atque substantiae.* Pariter in Concilio Toletano VI legimus [6]: *Credimus et profitemur sacratissimam et omnipotentissimam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum solum, non solitarium.*

[1] L. DE DIV. NOM., c. 1. — [2] Io., X, 30. — [3] Vers. 38. — [4] Ad 2um. — [5] In PROF. FIDEI. — [6] C. 1.

unius essentiae, virtutis, potestatis, maiestatis, uniusque naturae. In Concilio quoque Bracarensi I habetur [1]: *Si quis Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non confitetur tres personas unius substantiae, virtutis ac potestatis, sicut catholica et Apostolica Ecclesia docet,... A. S.*

5. — γ) **Ratio theologica.** — Cum intellectus noster divina non nominet, nisi eo modo quo illa cognoscit, et divina non cognoscat, nisi secundum modum rerum creatarum sensibilium, ideo ad iudicandum de veritate huius propositionis, necesse est in mentem revocare qua ratione in hisce forma praedicatur de subiecto. Porro, in rebus sensibilibus hoc invenitur, quod natura speciei individuatur per materiam; et cum materia significet primum subiectum substans, hinc individuum dicitur subiectum, aut suppositum, aut hypostasis; ideoque natura se habet ut forma, individuum vero ut suppositum formae. Et hoc etiam in divina transferimus in quibus, licet non sit distinctio realis naturae et individui, tamen essentia significatur ut forma, individuum vero seu persona ut subiectum. Porro in rebus sensibilibus creatis, forma quaecumque, absolute accepta, dicitur esse eius cuius est forma: dicimus enim sanitatem vel pulcritudinem esse hominis alicuius. Unde, secundum hoc poterit dici in divinis quod *essentia divina est trium personarum.*

Rursus, in rebus creatis rem habentem formam non dicimus esse formae, nisi cum volumus determinare seu designare formam. Sed tunc requiritur adiectio alicuius genitivi, quod designet formam illam, sicut cum dicimus: *Homo est bonae indolis*, aut *pulcrae formae*, aut *magnae virtutis*. Quo in casu, unus genitivus significat formam, alius vero determinationem formae. Attamen, aliquando unus genitivus sufficit, et hoc est quando genitivus ille habet vim duorum genitivorum, sicut quando dicitur [2]: *Virum sanguinum... abominabitur Dominus*, aut [3]: *De viris sanguinum salva me*, aut [4]: *Vir desideriorum es*, quibus in locis, *vir sanguinum*, *vir desideriorum*, ponuntur pro: *vir effusor multi sanguinis*, *vir magnorum desideriorum*. Igitur essentia, seu forma divina

[1] C. 1. — [2] Ps., V, 7. — [3] Ibid., LVIII, 3. — [4] Dan., IX, 23.

poterit dici de tribus personis singulariter et cum particula determinante, *sic quod tres personae dicantur esse unius essentiae.* Singulariter quidem, quia multiplicatis personis, non multiplicatur essentia; cum particula autem determinante, scilicet *unius*, ut intelligatur genitivus construi in designatione formae. Et pari ratione potest dici: *Pater est persona divinae essentiae* [1].

6. — **Notanda.** — I. Circa huiusmodi S. Hilarii propositionem [2]: (Pater, et Filius et Spiritus Sanctus) *sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum*, observandum est, substantiam ibi poni pro hypostasi, non vero pro essentia; nec tam recte dici *tria* neutro genere, quia neutrum genus, utpote commune et informe, de se pro natura stat, non vero pro subsistenti [3].

II. Ita etiam, si quis dicat cum adversario S. Hilarii [4]: *Una substantia Patris et Filii praedicata, aut unum qui duas nuncupationes habeat subsistentem significat, aut divisam unam substantiam duas imperfectas fecisse substantias, aut tertiam priorem substantiam, quae a duobus usurpata sit et assumpta*, — animadvertendum est cum eodem S. Hilario [5], quod *male sanctis rebus praeiudicatur si, quia non sancte a quibusdam habentur, esse non debeant.* Sic, si *male intelligitur* HOMOUSION, *quid ad me bene intelligentem?* Et superius dixerat [6]: *Sit ergo una substantia ex naturae genitae proprietate, non sit autem ex portione, aut ex unione, aut ex communione* [7].

7. — **Quaestio I.** — *Potestne pariter dici quod tres personae sint* UNIUS NATURAE?

Resp. Potest quidem dici; nam natura non est aliud re ab essentia. Attamen, animadvertendum est quod natura, secundum vim suae significationis, designat potius principium actus, essentia vero ab essendo dicitur; ideoque ad hoc quod aliqua sint unius naturae, sufficit ut conveniant in aliquo actu, quin necesse sit quod eorum sit unum esse, sicut omnia calefacientia sunt unius naturae, ex eo quod conveniunt in actu calefaciendi, licet sint interdum valde

[1] Ad 4[m]. — [2] In EXPOS. FID. ANTIOCH. — [3] Ad 1[m]. — [4] L. DE SYNOD., n. 8. — [5] L. DE SYNOD. nn. 85 et 86. — [6] N. 71. — [7] Ad 6[m].

diversae essentiae. Quapropter, potius dicetur tres personas esse unius essentiae, quam unius naturae, non modo ad hoc ut ostendatur tres personas convenire in agendo, sed maxime ut innuatur quod est earum unum tantum esse [1].

8. — **Quaestio II.** *Potestne pariter dici quod tres personae sunt* EX *aut* DE *una essentia?*

Resp. Non potest ullo modo dici. Ratio est quia praepositiones *ex* aut *de* causam materialem aut efficientem significant; causae vero materialis et efficiens in omnibus distinguuntur ab his quorum causa existunt, nihil enim est sua materia aut suum principium activum. In Deo autem, sicut et in omnibus substantiis immaterialibus, subsistens est suamet forma seu causa formalis; unde cum dicitur tres personas esse unius essentiae, essentia significatur in habitudine formae seu causae formalis; ideoque non ostenditur aliud esse quam persona, quod ostenderetur, si diceretur quod tres personae sunt ex una essentia [2]. Similiter non poterit dici quod *tres personae sunt unius Dei*, aut *quod unus Deus sit trium personarum*, quia genitivus, qui est casus possessionis, in concretis importat distinctionem habiti ab habente, et ita Deus distingueretur contra personas, aut personae contra Deum, quod haereticum est.

ARTICULUS III. — *Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus personis.*

1. — **Ratio articuli.** — Quaestio hic est de praedicato essentiali, verbi gratia, *Deus*, singulariter accepto, relate ad subiectum personale in plurali, ut sunt tres personae, aut Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; ita quod quaeratur de veritate huius propositionis: *Tres personae sunt unus Deus*, aut: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unus Deus.*

Porro, quod tales propositiones verae sint et fide catholica tenendae, iam inchoative in tractatu de Deo Uno [3] demonstratum fuit, licet nondum aliquid de personis fuisset prola-

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 5[m]. — [3] Quaest. XI, a. 3.

tum; nam categorice dictum fuit quod esse unum Deum ratione et fide, fide, inquam, per accidens, tenetur. Quocirca, cum ulterior de Trinitate revelatio illam veritatem nullo modo mutare potuerit, tota nunc dubitatio versatur circa exponendam rationem, cur dici non possit tres personas plures deos esse.

Ad quod solvendum, praemittendum est, nominum quae essentiam significant, duplex esse genus: alia scilicet significant essentiam *substantive*, alia vero eamdem significant *adiective*.

2. - PROP. — α) **Nomina quae significant essentiam substantive praedicantur de tribus personis singulariter tantum**; β) **quae autem significant essentiam adiective praedicantur de tribus personis in plurali.**

3. — **Prima Pars.** — Vi prioris regulae, tres personae dicuntur unus Deus, sicut in hoc [1]: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Item [2]: *In Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo, qui factus est ei secundum carnem ex semine David*; pariter [3]: *Unus est Deus*; et [4]: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.* Similiter, in concilio Florentino, post enumerationem Sacrorum Librorum habetur: *Anathematizamus Manichaeorum insanias, qui duo principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium: et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse dixerunt.* Demum in Symbolo fidei legimus: *Credo in unum Deum Patrem, ...et in unum Dominum Iesum Christum Filium eius, ...et in Spiritum Sanctum Dominum.*

4. — **Secunda Pars.** — Vi secundae regulae, dicemus quod sunt tres existentes, tres sapientes, tres aeterni, tres increati, tres immensi, nisi quis huiusmodi vocabula velit substantive sumere, sicut substantive sumuntur in symbolo athanasiano, cum dicitur: *Non tres aeterni, ... increati, ... immensi, ... omnipotentes*, sed *unus aeternus, ... increatus, ... immensus, ... omnipotens.*

[1] Marc., XII, 29. — [2] Rom., I, 2. — [3] Rom., III, 30. — [4] Eph., IV, 5, 6.

5. — **Exponitur.** — Revera, nomina substantiva significant aliquid per modum substantiae, adiectiva vero per modum accidentis quod subiecto inhaeret.

Porro, quemadmodum substantia habet esse per se, ita et habet per se unitatem, seu multitudinem; et proinde, secundum quod forma significata per nomen multiplicatur, habetur etiam substantivi nominis multiplicatio, seu ponitur terminus numeralis circa ipsum. — Ubi tamen notandum est, id quod hic dicitur, nempe formae multiplicationem substantivi nominis multiplicationem inducere, intelligendum esse, dummodo habeatur etiam multiplicatio suppositi; unde sicut duae artes in uno Petro nomen substantivum in ipso non multiplicant, sic in hypothesi, aliunde possibili, quod Verbum assumpsisset duas naturas humanas, non tamen propterea dicendus foret duo homines [1], cum ibi non multiplicaretur hypostasis. Sed in praesenti non fit ulla mentio de multiplicatione suppositi, quia satis evidens est tres personas esse tria supposita; unde, tantummodo de formae multiplicatione secundum se fit sermo, et inculcatur conditio quod ad hoc, ut aliquod nomen substantivum pluraliter dicatur, requiritur ut adsit pluralitas formae [2].

At, non ita est de nominibus adiectivis. Cum enim huiusmodi nomina, ut dictum est, significent aliquid per modum accidentis, accidentia autem habeant unitatem vel multiplicitatem ex suppositis quibus inhaerent, ex quibus habent esse, hinc si multiplicentur supposita, multiplicentur etiam oportet nomina adiectiva.

6. — **Corollarium.** — Ex quibus iam licet consequentiam eruere: trium divinarum personarum est una forma seu essentia divina, quam multiplicare impium est: unde nomen substantivum singulare omnino esse debet, et sic Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus sunt, et dicendi sunt. Ex altera vero parte, sunt realiter tres hypostases, seu tria supposita: igitur tres habentes divinam essentiam, cum habens divinam essentiam adiectivum nomen sit, quod multiplicatur ad multiplicationem suppositorum. Et quaecumque alia

[1] 3. Quaest. III, art. 7, ad 2[m]. — [2] Cf. Caiet.

nomina adiectiva possunt fingi, in numero plurali attribuentur Deo, verbi gratia, infinitus, aeternus, omnipotens, ut dicantur tres infiniti, tres aeterni, tres omnipotentes, nisi ut dictum est, nomina ista substantive sumantur.

Quapropter, licet hoc nomen *Deus* significet habentem deitatem, tamen, quia alius est modus significandi in hoc nomine *Deus*, et in hoc nomine *habens deitatem*, siquidem *Deus* dicitur substantive, *habens deitatem* vero dicitur adiective, ideo tres personae unus quidem Deus dicuntur, at tres habentes divinam naturam [1].

7. — **Exemplum.** — Potest et huius rei aliquale exemplum in rebus creatis inveniri. Et quidem, si sermo sit de forma substantiali, quae est per se forma, utique non potest esse, puta, in pluribus hominibus, eadem numero forma substantialis, ut dicantur Socrates, Plato, Cicero, unus homo, quia natura illa humana seu essentia speciei humanae, quae est in Socrate, non est numero eadem ac illa quae est in Platone et in Cicerone. Ast, si sermo sit de aliqua forma accidentali, quae scilicet dat unitatem ordinis aut multitudinis ordinatae, sic plures homines dicuntur unus populus, unum collegium, una civitas. In quantum igitur forma, per hoc nomen substantivum significata, non multiplicatur in individuis, illudmet substantivum praedicatur de omnibus illis singulariter. Quod si substantivum mutetur in adiectivum, tunc, propter pluralitatem suppositorum, multiplicatur, ut dicantur plures collegiales, plures cives, etc.

8. — **Scholion.** Quia vocabulum istud, *res*, est unum de transcendentalibus, ideo latissimam habet significationem, ita ut possit non modo pro absoluto, sed etiam pro relativo supponere; unde dici poterit, tum quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una res, tum etiam quod sunt tres res. Et quidem secundum quod vox ista, *res*, supponit pro substantia, singulariter praedicabitur, ut cum S. Augustino [2] dicatur: *Trinitas quaedam summa res est*: secundum vero quod supponit pro relationibus, tres res erunt praedicandae,

[1] Ad 1[m]. — [2] L. I. de Doctr. Christ., c. 5.

iuxta eumdem S. Doctorem, dicentem [1]: *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, et Filius et Spiritus Sanctus* [2].

9. **Obiectiones.** — I. In libro Geneseos, pro eo quod in Vulgata nostra legitur [3]: *In principio creavit Deus coelum et terram*, hebraicus textus habet אֱלֹהִים, quod latine potest verti *dii*, vel *indices*, quod quidem ponitur propter personarum pluralitatem. Ergo tres personae sunt plures Dii et non unus Deus.

Resp. Quod hebraice pluralis numerus ponatur, debetur diversitati indolis illius linguae a lingua latina, sicut etiam diversitati indolis linguae graecae a latina debetur, quod Graeci tres hypostases dicunt in divinis, Latini autem non dicunt tres substantias. Ideo autem Latini se abstinent a dicendo pluraliter *Dii* aut *substantiae*, ne ista pluralitas ad substantiam ipsam referatur [4].

II. Nomen significans rem subsistentem in natura divina pluraliter dicitur in divinis. Atqui nomen *Deus* significat rem subsistentem in natura divina. Ergo pluraliter dicitur in divinis.

Resp. Dist. mai.: nomen significans rem absolutam subsistentem, etc., *nego*: rem relativam, *conc. Dist. min.*: nomen *Deus* significat rem absolutam subsistentem, *conc.*: relativam, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Res relativa est persona, et res significata per hoc nomen non est essentia aut natura, sed personalitas, seu proprietas personalis. Sunt autem tres personalitates seu proprietates personales, secundum distinctionem Patris et Filii et Spiritus Sancti; unde personalitates pluraliter praedicantur in divinis; nomen vero *Deus* significat essentiam, seu naturam, quae una est, unde hoc nomen pluraliter nequit dici [5].

Articulus IV. — *Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.*

1. — **Praenotamen.** — Praesentis articuli quaestio proponitur sub terminis diversis ab iis quibus fuerat proposita in conspectu generali totius quaestionis. Ibi quippe quae-

[1] Ibid. — [2] Ad 3[m]. — [3] I, 1. — [4] Ad 2[um]. — [5] Ad 4[m].

rebatur utrum adiectiva notionalia aut verba vel participia praedicari possint de nominibus essentialibus concretive acceptis; hic vero quaeritur utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona. At diligenter consideranti patebit discrepantiam esse solum in verbis,non in re. Revera, in hoc articulo disputatur utrum huiusmodi praedicata, verbi gratia, *generare* aut *generari*, *spirare* aut *spirari*, quae notionalia sunt et quae regulariter de personis dicuntur, possint dici de essentia, quod quidem idem est ac quaerere utrum nomina essentialia possint supponere pro persona, primo sumendo nomina ista *concrete*, et postea, ut fiet in articulo sequenti, *abstracte*: ita ut quaeratur utrum possit dici, primo: *Deus genuit Deum*, et secundo: *Deitas genuit Deum*. — Ad primum respondetur

2. — PROP. — **Nomina essentialia concreta possunt supponere pro persona.**

Huius veritatis duae excogitari possunt rationes, quarum tamen prior non est bona.

3. — **Ratio non probanda.** Quidam nonnisi ad rem significatam per hoc nomen, *Deus*, attendentes, consideraverunt quod hoc nomen et alia similia secundum suam naturam supponunt pro essentia; sed ex adiuncto notionali habent ut supponant pro persona: et quod hoc nomen, *Deus*, proprie secundum suam naturam supponat pro essentia, probabant ex maxima Dei simplicitate, in quo idem est Deus et habens Deitatem. — At huiusmodi ratio non est bona. Revera, in usu nominum non debemus attendere tantummodo ad rem significatam, verum etiam ad modum significandi. Ex modo autem significandi, habet hoc nomen, *Deus*, ut significet divinam substantiam ut in habente ipsam, quemadmodum hoc nomen, *homo*, habet ex modo significandi ut significet humanitatem in supposito, licet verum sit quod Deus significat deitatem, quae est idem cum habente deitatem.

Revera, si hoc nomen, *Deus*, ex vi suae significationis non haberet nisi quod supponeret pro essentia, nunquam posset supponere pro persona. Nam, quandocumque terminus aliquis non habet ex sui natura quod possit supponere pro

aliquo, non potest fieri ex additione cuiuscumque praedicati quod terminus ille supponat pro eo, sicut ex additione nullius praedicati fit quod homo supponat pro lapide. Quod si ex additione alicuius praedicati potest trahi ad supponendum pro aliquo, pro quo prius non supponebat, sicut ex additione praedicati, *genus*, homo supponit pro natura communi, et ex additione praedicati, *currit*, supponit pro particulari homine, cum actiones sint suppositorum, hoc signum est quod ex naturali modo significandi potest supponere modo pro uno, modo pro altero [1].

4. — **Vera ratio.** — Quocirca, melius dicendum est quod hoc nomen, *Deus*, et alia nomina essentialia, habent ex modo significandi, ut proprie possint supponere pro persona, sicut hoc nomen, *homo*, ex modo significandi habet ut proprie possit supponere pro habente humanitatem, seu pro persona humana.

5. — **Corollarium.** — Igitur, aliquando hoc nomen, *Deus*, habet quod supponat pro essentia, ut cum dicitur: *Deus creat*, quia creare competit Deo ratione formae significatae, scilicet essentiae divinae. Aliquando supponit pro persona, vel pro una tantum, ut cum dicitur: *Deus generat*, vel pro duabus personis, ut cum dicitur: *Deus spirat*, vel etiam pro tribus, ut cum dicitur [2]: *Regi saeculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.*

Quocirca, recte dicitur in Symbolo: *Credo in... Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero;* contra id quod Calvinus blasphemo ore asserebat, videlicet hoc esse ridiculosam battologiam [3]. Pariter: *Credo... in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum;* et hoc quidem cohaerenter ad dicta [4]: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, et [5]: *Ut simus in vero Filio eius*, scilicet Dei. Fides quoque catholica profitetur Beatam Virginem esse Matrem Dei. Ubi demum catholico cavenda est Calvini haeretica locutio, vocantis Filium *autotheum*, quo vocabulo videretur innui Filium non accipere naturam a Patre [6].

[1] Ad 2[m]. — [2] 1. Tim., I, 17. — [3] Prat. Trinitarii. — [4] Matth. XVI. 16. — [5] 1 Io., V. 20. — [6] Cf. Petav., de Trin., l. VI, c. 12.

6. – Solvitur difficultas. — Terminus singularis, ut aiunt sophistae, idem significat et supponit. Atqui, hoc nomen, *Deus*, est terminus singularis et significat essentiam. Ergo supponit pro essentia et non pro personis.

Resp. Dist. mai.: terminus pure singularis, *conc.:* terminus singularis qui convenit etiam cum terminis communibus, *nego. Dist. min.:* hoc nomen, *Deus*, est terminus pure singularis, *nego;* habet convenientiam cum termino communi, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Terminus iste, *Deus*, habet convenientiam cum terminis singularibus et cum terminis communibus. Cum terminis singularibus, quia forma significata hoc nomine, scilicet essentia divina, non multiplicatur in personis; cum terminis autem communibus, quia essentia divina pluribus suppositis communicatur. Et quia regula maioris valet tantum pro terminis pure singularibus, puta Petrus, ideo non est necesse quod hoc nomen, *Deus*, semper supponat pro essentia, sed potest etiam supponere pro persona [1].

7. — Quaestio I. — *Utrum sicut dicitur:* EST DEUS GENERANS, *ita etiam dici possit:* EST DEUS NON GENERANS ?

Prima fronte videretur affirmative respondendum, quia sicut ex eo quod Pater generat, dicimus: *Deus genuit Deum*, ita ex eo quod Filius non generat, videretur posse dici: *Deus non genuit.* At in contrarium habetur, quod ita essent plures Dii, scilicet Deus generans, et Deus non generans. Quocirca *negative* prorsus respondendum est.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod hoc nomen, *Deus*, in supponendo, in uno convenit cum nominibus naturarum creatarum, in altero vero ab eis discrepat. Convenit, verbi gratia, cum hoc nomine, *homo*, quia significat naturam ut in habente, unde potest supponere et pro essentia et pro persona. Discrepat vero, quia hoc nomen, *homo*, si nihil addatur exigens quod supponat pro natura communi, cum non habeat communitatem realem, sed tantum rationis, natura enim humana est divisa in pluribus suppositis, hinc semper supponit ex se pro supposito, et ex adiuncto tantum supponit pro natura communi, sicut cum dicitur: *Homo est species.* Sed hoc

[1] Ad 1[m].

nomen, *Deus*, e contra se habet. Quia cum natura divina sit communis non secundum rationem tantum, sed secundum rem, ideo semper de se supponit pro natura, nisi aliquid addatur, verbi gratia, aliquod adiunctum notionale, quod exigat quod supponat pro persona.

Igitur, quando dicitur: *Deus generat*, adiunctum notionale, propter sui exigentiam, trahit subiectum, *Deus*, ut supponat pro persona, scilicet Patris. Sed quando dicitur: *Deus non generat*, adiunctum non est notionale, sed mere negativum, ideoque non trahit hoc nomen, *Deus*, ut supponat pro persona, sed relinquit illud ut supponat pro essentia, et ita propositio falsitate laborat. Si autem addatur aliquid huic nomini, *Deus*, quo trahatur ad standum pro Filio, tunc propositio erit vera, verbi gratia: *Deus genitus non generat*. Aut si adderetur hisce locutionibus aliquid personale, profecto verae essent, verbi gratia, si diceretur: *Pater est Deus generans*, et: *Filius est Deus non generans* [1].

8. — **Quaestio II.** — *Estne dicendum:* DEUS GENUIT SE DEUM: *aut* DEUS GENUIT ALIUM DEUM?

Resp. Neutra propositio est bona. Non *prima*, quia aequivalet huic: *Pater genuit se Deum*; et cum ly *se* sit reciprocum, refert idem suppositum, et esset sensus: *Deus generat seipsum*, quod dici nequit quia, ut ait S. Augustinus [2], *nulla res generat seipsam*. — Quod si contra hoc adducatur quod ait idem S. Augustinus [3], scilicet quod *Deus Pater genuit alterum se*, respondetur quod in sententia Augustini ly *se* vel est casus ablativi, ut sensus sit: *Pater genuit alterum a se*, id est Filium, et vera est propositio; aut est casus accusativi, et tunc si sensus ita reddatur: *Pater genuit alterum eiusdem naturae cum se*, tunc propositio vera est, sed impropria et emphatica.

Pariter, nec *secunda* propositio admittenda est, quae huic aequivalet: *Pater genuit alium Deum*, quia licet genuerit Filium, qui est alia persona a se, Filius tamen non est alius Deus a Patre. Adiectivum enim illud, *alius*, ponens rem suam circa substantivum, id est circa Deum, daret intelligi quod in Filio est deitatis distinctio. — Quidam tamen hunc secundum locutionis modum admittunt, hoc sensu quod ly *alius* sit substantivum, et ly *Deus* appositive construatur cum eo,

[1] Ad 3[m]. — [2] L. I. DE TRIN., c. 1. — [3] EP. LXVI., CONTRA MAX.

ita quod sic reddatur: *Pater genuit alium, qui est Deus.* Sed hoc, licet verum sit, tamen non proprie dicitur; ideo locutio vitanda est, ne detur erroris occasio [1].

9. — Quaestio III. — *Utrum dici possit:* Deus genuit Deum qui est Deus Pater?

Resp. Negative. Quia cum ly *Pater* appositive construatur cum ly *Deus*, restringit ipsum ad standum pro persona; et sic sensus esset: *Deus genuit Deum qui est ipse Pater*, unde daretur intelligi quod Pater sit genitus. Si tamen *Pater* non intelligeretur appositive construi cum ly *Deus*, ita quod aliquid interponeretur, propositio vera redderetur, ita: *Pater genuit Deum, qui est Deus, qui est Pater*; sed haec expositio est extorta. — Ubi S. Doctor Praepositivum arguit quod dixerit tam recensitam propositionem, quam eius negationem esse falsas. Ratio autem qua movebatur Praepositivus erat, quia relativum *qui*, in affirmativa, potest referre suppositum, et sic esse Deum Patrem conveniret personae Filii; in negativa autem refert et significatum et suppositum, et sic esse Deum Patrem removeretur non modo a persona Filii, sed etiam a divinitate eius. Arguitur autem Praepositivus, quia cum de eodem possit esse affirmatio et negatio, relativum *qui*, tum in affirmativa, tum in negativa, refert suppositum, ideoque affirmativa est falsa, et negativa est vera, scilicet: *Deus genuit Deum, qui non est Deus Pater* [2].

Utile fuit expendere omnes istos dicendi modos, non tam ut omnibus istis theologus utatur, quam ut normam habeat qua duci possit in expositione talium sententiarum, sicubi in scriptis Patrum inveniantur; ne quis inde occasionem arripiat catholico dogmati calumniandi.

Articulus V. — *Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.*

1. — Error abbatis Ioachim. — Saeculo XII celebris extitit sententia abbatis Ioachim, fundatoris Ordinis Florae, qui posuit quod nomina essentialia, in abstracto sumpta,

[1] Ad 4[m]. — [2] Ad 5[m].

possunt supponere pro persona, non secus ac nomina essentialia concrete accepta, ita quod possit dici quod *essentia generat essentiam*, sicut dicitur quod *Deus generat Deum*. Huius autem suae opinionis rationem dabat, quia Deus simplicissima res est, in qua non est aliud Deus quam divina essentia; unde nomina *Deus* et *essentia* possunt ita sumi, ut unum eorum supponatur pro omni eo pro quo supponit aliud.

2. — **Reprobatio.** — At abbas Ioachim deceptum se exhibet, in eo quod solum attenderit ad res significatas, et non ad modum significandi. Porro, ad veritatem locutionum, non solum oportet primum considerare, sed etiam secundum; et licet res significatae idem sint, idem enim est Deus quod deitas, non tamen est idem modus significandi utrobique. Nam nomen *Deus* significat essentiam divinam ut in habente, ideoque ex modo suae significationis naturaliter habet quod possit supponere pro persona, ut dicatur, verbi gratia, *Deus est generans*. Sed nomen *essentia* significat essentiam ut formam abstractam, ideoque ex modo suae significationis naturaliter non habet quod possit supponere pro persona. Hinc de divina essentia praedicari nequeunt ea quae de personis praedicantur, secus daretur intelligi quod essentia sit distincta, sicut personae distinctae sunt.

Quocirca merito potest dici sententia abbatis Ioachim implicite proscripta in his verbis concilii Lateranensis IV [1]: *Illa res* (essentia divina) *non est generans, neque genita, nec procedens. Sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit* [2]. Ubi quidem directe reprobatur error *Tritheismi*, ad quem Ioachim sententia ducebat, et qui in hoc reponebatur quod tres Deos esse in Trinitate assereret; indirecte vero arcetur inordinatus loquendi modus quem Ioachim usurpaverat. Pariter potest dici damnata talis sententia a Concilio Toletano I dicente [2]: *Si quis dixerit vel crediderit deitatem nascibilem esse, A. S.*

3. PROP. — **Nomina essentialia in abstracto non**

[1] Cap. 2, *Damnamus*. — [2] C. 21, De regulis fidei cath. ex praecepto Leonis Papae emissis.

possunt supponere pro personis, ideoque nequit dici quod essentia generat essentiam.

4. — **Prob.** — Nomina significantia essentiam divinam ut formam abstractam nequeunt supponere pro personis. Atqui nomina essentialia in abstracto significant essentiam divinam ut formam abstractam. Ergo nequeunt supponere pro personis.

Minor est ipsamet definitio nominum essentialium in abstracto. *Maior* constat, quia secus significaretur distinctio in divina essentia, sicut est distinctio in personis: unde si diceretur quod essentia generat et generatur, significaretur aut distinctio essentiae genitae ab essentia generante, aut quod essentia generat seipsam, contra illud S. Augustini [1]: *Nulla res generat seipsam.*

5. — **Confirmatur.** — I. Tunc posset essentia divina supponere pro Patre, si praedicaretur de Patre ut universale de particulari, sicut quando dicimus: *Homo est animal*, id quod de animali praedicatur potest praedicari de homine. Sed essentia divina praedicatur de Patre identice, cum diverso tamen modo significandi; ideoque aliqua possumus praedicare de Patre, quae de essentia nequeunt praedicari, sicut de homine potest dici quod currit, non autem de humanitate [2].

II. Iterum, ita locutio: *Essentia generatur*, posset sustineri, si genitum acciperet aliud numero esse ab esse generantis, sicut in nobis accidit: nam quando aliquid generatur penes nos, in quibus generantis natura non eadem numero accipitur quae est in generante, potest dici quod natura generatur, non quidem per se sed per accidens, sicut dicitur quod corrumpitur, non per se sed per accidens, scilicet ad corruptionem rei; sed in divinis genitus accipit eamdem identice naturam quam generans habet, ideoque nulla ratione potest dici quod natura divina generatur, sive per se, sive per accidens [3].

6. — **Scholion.** — Si quando apud sanctos Doctores talis locutio citra proprietatem usurpata fuisse inveniatur, non

[1] L. I, de Trin., c. 1. — [2] Ad 4[m]. — [3] Ad 2[m].

erit extendenda, sed potius benigne exponenda, sic ut nomina abstracta exponantur per concreta aut per nomina personalia, ut in ista S. Augustini sententia [1]: *Pater et Filius sunt una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia*, quae ita intelligenda sunt, quod Filius, qui est essentia et sapientia, sit de Patre qui et ipse est essentia et sapientia. — Notat tamen S. Doctor in hisce locutionibus esse aliquem ordinem attendendum, ut quia ea quae pertinent ad actum magis propinque se habent ad personas cum actus sint suppositorum, minus improprium sit dicere: *Natura de natura*, vel *sapientia de sapientia*, quam *essentia de essentia* [2].

7. — **Quaestio I.** — *Utrum possit dici quod* ESSENTIA SIT RES GENERANS *et* RES NON GENERANS?

Resp. Affirmative ad utrumque. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod nomina personalia et notionalia alia sunt substantiva, ut Pater, Filius, alia adiectiva, ut generans, spirans. Quae, praeter ea quae superius assignata sunt, in hoc quoque inter se differunt, quod nomina substantiva ferunt secum suum suppositum, adiectiva autem non ferunt, sed ponunt rem quam significant circa substantivum; unde aiunt Sophistae quod nomina substantiva supponunt, adiectiva vero non supponunt, sed copulant tantum. Igitur, quia nomina personalia et notionalia substantiva in divinis trahunt essentiam ad standum pro supposito, ideo possumus dicere quod *essentia est Pater et Filius*. Quia vero nomina adiectiva copulant tantum et non ferunt secum suum suppositum, ideo nequit dici quod *essentia generat aut spirat*, quia daretur intelligi quod essentia, abstracte sumpta, generat. Poterit tamen dici, si addatur aliquod substantivum trahens essentiam ad standum pro supposito: et quia nomen rei, cum sit transcendentale, potest supponere tum pro essentia, tum pro persona, ideo dici potest quod *essentia sit res generans*, ubi ly *res* est personale et substantivum propter ly *generans*, ideoque supponit pro persona. Pariter, dicetur quod *essentia sit res non generans*, ubi ly *res* stat pro essentia:

[1] L. VII, DE TRIN., cc. 1 et 2. — [2] Ad 1um.

generare enim non convenit essentiae in abstracto significatae [1].

8. - **Quaestio II.** — *Quisnam sit sensus huius propositionis S. Augustini* [2]: PATER EST PRINCIPIUM TOTIUS DEITATIS ?

Resp. Per hoc nomen *deitas*, non debet hic intelligi essentia divina distincta a personis, secundum rationem: deitas enim sic accepta non habet principium. Sed debet intelligi ipsa *personarum universitas*, quia nomen deitatis habet aliquam convenientiam cum nominibus collectivis, qualia sunt senatus, populus, etc., deitas enim est in pluribus suppositis; unde sensus S. Augustini est quod Pater sit principium totius universitatis personarum; ex quo tamen non sequitur quod sit principium sui ipsius, sicut ex eo quod aliquis de populo dicitur rector populi, non sequitur quod sit suimet-ipsius rector. Aliam quoque interpretationem subnectit S. Doctor, scilicet quod dictum S. Augustini sit interpretandum non eo sensu quod Pater generet aut spiret deitatem, sed quia generando et spirando communicat eam Filio et Spiritui Sancto [3].

ARTICULUS VI. — *Utrum personae possint praedicari de nominibus essentialibus.*

1. **Ratio articuli.** — Quaestio haec est de nominibus essentialibus, tum abstracte tum concrete acceptis, seu quaeritur utrum dici possit, tum: *Essentia divina est Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, tum: *Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, aut Trinitas.*

Fertur Gilbertus Porretanus hanc propositionem: *Deus est Trinitas*, negasse, eo ductus, quod in hac propositione ly *Deus* pro nullo suppositorum sit vera. Sed attendere debuisset quod ly *Deus* ex nativa sua indole naturaliter et primo habet quod stet pro essentia; ideoque sit

2. PROP. — **Personae possunt praedicari de nominibus essentialibus, tum in abstracto, tum in concreto.**

[1] Ad 5[m]. — [2] L. VI. DE TRIN., c. 20. — [3] Ad 6[m].

3. — **Auctoritas.** — S. Augustinus ait [1]: *Credimus unum Deum unam esse divini nominis Trinitatem.* Pariter, Concilium Toletanum XI, in pronunciatione fidei catholicae habet: *Recte dici potest: Unus Deus est Trinitas.* Cui consonat Concilium Constantinopolitanum VI [2]: *Trinitatem in Unitate credimus, et in Unitate Trinitatem glorificamus.* Pariter, in liturgia Ecclesiae canitur:

Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus.

4. — **Ratio theol.** - Personae omnes et tres simul, cum sint idem cum essentia divina, et substantive dicantur, praedicari queunt de essentia, quia licet nomina adiectiva notionalia praedicari non valeant de essentia, tamen nomina substantiva, quae scilicet realem identitatem cum divina essentia habent, de ipsa praedicari possunt. Porro, ea quae de essentia praedicantur, praedicari possunt etiam de nominibus essentialibus concretis, quia nomina essentialia concreta habent per se ut possint supponore pro essentialibus. Deus enim primo et per se supponit pro essentia; essentia vero divina non solum est idem realiter cum una persona, sed cum tribus. Unde sicut haec propositio: *Essentia est tres personae*, est vera, ita etiam vera est haec altera: *Deus est tres personae.*

5. - **Difficultas.** — Haec propositio: *Homo est omnis homo*, falsa est. Ergo et haec altera: *Deus est Trinitas.* — *Antecedens* probatur, quia nec Socrates est omnis homo, nec Petrus, nec quilibet alius; et ita, quia pro nullo suppositorum propositio verificari potest, est falsa. *Consequentia* patet, quia sicut se habet homo ad omnem hominem, in se habet Deus ad Trinitatem.

Resp. Nego consequentiam. — Non enim ita se habet homo ad omnem hominem, sicut Deus ad Trinitatem. Nam hoc nomen, *homo*, per se habet ut supponat pro persona, et solummodo ex adiuncto habet quod supponat pro natura

[1] Serm. II in Coen. Dom. — [2] Act. XI.

communi; unde propositio: *Homo est omnis homo*, est falsa, quia pro nullo supposito verificari potest. Sed, e contra, hoc nomen, *Deus*, per se habet quod stet pro essentia, et ex adiuncto habet quod stet pro persona Unde, licet pro nullo suppositorum divinae naturae verificetur haec propositio: *Deus est Trinitas*, tamen est vera pro essentia, pro qua primo supponit hoc nomen, *Deus* [1].

6. — **Quaestio.** — *Utrum haec propositio:* DEUS EST PATER, *sit vera per se, an per accidens?*

Resp. Est vera per se, et nullo modo per accidens. Et quidem videretur prima fronte quod sit vera per accidens, quia inferius non praedicatur de suo superiore, nisi per accidens, ut cum dico: *Animal est homo*, Deus autem videtur se habere ad tres personas sicut superius ad inferiora. Attamen, solvitur haec ratio animadvertendo quod in divinis non est aut superius, aut inferius, aut universale, aut singulare; unde haec praedicatio: *Deus est Pater*, est praedicatio per identitatem, ideoque omnino per se, et nullo modo per accidens [2].

7. **Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti S. Ioannis Damasceni verba, dicentis quod essentia significat speciem communem et complectentem personas eiusdem speciei, ut Deus, aut homo, hypostasis autem declarat individuum, scilicet Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, aut Petrum et Paulum [3], — *respondetur*, Damascenum hic loqui secundum nostrum intelligendi modum, quo concipimus essentiam ut speciem communem multis communicabilem; revera autem essentiam, licet individuis communicetur, tamen non communicari eo modo quo penes nos natura speciei communicari solet, scilicet distincta numero in individuis, et in ipsis multiplicata, sed una et simplicissima manens.

8. — **Scholion.** — Cum deitas sit res altissima quae simul utrumque comprehendit, scilicet absolutum et respectivum, quemadmodum dicitur: *Deus est unus et trinus*, ita dici potest: *Deitas est Unitas et Trinitas*. Quod si haec locutio ali-

[1] Ad 1[m]. — [2] Ad 2[m]. — [3] L. II. DE FID. ORTHOD., c. 4.

quando proscripta fuit, in causa exstiterunt haereticorum abusus. Sic concilium Bracarense I, sub Honorio I, habet [1]: *Si quis nomina introducit, dicens quod divinitas sit Trinitas, sicut Gnostici et Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

Articulus VII. — *Utrum nomina essentialia sint approprianda personis.*

1. — **Ratio articuli.** — Duo, ut supra dictum est, complectitur praesens quaestio: alterum, de comparatione inter personas et essentiam facienda in ordine rerum; alterum vero, de eadem comparatione in ordine intentionum instituenda. Et primum quidem fuit praestitutum, cum dictum est essentiam et personas re quidem idem prorsus esse, distingui tamen ratione, dum personae inter se realiter distinguuntur; alterum vero complecti debebat non modo comparationem secundum ordinem praedicationum, scilicet vel essentiae de personis, vel notionalium aut etiam personalium de essentia, sed etiam comparationem secundum ordinem cognitionis, in quantum scilicet ex cognitis essentialibus attributis, mens devenire possit ad cognitionem eorum quae uniuscuiusque personae propria sunt. Hic igitur, sub duobus distinctis articulis, de appropriatione agendum erit, ut decernatur, *primo*, quid sit et utrum liceat appropriatio, *secundo* vero, qua ratione, iuxta maiorum instituta, haec fieri debeat.

2. — **Quid sit appropriatio.** — Quia in cognitionem ignoti devenimus par notiora nobis, ideo, quemadmodum in cognitionem divinae essentiae ex creaturis devenimus, ita in cognitionem divinarum personarum possumus assurgere ex essentialibus attributis. Igitur *manifestatio divinae personae per essentialia attributa* est id quod intelligitur sub nomine *appropriationis*: ita quod essentialia attributa, nobis ex creaturis prius cognita, fiant via ad melius cognoscenda *propria* personarum, iam aliunde nota. Hinc constat appropriationem non esse idem ac notionem: haec enim est ratio cognoscendi divinam personam ex propriis, illa vero ex essen-

[1] Can. 2

tialibus attributis appropriatis; quinimmo cognitio personarum per appropriationem distinguitur ab illa cognitione quae, data mysterii revelatione, eruitur ex similitudine, aut imaginis in nobis, aut vestigii in rebus ratione carentibus.

3. — PROP. — **Licite possunt essentialia attributa personis appropriari.**

4. — **Auctoritas.** — Imprimis, Sacra Scriptura plura personis singulis identidem appropriat; verbi gratia, S. Paulus [1] nominat *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Praeterea, invenitur res ista in ore omnium fidelium, quibus etiam Ecclesiae accedit auctoritas, ut attribuatur, puta, Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas.

5. — **Rat. theol.** — Ratio quoque id licite fieri posse suadet, cum inter attributa essentialia, nonnulla maiorem affinitatem habere videantur cum propriis personarum, propter uniuscuiusque formalem rationem. Nec ex hoc sequitur error in fide, cum essentialia attributa non sic divinis personis approprientur, ut esse eis propria adserantur, sed tantum ad earumdem manifestationem [2].

6. — **Verba Leonis XIII.** Appropriationem hanc ita describit Leo XIII [3]: *Aptissime Ecclesia, ea divinitatis opera, in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita personis divinis communia non sint: sunt enim indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia* [4], *quia, uti tres personae divinae inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur* [5]: *verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate, quae inter ipsa opera et personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicantur, sive, ut aiunt, appropriantur.* Ubi tamen notetur, appropriationem non esse faciendam citra, multo minus contra Patrum et Ecclesiae magisterium, secus in turpissimos errores quis labatur oportet, ut Ioachimitis accidit.

[1] 1. Cor., I, 24. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ep. Encycl. *Divinum illud*, 9 maii. 1897. — [4] S. Aug., de Trin., l. I, cc. 4 et 5. — [5] S. Aug., Ibid.

7 — **Ioachimitarum haeresis.** — Novatores isti, in Concilio Arelatensi, anno 1260 celebrato, damnati, sic vocati sunt, quod doctrinam quamdam profiterentur, in aliquibus erroribus celebris Abbatis Ioachim fundatam. Haec autem doctrina continebatur in quodam libro, Ioanni Parmensi, Generali Fratrum Minorum, adscripto, cui titulus erat *Evangelium aeternum*. Huius doctrinae summa erat quod, ab anno 1260, quem signatum contendebant in hoc Apocalypseos [1]: *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis*, praedicandum foret novum quoddam evangelium, scilicet evangelium Spiritus Sancti, tanto vetere evangelio superius, quanto sol lunae praestat.

Ioachimitae igitur, teste eodem Arelatensi concilio, appropriationis doctrina abutentes, in concordantiis suis, ternarios quosdam numeros ponebant, quibus unum aut aliud uni, alterive personae attribuebant: realiter tamen hoc intendebant, ut redemptionis effectum diminuerent et certo temporis spatio concluderent, quo Spiritus Sancti manifestationem et operationem plus aequo extollerent. Ita, Patrem in Veteri Testamento operatum fuisse dicebant, Filium vero in Novo, Spiritum Sanctum autem in Testamento ab eodem anno 1260 incepturo operaturum deinceps splendidiori modo affirmabant. Hanc autem doctrinam his et similibus locis firmare conabantur [2]: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; iterum [3]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Actioni autem vivificatrici Spiritus Sancti spatium mille annorum [4] tribuebant, post quos annos solvetur Satanas de carcere suo.

Sed et aliud comminiscebatur, scilicet Veteris Legis tempus, quod Patri attribuebant, hominum coniugatorum sub lege fuisse, tempus vero Novi Foederis, quod Filio ap-

[1] XI, 3. *Per milleducentos sexaginta dies de quibus fit mentio in Apocalypsi*, ait S. Thomas (4. Dist. XLIII. Quaest. 1. art. 3 vol. II. ad. 2[m]). *significatur omne tempus in quo Ecclesia durat, et non aliquis determinatus numerus annorum: et hoc ideo, quia praedicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio quod tempus vere continet aequalem numerum dierum numero praedicto.* — [2] Io., V, 17. — [3] Ibid., XVI, 13. — [4] Cf. Apoc., XX, 3, 7.

propriabant, clericorum sub gratia exstitisse dicebant: tertium vero celebrius, monachorum fore sub plenitudine gratiae Spiritus Sancti. Rursus, insanientes aiebant in primo tempore homines secundum carnem vixisse; in secundo, secundum carnem et spiritum; in tertio vero superventuro, victuros esse secundum purum spiritum [1]. Isti igitur tam peregrinas doctrinas ideo profitebantur, quia appropriationem facere praesumebant, non iuxta normas ab Ecclesia et Patribus traditas.

8. — **Recentiorum error.** — Huic errori haud dissimilis est eorum doctrina qui, tanquam uberiora praedicantes nunc quam elapsis temporibus charismata Spiritus Sancti in animis fidelium, docent hos, nemine mediante, ab eodem Spiritu Sancto doceri atque agi, quem errorem proscripsit Leo XIII [2]. Huc quoque faciunt eiusdem Pontificis verba [3]: *Quae ita cum sint, nequaquam comminisci et exspectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque divini Spiritus manifestationem et ostensionem: quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit, quoad Ecclesiae contingat, ut militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.* — Refert autem quammaxime ut ab huiusmodi falsae appropriationis vitio unusquisque fidelium abhorreat, maxime cum hodiedum, data omnibus quidquid in mentem subeat scribendi licentia, ii potissime qui ephemerides conscribunt adaptare consueverint facta tum praeterita, tum etiam futura, suae praeconceptae opinioni, quo fit ut magnum apud imperitum vulgus plausum sibi concilient.

9. **Modus appropriationis faciendae.** - Porro, divinae personae possunt per attributa essentialia dupliciter manifestari. Uno modo, per viam *similitudinis*; alio modo, per viam *dissimilitudinis*. Per viam quidem similitudinis, sicut ea quae ad intellectum pertinent Filio appropriantur, qui procedit per modum intellectus, ut Verbum Patris. Per viam autem dissimilitudinis, quemadmodum, ut ait S. Augustinus, poten-

[1] Cf. 1 2ae, Quaest. CVI, art. 4. — [2] Ep. *Testem benevolentiae*, ad Archiep. Baltimorensem; 22 ian., 1899. — [3] Encycl. *Divinum illud*.

tia Patri appropriatur, quia apud nos patres solent esse debiles et infirmi propter senectutem; et ideo Patrem vocamus omnipotentem, ne quid infirmitatis suspicemur in ipso. — Qua autem formali ratione appropriatio fieri debeat manifestabit sequens

10. — **Difficultas.** — Si essentialia attributa appropriantur personis, verbi gratia, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, cum nomina essentialia, maxime in abstracto, significent per modum formae, quando dicemus: Filius est sapientia Patris, et Spiritus Sanctus bonitas utriusque, sequetur quod Filius erit forma Patris, et Spiritus Sanctus forma utriusque. Sed una persona non potest esse forma alterius, cum personae supposito distinguantur, et forma non distinguatur supposito a persona. Ergo essentialia attributa nequeunt personis appropriari. — *In forma:* Quae significant per modum formae, non sunt approprianda personis. Atqui attributa essentialia, maxime in abstracto, significant per modum formae. Ergo non sunt approprianda personis.

Resp. Haec ratio supponit quod ista attributa appropriantur uni personae, ita quod alteri non conveniant. Quod quidem si ita foret, si scilicet sapientia ita appropriaretur Filio, quod sibi soli conveniret primo, tunc dicendo quod Filius est sapientia Patris, necessario sequeretur quod Filius esset forma Patris, et Pater diceretur *sapiens sapientia quam genuit*, quod reprobat S. Augustinus [1], quia per hoc daretur intelligi quod solus Filius sit sapientia, et sic quod Pater et Filius simul tantum possint dici sapientia, non autem Pater sine Filio. Sed huiusmodi essentialia attributa ita appropriantur uni personae, quod etiam alteri convenire ponuntur, ut sic, quando dicitur Filius sapientia Patris, non sit sensus quod Pater sit sapiens sapientia genita, quasi forma denominante ipsum; sed sensus est quod Pater est sapiens sapientia quae quidem est sua essentia, licet dicatur Filius sapientia Patris, hoc sensu, quia est sapientia *de Patre sapientia*, ita quod uterque sit per se sapientia, et simul ambo una sapientia. — Unde ad argumentum, in forma, *resp. Dist.*

[1] L. VI, DE TRIN., c. 2.

mai.: si essentialia attributa appropriantur personis per modum formae uni personae exclusive propriae, *conc.*: per modum formae tribus personis communis, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* [1].

11. — **Quaestio.** — *Utrum essentialia appropriata sint priora secundum nostrum modum intelligendi ipsis propriis personarum?*

Respondetur, duplici modo posse attributa essentialia considerari. *Uno modo*, secundum propriam rationem, id est, ut essentialia sunt, et tunc secundum modum intelligendi priora sunt propriis personarum. *Alio modo*, ut sunt appropriata, et ita vice versa propria personarum priora sunt secundum intelligentiae rationem ipsis appropriatis. Exemplum haberi potest in corpore albo: nam corpus album, secundum propriam corporis rationem, naturaliter prius est albedine, sicut substantia prior est accidente; sed tamen albedo prior est ipso corpore albo, id quantum est album [2].

12. — **Scholion.** Signanter contra Ioachimitas faciunt sequentia verba S. Thomae [3]: *Lex Vetus non solum fuit Patris sed etiam Filii, quia Christus in Veteri Lege figurabatur, unde Dominus dicit* [4]: SI CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI, DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT: *similiter etiam Lex nova non solum est Christi, sed etiam Spiritus Sancti, secundum illud* [5]: LEX SPIRITUS VITAE IN CHRISTO IESU, *etc.*: *unde non est exspectanda alia lex quae sit Spiritus Sancti.*

ARTICULUS VIII. — *Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.*

1. — **Generalis expositio.** — Quia intellectus noster ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, ideo naturalis intellectus nostri indoles in eo sita est, quod Deum consideret secundum modum quem ex creaturis assumit. Porro, in

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. — [3] I, 2[ae], Quaest. CVI, art. 4, ad 3[m]. — [4] Io., V, 46. — [5] Rom., VIII, 20.

alicuius creaturae consideratione, quatuor per ordinem nobis occurrunt: α) considerari debet res ipsa absolute, nempe prout est *ens quoddam*; β) deinde debet considerari prima passio rei, scilicet *unitas*; γ) postea considerari debet res ipsa in quantum inest ei *virtus ad operandum* et causandum; δ) demum considerari debet secundum *habitudinem* quam habet *ad causata*.

Pariter, circa Deum et divinas personas, quadruplex occurrit consideratio. Scilicet, divinae personae considerari debent, secundum suam α) entitatem, β) unitatem, γ) virtutem operativam, δ) habitudinem ad causata. Hinc quadruplex via aperitur ad dignoscenda attributa essentialia personis approprianda, quibus divinae ipsae personae manifestari valeant.

2. – PRIMA VIA. — **Consideratio divinarum personarum prout sunt res quaedam.**

3. — PROP. – **Si divinae personae considerentur secundum suam entitatem, tunc: I. Patri attribuitur aeternitas; II. Filio species sive pulcritudo; III. Spiritui Sancto usus.**

4. — **Auctoritas S. Augustini.** — Hanc veritatem ita tradit S. Augustinus[1]: *Quidam* (id est S. Hilarius), *cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria,* AETERNITAS, *inquit, in Patre,* SPECIES *in imagine,* USUS *in munere. Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum et assertione fidei vir exstitit Hilarius enim hoc in libris suis posuit, horum verborum, id est* PATRIS ET IMAGINIS, ET MUNERIS — AETERNITATIS, ET SPECIEI, ET USUS *abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eum secutum arbitror in* AETERNITATIS *vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est ut sit atque ut illi coaeternus sit. Imago enim, si perfecte implet illud cuius imago est, ipsa coaequetur ei, non illud imagini suae. In qua imagine* SPECIEM *nominavit, credo, propter pulcritudinem, ubi iam est tanta congruentia, et prima aequalitas et prima similitudo*

[1] L. VI, DE TRIN., c. 10.

nulla in re dissidens, et nullo modo inaequalis, et nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei cuius imago est. Ubi est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse ; sed idem est esse et vivere. Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia : tanquam Verbum perfectum cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium incommutabilium ; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus quae fecit per ipsam ; et ideo cum decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiae Dei. Non enim haec quae creata sunt, ideo sciuntur a Deo quia facta sunt : ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter Deo sciuntur. Ille igitur ineffabilis quidem complexus Patris et imaginis non est sine perfruitione, sine caritate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur, USUS *ab illo appellatus est breviter ; et est in Trinitate Spiritus Sanctus non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate ac ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant, et locis suis acquiescant.*

5. **I. Aeternitas appropriata Patri.** — Aeternitas habet similitudinem cum proprio Patris, quia significat *esse* non principiatum. Patris autem proprium est esse *principium* non de principio. Ergo convenienter aeternitas Patri appropriatur.

6. **II. Species appropriata Filio.** — De ratione speciei seu pulcritudinis tria sunt : α) integritas seu perfectio : quae enim diminuta sunt, turpia dicuntur ; β) debita proportio, seu consonantia ; γ) claritas : quae enim habent nitidum colorem pulcra dicuntur. — Porro, propria Filii sunt, esse α) Filium, β) Imaginem, γ) Verbum. Igitur species seu pulcritudo convenit secundae personae, quia α) in quantum est *Filius*, habet in se integre et perfecte naturam Patris ; ad quod innuendum, S. Augustinus ait [1] : *Ubi* (scilicet in Filio) *est prima et summa vita, cui non est aliud vivere* et *aliud esse*, etc. Rursus β) in

[1] L. cit.

quantum est *imago* expressa Patris, perfecte illum repraesentat; siquidem habet maximam cum Patre consonantiam; unde idem S. Augustinus ait [1]: *Ubi iam est tanta congruentia et prima aequalitas*, etc. Demum γ) in quantum est *Verbum*, lux est; verbum enim est lux et splendor intellectus, ut Damascenus ait [2]; unde addit S. Augustinus [3]: *Tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei.*

7. - **III. Usus appropriatus Spiritui Sancto.** — Usus, prout appropriatur Spiritui Sancto, hic large sumitur, secundum quod uti comprehendit sub se etiam frui, prout uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, et frui est cum gaudio uti, ut ait S. Augustinus [4]. Porro Spiritus Sancti propria duo sunt: quod sit *Amor*, et quod sit *Donum*. Usus quoque dupliciter sumitur: α) prout est in divinis, quo scilicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus se invicem fruuntur; β) prout est in nobis, quo nos fruimur divina persona. Igitur, secundum quod usus sumitur prout est in divinis, habet convenientiam cum proprio Spiritus Sancti, prout est Amor. *Illa ergo dilectio*, ait S. Augustinus [5], *delectatio, felicitas vel beatitudo, usus ab illo appellatus est.* Secundum vero quod usus sumitur prout in nobis est, similitudinem habet cum proprio Spiritus Sancti, prout est Donum. *Est in Trinitate Spiritus Sanctus*, ait S. Augustinus [6], *non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate ac ubertate perfundens omnes creaturas.*

8. **Scholion.** — Exinde apparet ratio quare non omnia quae sunt communia tribus personis, ipsis approprientur, verbi gratia, *essentia* aut *operatio*. Ad hoc enim ut aliquid approprietur, necesse est ut habeat similitudinem cum propriis personarum. Et *aeternitas* quidem, quae non modo significat durationem essendi, sed etiam principii carentiam, habet similitudinem cum proprio Patris; *species*, quae non solum significat principium essendi, sed etiam pulcritudinem, habet similitudinem cum proprio Filii; *usus* autem qui non solum significat operationem, sed specialiter fruitionem, habet

[1] Ibid. — [2] L. I, Orthod. Fid., c. 8. — [3] Ibid. — [4] L. X, de Trin., c. 11. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

quamdam similitudinem cum proprio Spiritus Sancti. *Essentia* vero, et *operatio*, vel quidquid sit huiusmodi commune in divinis, cum non habeat similitudinem cum proprio alicuius personae, appropriari nequit [1]; unde respuenda etiam est haec a Raymundo Lullo excogitata appropriatio [2]: *In divinis sunt tres personae, nec plures, nec pauciores : scilicet uniens, unibilis et unire ; deificans, deificabilis, deificare ; aeternificans, aeternificabilis, aeternificare.*

9. — SECUNDA VIA. **Consideratio divinarum personarum secundum earum unitatem.**

10. — PROP. **Si divinae personae considerentur secundum earum unitatem, I. unitas convenienter appropriatur Patri ; II. aequalitas Filio ; III. connexio Spiritui Sancto.**

11. — **I. Unitas appropriata Patri.** — Pater, cum sit *principium non de principio*, non praesupponit aliam personam. Sed unitas dicitur absolute, non praesupponens aliud. Ergo unitas convenienter appropriatur Patri.

12. **II. Aequalitas appropriata Filio.** — Filius est *principium de principio*. Sed aequalitas significat unitatem per respectum ad alterum: aequale enim est, quod habet unam quantitatem cum alio. Ergo aequalitas convenienter appropriatur Filio.

13. — **III. Connexio appropriata Spiritui Sancto.** — Spiritus Sanctus est *nexus Patris et Filii in unitate*. Sed connexio importat unitatem duorum, scilicet Patris et Filii. Ergo connexio convenienter appropriatur Spiritui Sancto.

14. — **Auctoritas.** — Unde S. Augustinus ait [3] : *In Patre est* UNITAS, *in Filio* AEQUALITAS, *in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque* CONCORDIA.

15. — **Difficultas.** — Contra hanc rationem militare videtur S. Augustini dictum [4], quod *tria haec*, id est tres personae, *unum omnia sunt propter Patrem, aequalia omnia pro-*

[1] Ad 1[m]. — [2] DIRECT. INQ., a. 8. — [3] L. I. DE DOCTR. CHRIST., c. 5. — [4] IBID.

pter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum; ex quibus verbis videretur inferendum quod praefata singulis personis non debeant appropriari, cum una persona non denominetur formaliter per id quod alteri appropriatur, sicut nequit dici quod *Pater est sapiens sapientia genita* [1].

Cui tamen facile *respondetur*, praefata non appropriari personis, eo quod sibi soli conveniant, sed quia sibi *primo* convenire inveniuntur. Revera, *unitas* Patri appropriatur, non quod soli Patri conveniat, sed quod etiam remota qualibet alia persona, adhuc Patri convenit. Pariter *aequalitas* ideo Filio appropriatur quia, licet in omnibus personis reperiatur, primo tamen in Filio deprehenditur, cum statim posito Filio, aequalitas sit in divinis, et nisi esset Filius, Spiritus Sanctus Patri aequalis non esset. Demum *connexio* Spiritui Sancto appropriatur, quia excluso Spiritu Sancto, non posset inter Patrem et Filium reperiri connexio. — Ex quibus magis roboratur praeiacta conclusio, quia id unicuique personae appropriatur, quod primo in ipsa reperitur, sicut omnia ista inferiora dicuntur vivere propter animam vegetabilem, in qua primo invenitur ratio vitae in istis inferioribus. Atqui unitas in Patre, aequalitas in Filio, connexio in Spiritu Sancto primo reperitur. Ergo.

16. — TERTIA VIA. — **Consideratio personarum secundum earum virtutem operativam.**

17. — PROP. **Si personae divinae considerentur secundum earum virtutem operativam, I. Patri potentia; II. Filio sapientia; III. Spiritui Sancto bonitas appropriatur.**

Ex duplici capite *probatur* haec propositio, scilicet ratione *similitudinis* et ratione *dissimilitudinis*. *Prior* ratio procedit secundum quod ista tria reperiuntur in divinis: *altera* vero secundum quod reperiuntur in nobis.

18. — **I. Potentia appropriata Patri.** — α) *Ratione similitudinis*. In divinis Pater habet rationem *principii* totius deitatis. Sed potentia accipitur secundum rationem principii.

[1] Ad 2[m].

Ergo potentia convenienter appropriatur Patri. — 3) *Ratione dissimilitudinis.* Apud nos, in patribus solet deficere potentia propter *senectutem*, ad quod excludendum in divinis Patri potentia appropriatur.

19. — **II. Sapientia appropriata Filio.** — 2) *Ratione similitudinis.* Filius in divinis est *Verbum*, quod est conceptio ipsius sapientiae; unde filio convenienter sapientia appropriatur. — 3) *Ratione dissimilitudinis.* In filiis terrenis solet deficere sapientia, propter *aetatis parvitatem*: quod ne quis de Dei Filio suspicetur, sapientia ipsi appropriatur.

20. — **III. Bonitas appropriata Spiritui Sancto.** — 2) *Ratione similitudinis.* In divinis Spiritus Sanctus est *Amor*: bonitas autem est amoris obiectum: unde bonitas convenienter appropriatur Spiritui Sancto. — 3) *Ratione dissimilitudinis.* In spiritu terreno importatur *impulsio* et quaedam quasi *violentia*, iuxta illud [1]: *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem*; ad quod excludendum a Spiritu Sancto, bonitas ipsi appropriatur.

21. — **Obiectio.** — Virtus ad potentiam spectat. Sed virtus attribuitur Filio et Spiritui Sancto. Ergo potentia videtur Filio et Spiritui Sancto approprianda, non Patri.

Minor probatur, dicitur enim Christus *Dei virtus* [2]; Spiritus Sanctus quoque sic vocatur, iuxta illud [3]: *Virtus de illo exibat* (scilicet Spiritus Sanctus) *et sanabat omnes* [4].

Respondetur: nomen *virtus* dupliciter sumitur: *uno modo*, secundum quod virtus dicitur ipsa potentia rei, et hoc modo Patri et non alteri appropriatur, cui potentia appropriatur; *alio modo*, secundum quod virtus dicitur id quod a potentia rei procedit, sicut dicimus aliquod virtuosum factum, esse virtutem alicuius agentis; et hoc modo virtus Filio et Spiritui Sancto appropriatur, scilicet pro eo quod a potentia Patris procedit.

22. — QUARTA VIA. — **Consideratio personarum secundum habitudinem quam habent ad causata.**

Is., XXV, 4. — [2] 1. Cor., I, 24. — [3] Luc., VI, 19. — [4] Ad 3[um].

23. — PROP. — **Si personae divinae considerentur secundum habitudinem quam habent ad causata, I. Patri appropriatur ex quo; II. Filio per quem; III. Spiritui Sancto in quo.**

24. — **I. Ex quo, appropriatum Patri.** — Praepositio *ex*, aliquando potest denotare habitudinem causae materialis, sicut cum dicimus: *Ex ferro fit cultellus*; aliquando autem habitudinem causae efficientis, sicut cum dico: *Filius est ex patre*. Hic autem non primo modo sumitur, sed secundo; unde, cum *ex quo* denotet habitudinem causae efficientis, convenientissime appropriatur Patri, cui ratio causae efficientis competit ratione suae potentiae.

25. — **II. Per quem, appropriatum Filio.** — Praepositio, *per*, aliquando designat causam mediam, ut cum dicimus: *Faber operatur per martellum*, aut *rex per ballivum*: aliquando vero habitudinem formae, per quam agens operatur, ut cum dico: *Artifex operatur per artem*. Si igitur ly *per* primo modo sumatur, non est appropriatum, sed proprium Filii, non quidem ut significetur quod Filius est instrumentum, sed quod est principium de principio, ut cum dicitur [1]: *Omnia per ipsum facta sunt*. Sumptum vero secundo modo, ly *per*, cum designet formam seu artem qua Deus agit, Filio convenientissime appropriatur, de cuius ratione est ut procedat processione intellectus.

26. — **III. In quo, appropriatum Spiritui Sancto.** — Praepositio *in*, hoc loco, denotat continentiam. Dupliciter autem Deus dicitur res continere: *uno modo*, secundum suas similitudines, prout res dicuntur esse in Deo, in quantum sunt in eius scientia, et hoc modo *in quo* appropriatur Filio, sicut Filio appropriatur scientia. *Alio modo*, res continentur in Deo, in quantum ille sua bonitate conservat et gubernat eas et ad finem perducit, et sic *in quo* convenienter appropriatur Spiritui Sancto, cui attribuitur bonitas.

27. — **Auctoritas.** — Unde S. Augustinus ait [2]: *Non confuse accipiendum est quod ait Apostolus*: EX IPSO, ET PER

[1] Io., I, 3. — [2] L. VI, DE TRIN., l. cit.

IPSUM, ET IN IPSO. *Ex ipso, dicens propter Patrem : per Ipsum, propter Filium : in ipso, propter Spiritum Sanctum.*

28. — Difficultas. — Quod importat habitudinem causae finalis, debet primae inter personas appropriari, causa finalis enim est prima causarum. Atqui *in quo* importat habitudinem causae finalis. Ergo debet Patri appropriari [1].

Resp. Pater non est prima, seu principium personarum in genere causae finalis; nam personae ab ipso non procedunt ut ad finem, cum quaelibet persona sit ultimus finis; sed personae procedunt naturali processione, quae ad rationem naturalis potentiae spectare videtur.

29. — Scholion. — Praeter appropriata Filio superius recensita, inveniuntur etiam ipsi appropriata auctoritative: α) *Veritas*, iuxta illud [2] : *Ego sum via, et veritas, et vita* ; β) *Liber vitae*, iuxta illud [3] : *In capite libri scriptum est de me*, id est *apud Patrem*, ait Glossa, *qui est caput meum* ; γ) *Qui est* : dicente praelaudata Glossa [4], *Filius loquitur qui dixit Moysi* : EGO SUM QUI SUM [5].

30. — Tacita obiectio. — Ista tria sunt propria Filii. α) *Veritas* quidem, quia veritas est similitudo, dicit enim S. Augustinus [6] : *quod veritas est summa similitudo principii absque omni dissimilitudine.* Sed esse similitudinem est proprium Filii. β) De ratione *libri* est ut sit scriptum ab aliquo; ergo esse *librum vitae* est proprium Filii qui est ab alio. γ) *Qui est* quoque videtur esse eius proprium, quia si, cum Moysi dicebatur: *Ego sum qui sum*, loquebatur Trinitas, ergo Moyses poterat dicere: *Ille qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus misit me ad vos*, et ulterius hoc dicens poterat demonstrare certam personam, quod falsum est, quia nulla persona est simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

Resp. Hisce nihil obstantibus, dicimus quod *veritas, liber vitae* necnon *qui est*, dicuntur essentialiter et non personaliter, ideoque sunt appropriata et non propria. *Veritas* quidem,

[1] Ad 4[m]. — [2] Io., XIV, 6. — [3] Ps., XXXIX, 8. — [4] Super illud ISAIAE, LXV, 1 : *Ecce ego ad gentes.* — [5] Ad 5[m]. — [6] L. DE VERA RELIG., c. 26.

quia potest spectari, aut prout est in intellectu, aut prout est in re; et utroque modo essentialiter dicitur, cum tam res, quam intellectus essentialiter dicantur. Definitio vero inducta ex S. Augustino datur de veritate secundum quod appropriatur Filio.

Pariter, *liber vitae* essentialiter dicitur. Nam in recto importat notitiam, et in obliquo vitam; est enim notitia de his qui habituri sunt vitam aeternam. Sed tam notitia quam vita in Deo essentialiter dicuntur: ergo et ipse liber vitae; et secundum quod significat notitiam, appropriatur Filio; secundum vero quod significat vitam, appropriatur Spiritui Sancto. Nec esse scriptum ab alio est de ratione libri, nisi in quantum est quoddam artificiatum, unde non importat originem, nec est personale, sed appropriatur personae.

Demum, hoc nomen *Qui est* appropriatur Filio, non quidem tamquam quid proprium, sed ratione adiuncti, in quantum nempe in locutione Dei ad Moysen praefigurabatur humani generis liberatio a Filio facta. — Attamen dici potest quod ly *qui*, secundum quod potest referri ad personam Filii, personaliter sumitur, sicut quando dicitur: *Filius est genitus qui est*, quemadmodum in hac propositione: *Filius est genitus Deus*, ly *Deus* sumitur personaliter. — Sed si ly *qui est* infinite sumatur, essentiale est. Ad rationem autem in contrarium adductam, dicitur quod, licet pronomen, *iste*, grammatice loquendo, ad aliquam certam personam videatur pertinere; tamen quaelibet res demonstrabilis, grammatice loquendo, persona dici potest, licet secundum rei naturam non sit persona; dicimus enim: *Iste canis*, et: *Iste lapis*. Unde et grammatice loquendo, Essentia divina, secundum quod significatur et supponitur per hoc nomen *Deus*, potest demonstrari hoc pronomine, *iste*, secundum illud [1]: *Iste Deus meus, et glorificabo eum.*

[1] Exod., XV, 2.

QUAESTIO DECIMA QUARTA.

(XL).

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES SIVE PROPRIETATES

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. – Succedit ut, iuxta praemissa, instituatur comparatio inter personas et relationes seu proprietates, non modo ut appareat personarum cum relationibus identitas, sed maxime ut statuatur quo modo relationes munere fungantur discernendi primo et per se et constituendi personas. Ubi proprietates pro eodem sumuntur ac relationes; ideoque paternitas relate ad Patrem potest dici sive proprietas, sive relatio; licet, ut proprietas est, eum, cuius proprietas est, nempe Patrem, referre videatur; ut autem est relatio, ad suum oppositum, nempe filiationem, proprie referatur. Et sicut duplicis generis relationes habentur, scilicet aliae constituentes personam, ut paternitas et filiatio, aliae autem personam iam constitutam consequentes, ut spiratio, ita etiam duplicis generis proprietates distingui oportet, alias personales, ut paternitatem, filiationem et processionem, alias vero personarum, ut spirationem. Haec enim relatio non dicitur proprietas, quia convenit uni soli personae; *sed*, ait S. Thomas [1], *secundum illum modum quo aliquid dicitur proprium aliquibus per respectum ad aliud, sicut bipes homini et avi per respectum ad quadrupedia, nihil prohibet etiam communem spirationem proprietatem dici.*

Quocirca, *intenditur nunc disputatio circa relationes personales, quae totidem sunt proprietates: de spiratione princi-*

[1] Compend. Theol., c. 59.

paliter non oportebit quaerere, cum personae ad ipsam primo non comparentur: inseretur tamen mentio quoque de illa, secundum exigentiam eorum quae per articulos erunt concludenda [1].

2. **Ordo quaestionis.** Duo sub hac quaestione discutienda S. Doctor proponit: primum, de *identitate* reali inter personas et relationes sive proprietates (1); alterum, de distinctione rationis quae intelligitur exsurgere inter relationes, sive proprietates et actus notionales (2-4); et hoc quidem quantum ad duo: primo, quantum ad munus distinguendi et constituendi non modo personas (2), sed etiam hypostases (3); secundo, quantum ad ordinem attendendum in personis, inter actus notionales et relationes ipsas seu proprietates (4).



Hinc, quatuor hic quaeruntur:

Primo. Utrum relatio sit idem quod persona.

Secundo. Utrum relationes distinguant et constituant personas.

Tertio. Utrum, abstractis per intellectum relationibus a personis, remaneant hypostases distinctae.

Quarto. Utrum relationes secundum intellectum praesupponant actus personarum, vel e converso.

[1] Card. Satolli, h. l.

ARTICULUS I. — *Utrum relatio sit idem quod persona.*

1. — **Opiniones.** — Huic quaestioni, quae generalissima est, et quae concrete in hanc reincidit : *Utrum paternitas sit idem quod Pater, filiatio idem quod Filius, processio idem quod Spiritus Sanctus, et spiratio idem quod Pater et Filius*, aliqui perperam respondisse inveniuntur.

α) *Gilbertus Porretanus*, cum relationem consideraret solum quantum ad id quod est esse *ad* aliud, praetermissa illius consideratione secundum id quod est esse *in* aliquo, posuit relationes esse adsistentes, non autem esse ipsammet essentiam divinam, et consequenter non esse ipsas divinas personas aut in divinis personis [1].

β) *Praepositivus* vero, cum de divina simplicitate sollicitior existeret, licet concederet quod proprietates sunt divinae personae, noluit tamen admittere quod sunt in divinis personis: nam, cum poneret non esse in divinis abstractum, nisi secundum modum loquendi tantum, et esse exponendum pro concreto, sicut cum dicitur: *Rogo benignitatem tuam*, sensus esset: *Rogo te benignum*, hinc non poterat admittere proprietates esse in personis, cum aliquid dicatur esse in alio tanquam forma in eo, cuius est forma [2]. Contra quos sit

2. — PROP. **In divinis, relatio est persona et in persona.**

3. — **Prob.** — In divinis *quo est* et *quod est* non differunt [3]. Sed relatio et persona in divinis se habent ut *quo est* et *quod est*: Pater enim paternitate est Pater. Ergo relatio et persona in divinis non differunt.

Attamen, relationes in divinis significantur ut in abstracto, ut quaedam formae personarum. Sed de ratione formae est ut sit in eo cuius est forma; ergo proprietates seu relationes in divinis nedum sunt personae, sed etiam sunt in personis.

[1] Cf. supra, Quaest. XXVIII. art. 2, n. 3, p. 72. — [2] Cf. supra, Quaest. XXXII. art. 2, n. 2, p. 192. — [3] Boëtius, l. DE HEBD.

4. **Confirmatur.** — α) Sicut se habet deitas ad Deum, ita se habet relatio ad personam. Atqui deitas est Deus et in Deo. Ergo relatio et est persona et est in persona.

β) Idipsum apparet ex falsitate positionum Gilberti et Praepositivi. Siquidem, contra primum animadvertitur quod relatio significat non solum *ad*, sed etiam *in*, unde identificatur cum divina essentia; et cum persona sit idem cum divina essentia, hinc necesse etiam est quod relatio sit idem cum persona: quae enim sunt uni tertio eadem, inter se quoque eadem esse oportet.

Contra alterum vero dicitur quod necesse est ponere in personis proprietates, quae significentur in abstracto, ut quaedam formae. Forma autem est in eo cuius est forma; unde relationes non solum sunt personae, sed etiam sunt in personis divinis. Quod si relationes a personis, nec ratione distingueretur, utique non possent dici esse in personis, nihil enim in seipso esse dicitur.

Quapropter sicut essentia divina est Deus et est in Deo, ita paternitas est Pater et est in Patre; et filiatio est Filius et est in Filio, et processio est Spiritus Sanctus et est in Spiritu Sancto; qua de causa, Ecclesia in praefatione Missae canit [1]: *Ut in essentia unitas, et in personis proprietas, et in maiestate adoretur aequalitas.*

5. — **Quaestio I.** — *Si relatio sit idem ac persona, cur positis in una persona pluribus relationibus, verbi gratia, in persona Patris, paternitate et communi spiratione, ipsamet persona non multiplicatur?*

Resp. Ad huius dubii solutionem, S. Doctor considerare nos iubet quod cum in creaturis, a quibus nostra de Deo consideratio incipit, duplex, quod ad nos modo attinet, sit compositionis genus, scilicet compositio abstracti cum concreto, seu formae cum subiecto, necnon subiecti cum accidente, sicut utrumque in Deo secundum unitatem considerato excluditur, ita etiam excludi debet in eo ut trinus est. Revera, cum compositio formae et subiecti sequatur compositionem formae et materiae [2], ubicumque ista desit, nec illa haberi

[1] Praef. DE SS.MA TRIN. — [2] 1. Quaest. III, art. 3.

potest : ideoque propter simplicitatem divinam excludentem compositionem formae et materiae, sicut idem est in Deo deitas et Deus, ita etiam idem est proprietas personalis et persona, ut paternitas et Pater.

Ulterius, in Deo idem est essentia et esse, seu natura Dei est ipsum eius esse; unde in ipso nequit esse compositio subiecti et accidentis. Quapropter, quidquid attribuitur Deo ad instar cuiusdam accidentis, est Deus ipse, sicut virtus Dei et sapientia Dei, Deus est et in Deo. Sic igitur quidquid attribuitur personae ad instar cuiusdam accidentis, quemadmodum sunt proprietates non personales, ut spiratio communis, et persona est, et est in persona. *Communis spiratio*, ait S. Doctor [1], *in Patre est Pater, et in Filio est Filius.*

Igitur, tum proprietates *personales*, ut paternitas, filiatio, processio, tum proprietates *personarum*, ut communis spiratio, sunt ipsaemet personae et in personis, sed alia et alia ratione: illae, quia in divinis abstractum est idem re cum concreto et est in concreto; istae vero, quia id quod attribuitur subiecto est idem cum subiecto et est in subiecto. Unde identitas duplex distingui potest in personis divinis: alia, concreti cum abstracto; alia vero, subiecti cum eo quod ei attribuitur.

Quocirca, sicut propter attributa essentialia, quae divinae essentiae accedere intelliguntur, nulla fit in ipsa essentia multiplicatio, ita propter communem spirationem, non est personarum distinctio, licet persona Patris et persona Filii non sint una persona per se subsistens; et sicut, si ponerentur tres essentiae in Deo, poni etiam deberent tres Dii, ita ex multiplicatis in abstracto proprietatibus personalibus, sequitur debere etiam divinas personas multiplicari [2].

6. — **Quaestio II.** — *Quomodo proprietates sint in personis et in divina essentia ?*

Resp. Diversa ratione: scilicet, sunt in essentia per modum identitatis tantum, seu *identitatis simplicis*, quia nempe sunt idem re cum illa; sunt vero in personis non tantum

[1] Opusc. cit., c. 65. — [2] Ad 1[m].

per modum identitatis secundum rem, sed etiam quantum ad modum significandi, sicut forma in supposito, seu per modum *identitatis formalis*, quia significantur ut formae in supposito: sunt enim formae personarum; et haec differentia causa est cur personae sunt quid relativum, significant enim relationem ut subsistentem, essentia vero non: quia ad hoc ut aliquid relativum sit, non sufficit ut ipsum sit idem cum relatione, vel ut in ipso sit relatio, sed requiritur insuper ut relatio sit in ipso ut in supposito: relatio autem non est in essentia divina ut in supposito; unde licet dicamus: *Pater refertur*, aut *Pater est quid relativum*, et: *Essentia divina est Pater*, tamen non possumus dicere: *Essentia divina refertur*, aut: *Essentia est quid relativum* [1].

7. — **Obiectio.** — Pater generando communicavit Filio totam suam substantiam [2]. Atqui non communicavit ipsi proprietatem personalem, seu paternitatem. Ergo proprietas personalis Patris non est de substantia Patris, seu non est in Patre.

Resp. Dist. mai.: secundum id quod est absolutum, *conc.*: secundum id quod est relativum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Sensus illius propositionis in maiori est quod Pater communicaverit Filio totum id quod in se est absolutum, non autem id quod in se est relativum, quod proprium eius est et quo distinguitur a Filio, quale est paternitas.

8. — **Corollarium.** — Ex dictis constat cur, licet dicatur: *Pater generat*, dici tamen non possit: *Paternitas generat*. Siquidem, proprietates non significant ut supposita, sed ut formae suppositorum: et quia actus sunt suppositorum, ideo participia, necnon verba notionalia quae significant actus notionales, non possunt praedicari de proprietatibus: modus enim praedicandi hoc prohibet [3]. — Nec obstat quod dicatur, verbi gratia: *Deitas creat*; nam essentia significatur ut forma, quae tamen est principium actus; relatio vero non significatur ut forma quae est principium actus.

[1] Cf. ad 1[m]. — [2] Conc. Lat. Cap. *Damnamus*. — [3] Ad 3[m].

Articulus II. — *Utrum personae distinguantur per relationes.*

1. — **Praenotandum.** — In quibuscumque pluribus invenitur aliquid commune, oportet quaerere principium quo ista distinguuntur. Sed personae divinae sunt inter se distinctae, quamvis conveniant secundum essentiae unitatem. Ergo necesse est inquirere aliquod principium distinctivum divinarum personarum. Atqui, seclusa, ut patet, essentia, ex qua divinae personae unitatem habent, non possunt in divinis excogitari nisi duo, penes quae ista distinctio fieri valeat, scilicet origines et relationes, quae duo sunt quidem re unum et idem, attamen differunt secundum intelligentiae rationem, quia origo significatur per modum actus, ut generatio, relatio vero per modum formae, ut paternitas.

2. — **Opiniones.** — Quam acriter hac in re fuerit in media aetate disceptatum, evincit varietas opinionum quas diversarum scholarum patroni tueri contenderunt.

Et primo quidem loco veniunt *Praepositivus* et *Gregorius de Ariminio*, quibus, cum negarent proprietates in Deo posse abstracte poni, visum est personas, secundum se totas, ab invicem distingui.

Accedit *Marsilii Ficini* sententia, Filium prius concipi ut Filium, quam ut genitum, quia Pater prius concipitur Pater quam generet.

Rursus *Ioannes de Ripa* [1], considerans quod prima distinctio est distinctio divinarum personarum, absolutum vero prius est quam relativum, proprietates constitutivas et distinctivas earumdem divinarum personarum esse absoluta autumavit, quem Scotus defendere nititur, licet idem ipse non teneat.

Demum, recentiori tempore, *Vasquez* et *Alarcon* Patrem censuerunt per innascibilitatem constitui.

3. **Reprobatio.** — At facile est ostendere omnes istas opiniones longius a vero distare. Nam, si personae secun-

[1] In 1. Dist. XXVI et XXVII.

dum se totas ab invicem distinguuntur, ergo distinguuntur in essentia; si Filius prius concipiatur ut Filius quam generetur, sequitur Filium esse a semetipso [1]; si proprietates sunt quid absolutum, ergo sunt quid commune toti Trinitati; si Pater constituitur per innascibilitatem, tunc vel per innascibilitatem formaliter sumptam, et ita per aliquid negativum; vel per innascibilitatem fundamentaliter acceptam, et tunc, si absolute sumatur, redit idem inconveniens ac supra; si autem relative, tunc non est nisi paternitas.

Igitur, relictis hisce opinationibus, pretium operae nostrae erit ad duas tantum celebriores sententias mentis aciem dirigere, scilicet ad

4. **Positiones SS. Bonaventurae et Thomae.** — Posuit *Seraphicus* Doctor personas distingui et constitui per origines activas et passivas; *Angelicus* vero distinctionem formalem divinarum personarum reposuit in relationibus et quidem personalibus. Nam, quamvis origo et relatio re non differant, tamen secundum modum significandi differunt, cum origo significetur per modum actus, ut generatio, relatio vero per modum formae, ut paternitas. Rursus, dictum est *relationes personales* distingui a *relationibus personarum*, in eo quod illae dicuntur ferre suum suppositum, ut paternitas, istae vero intelliguntur advenire supposito constituto, ideoque pluribus etiam personis convenire simul possunt, ut spiratio quae convenit Patri et Filio. His positis, sit cum S. Thoma

5. — PROP. **Melius dicitur quod personae seu hypostases distinguuntur relationibus quam per originem.**

6. — **Prob.** — Quod relatio, potius quam origo, distinguat personas, primo videtur auctoritate suaderi. Siquidem, Innocentius III dicit [2]: *Sanctam Trinitatem secundum communem essentiam individuam, secundum personales proprietates discretam esse*; et, ut dictum est, in praefatione de Sanctissima Trinitate legitur: *Ut in personis proprietas*, etc. [3].

[1] Cf. Suarez, l. VII, c. 7. — [2] Cap. FIRMITER, tit. de Summ. Trin. et Fid. cath. — [3] Cf. Conc. Flor., Sess., XVIII et XIX, necnon orationem quam habuit Card. Bessarion in eod. Conc., c. 6.

Porro cum in divinis omnia sint unum ubi non obviat relationis oppositio, hinc proprietates huiusmodi relativae sunt, non absolutae; *sola enim relatio apud omnes, tam graecos quam latinos doctores, divina professione personas multiplicat*, ut dicitur in Concilio Florentino [1]. Unde in *litteris unionis* legitur: *Omnia quae Patris sunt, ipse Pater Unigenito Filio gignendo dedit, praeter esse Patrem*; et S. Cyrillus in *Thesauro* iam dixerat [2]: *Cum non composita, sed simplex natura deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quaedam inveniretur differentia, non secundam essentiam, sed secundum relationem.* Hoc quoque sensu, Boetius scripserat [3], quod *sola relatio multiplicat Trinitatem divinarum personarum.*

7. — **Adversariorum sententia.** — Porro adversarii posuerunt α) relationem in divinis personas distinguere non posse; β) sed potius personas distingui origine; γ) relationes vero, sive proprietates, manifestare tantum personas distinctas. — *Primum* sic ostendebant. Relationes consequuntur actus divinarum personarum: sic enim paternitas, quae est relatio, praesupponit actum generationis, quo Pater Filium generat. Sed agens debet praesupponi suo actui, et habere esse distinctum in rerum natura ut agat. Igitur relatio, quae consequitur actum agentis, non distinguit agentem, sed illum iam distinctum supponit. *Alterum* declarabant, dicentes quod Pater distinguitur a Filio, in quantum ille generat, et hic est genitus. *Tertium* demum ostendebant a simili in creaturis, in quibus videmus quod proprietates ostendunt distinctionem individuorum, quae fit per materialia principia.

8. - **Reprobatur.** — Sed haec opinio stare non potest propter duo:

α) Quia ad hoc quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid *intrinsecum* utrique; nam et in rebus creatis distinctio fit vel per materiam vel per formam. Sed origo rei non concipitur ut aliquid ipsi rei intrinsecum, sed magis est via quaedam a re

[1] Sess. XVIII. — [2] L. II, c. 3. — [3] L. de Trin.

vel ad rem, sicut generatio significatur ut via ad rem genitam, et ut progrediens a generante. Igitur impossibile est quod generans et genitum distinguantur sola generatione; sed, tam in generante quam in genito, necesse est ut intelligantur ea quibus ad invicem distinguuntur. Et cum in divinis personis, praeter originem, nihil aliud intelligi valeat nisi essentia et relatio, in essentia autem omnes personae conveniant, hinc sequitur quod per relationes fieri debeat personarum distinctio.

c) Ea quae distinguunt personas, debent illas etiam *constituere*, ita quod ipsa distinguentia et constituentia sint ipsaemet personae subsistentes. Nam in rebus quidem creatis distinctio fit per hoc quod aliquid commune dividitur per differentias in plura, unde non est necesse quod ipsae differentiae distinctivae sint ipsaemet res distinctae et constitutae per eas; sicut distinctio hominis a leone fit per divisionem animalis in suas species, per differentias quae non sunt ipsaemet res distinctae, scilicet per rationale et rugibile quae non sunt homo et leo; sed animal trahitur hinc quidem ad esse hominem, illinc vero ad esse leonem per respectivas differentias. Sed distinctio divinarum personarum non fit per hoc quod dividatur aliquid commune, rebus per divisionem constitutis conveniens, nam essentia communis remanet indivisa; sed oportet quod ipsa distinguentia constituant res distinctas: unde in divinis non differt abstractum a concreto.

Sed constituere personas est contra rationem originis. Siquidem origo dupliciter sumi potest: active et passive. Atqui active sumpta, origo significatur non ut persona subsistens, sed ut quoddam procedens a persona subsistente; passive vero accepta, significatur ut via ad personam subsistentem: unde neuter horum modorum potest constituere personam et esse persona.

9. — Corollaria. — I. Igitur, ex dictis sequitur personas distingui et constitui prius et principalius per relationes seu proprietates. Nam, ad hoc quod aliquid sit immediate distinctivum in divinis, tria requiruntur: *a*) ut positive dicatur: omnis enim negatio aliquam affirmationem ante se exigit;

β) ut eo praecise quo est distinctivum sit etiam constitutivum; γ) ut in genere causae formalis, ceteris antecellat. Atqui relationes, in divinis, α) affirmative dicuntur; β) sunt id quo personae constituuntur, et γ) ceteris omnibus antecellunt, sunt enim primum quod in personis concipitur.

Quocirca incommunicabilitas, in qua rationem personarum ultimo consistere intelligimus, provenit formaliter ex relatione alteri opposita, in quantum huiusmodi. Et sic, ait S. Thomas [1], *hoc nomen* PATER *non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim; sed hoc nomen* GENITOR *vel* GENERANS *significat tantum proprietatem; quia nomen* PATER *significat relationem quae est distinctiva et constitutiva hypostasis; hoc autem nomen* GENERANS *vel* GENITUS *significat originem, quae non est distinctiva et constitutiva hypostasis.*

II. Ex hac doctrina sequitur etiam probabiliter baptismum esse invalidum, si loco formae: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, dicatur: *Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis* [2]. Revera, nomina *Genitor*, *Genitus* et *Procedens*, utpote desumpta ex actibus notionalibus, non sunt omnino synonyma nominum Patris, Filii et Spiritus Sancti, quae relationes significant, ideoque personas, ut subsistentes; praeterea, sicut usus aquae, quae est huius sacramenti materia, est communissimus, ita pro forma nomina illa ad significandas divinas personas sunt adhibenda, quae communiter a fidelibus usurpantur; quae sunt nomina: *Pater*, *Filius* et *Spiritus Sanctus*, non vero *Genitor*, *Genitus* et *Procedens*.

Idem autem dicendum foret, si pro Patre poneretur *Principium*, pro Filio *Imago*, vel *Splendor*, et pro Spiritu Sancto, *Donum*.

10. — Scholion. — Porro, cum in thesi dictum sit, personas *melius* dici distingui relationibus quam per origines, hinc non omnino negatum est illas etiam per origines distingui. Revera origines, licet non significentur ut aliquid intrinsecum, tamen in divinis personis intrinsecae sunt et propriae; intrinseca enim et propria est Patri generatio

[1] Hoc loco. — [2] Cf. tr. n. DE BAPTISMO, Quaest. LXVI, art. 5, n. 12, p. 43.

activa et Filio generatio passiva, et pariter Spiritui Sancto processio.

Quapropter, Sancti Patres personarum distinctionem aliquando explicant per voces ad originem spectantes, sicut quando utuntur vocabulis *Genitor* et *Genitus*, ut habet S. Augustinus [1]; quo sensu etiam Ecclesia canit: *Genitori, Genitoque laus et jubilatio.* Similiter S. Ioannes Damascenus dicit [2]: *Unum idemque omnino sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nisi quod Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus processit.*

Recte quoque dici potest quod persona constituitur ex essentia et proprietate personali: sic Ioannes theologus in Concilio Florentino aiebat [3]: *Persona ex substantia proprietatibusque consistit*: et [4]: *Credimus personam ex divina substantia proprietatibusque constare, ita ut persona nihil aliud, nisi substantia et proprietas sit.* Nec tamen propterea sequitur personas divinas esse compositas: relatio enim et essentia non sunt nisi una eademque res simplicissima, et nonnisi secundum intelligentiae rationem relatio et essentia distinguuntur.

II. — **Quaestio I.** — *Utrum dici possit quod personae distinguuntur seipsis?*

Resp. Absolute loquendo potest dici, hoc sensu scilicet quod personae non distinguantur per aliquid realiter a seipsis distinctum, simplicia enim seipsis distinguuntur, licet id quo personae distinguuntur, ratione possit ab iisdemmet personis distingui. Porro, relationes, quibus personae distinguuntur, idem cum personis sunt, ratione tamen ab ipsis distinctae sunt [5]. *Etiam personae divinae*, ait S. Doctor [6], *seipsis distinguuntur, in quantum personae secundum rem sunt ipsae relationes. Sed sicut persona, quantum ad modum significandi, non est idem quod relatio, ita etiam seipsis non distinguuntur, sed relationibus.* Quae cum ita sint, potius simpliciter neganda videbitur haec propositio, quam concedenda.

[1] L. V, DE TRIN., cc. 6 et 7. — [2] L. I, DE FID. ORTH., c. 11. — [3] Sess. XVIII. — [4] Sess. XIX, in fine. — [5] Ad 1[m]. — [6] 1, Dist. XXVI, Quaest. II, art. 1, ad 5[m].

quia in propositionibus magis est attendendum ad modum significandi, quam ad rem significatam: quando autem dicuntur personae seipsis distingui, non datur intelligi ipsas distingui formaliter relationibus, quod falsum est [1].

12. — **Quaestio II.** — *Quidnam sit id per quod personae distinguuntur?*

Resp. Id per quod personae distinguuntur, non est aliquid absolutum, sed relativum. Utique, si divinae personae distinguerentur in esse, seu in aliquo absoluto, deberent distingui per aliquid sui generis, scilicet per substantiam, sicut homo et leo distinguuntur absoluta distinctione per aliquid ad genus substantiae pertinens, aut sicut album distinguitur a nigro secundum qualitatem: persona enim significat individuum in genere substantiae. Sed quia personae distinguuntur tantum in eo quod ad aliquid dicuntur, hinc ad hanc distinctionem sufficit aliquid extra genus rei distinctae existens, scilicet distinctivum relativum, quod relativum, in quantum relativum est, ad genus substantiae non pertinet [2]. — Exhinc etiam sequitur quod, quia in divinis habetur maxima unitas, ideo debet haberi distinctio quae sit unitati proximior, et proinde quae sit minima. Minima vero est distinctio quae fit per relationem, siquidem nihil perfectionis vel imperfectionis claudit [3]. Minima, inquam, distinctio ista est quantum ad quantitatem distinctionis, licet ordine dignitatis et causalitatis, omnes distinctiones antecellat: ordine quidem dignitatis, quia est distinctio in Deo; ordine vero causalitatis, quia divinae personae, secundum modum suae processionis et distinctionis, habent rationem causalitatis respectu processionis et distinctionis creaturarum [4].

13. — **Difficultas.** — Quod praesupponit distinctionem, nequit esse primum distinctionis principium. Atqui relatio praesupponit distinctionem; praesupponit enim quod sint duo distincta quae ad invicem referantur, cum esse relativi

[1] Cf. DE POT., Quaest. X, art. 2. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m]. Cf. supra, Quaest. XXVIII, art. 1, n. 6. — [4] 1. Dist. XXVI. Quaest. II, art. 2, ad 2[m].

sit ad aliud se habere. Ergo relatio nequit esse primum distinctionis principium in divinis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: relatio quae sit accidens, *conc.*; quae sit substantia, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Haec enim relatio non praesupponit, sed secumfert suppositorum distinctionem et constitutionem; nec est necesse quod talis relatio praesupponat extrema, quia cum dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, ly *aliud* denotat correlativum quod non est prius, sed simul natura cum suo correlativo et cum ipsa relatione [1].

Articulus III. — *Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases.*

1. — **Ratio articuli.** — Adiicitur hic articulus quasi corollarium eorum quae tradita sunt in articulo praecedenti, ut ostendatur quaenam, iuxta unam alteramve opinionem, dari debeat responsio. Siquidem, vi eorum quae supra posuit, S. Thomas negativam, adversarii vero affirmativam sententiam defendere coguntur. Est igitur hic sermo de abstractione per intellectum facienda relationum a personis, ut quaeratur utrum tali abstractione peracta, adhuc remaneant hypostases. Ubi apparet sermonem esse de abstractione logica, non vero reali: si quis enim relationes a Deo realiter abstrahere nititur, planum est nec esse processiones in divinis nec esse hypostases divinas, nec Deum esse trinum, imo nec sic esse ipsum Deum.

2. — **Duplex genus abstractionis.** — Porro abstractio alia est qua universale abstrahitur a particulari, ut animal ab homine, alia qua forma abstrahitur a materia, ut forma circuli ab omni materia sensibili. Inter quas abstractiones haec intercedit differentia quod in abstractione universalis a particulari non remanet conceptus et definitio eius a quo fit abstractio, sicut abstracta ab homine animalitate, non remanet in intellectu homo. In abstractione vero formae a

[1] Ad 4um.

materia, utrumque remanet in intellectu, scilicet conceptus formae, puta circuli, et conceptus materiae, puta aeris in circulo aeneo.

Iamvero, quamvis in divinis non sit proprie, nec universale, nec particulare, nec forma, nec materia, tamen, secundum modum significandi, invenitur aliqua similitudo horum, secundum illud S. Ioannis Damasceni [1]: *In Deo commune est substantia, particulare vero hypostasis, et proprietas intelligitur ut forma, persona vero ut res subsistens.*

3. — **Distinctio inter hypostasim et personam.** — Praeterea, ad huius quaestionis intelligentiam, ulterius notandum est quod hypostasis et persona non distinguuntur nisi penes specialem naturae rationalis dignitatem, quam persona supra hypostasim addit. Sed de utriusque ratione formali est ut sit substantia individua incommunicabilis. Neutra autem potest esse individua, nisi distinguatur proprietate aliqua: unde sedulo notat S. Thomas [2] quod quando dicitur quod persona est hypostasis *proprietate distincta ad dignitatem pertinente*, totum id quod dicitur, scilicet *proprietate distincta ad dignitatem pertinente*, est accipiendum loco unius differentiae. Proprietas autem distinguens pertinet ad dignitatem, secundum quod intelligitur subsistens in natura rationali. Quocirca, si removeatur proprietas distinguens a persona, non remanet hypostasis, quia tam persona quam hypostasis est substantia individua. Igitur ad hoc ut remaneret hypostasis, necesse esset ut tolleretur rationalitas naturae.

4. — PROP. — **Abstractis per intellectum relationibus a personis, nequeunt remanere hypostases.**

5. — **Auctoritas.** — Hoc ita exponit S. Hilarius [3]: *Nihil habet Filius, nisi natum.* Ergo abstracto per intellectum quod sit natus, non remanet Filius. Sed esse natum Filio est esse a Patre filiatione; Filius autem significat hypostasim. Ergo praecisa filiatione seu relatione vel proprietate personali a persona Filii, hypostasis Filii nequit salvari, quod et de aliis personis similiter dici debet.

[1] L. III. Orthod. Fid., c. 6. — [2] Ad 1[m]. — [3] L. IV. de Trin.

6. — **Rat. theol.** — Ratio huius est, quia quando removetur ab aliquo suum constitutivum, non remanet constitutum. Atqui relationes sunt constitutivae personarum, ut dictum est. Ergo abstractis relationibus, non remanent hypostases. Ubi hypostasis et persona sumuntur, ut patet, pro uno et eodem.

7. — **Exponitur.** — Attamen, haec veritas postulat ut per distinctas conclusiones proponatur, propter distinctionem abstractionum modo habitam.

α) *Si proprietates abstrahantur a personis abstractione quae sit secundum universale et particulare, non remanent in intellecto hypostases, sed tantum essentia communis.* Ex supradictis hoc constat: sicut enim non remanet in intellectu homo, abstracta animalitate aut rationalitate, ita non remanet in intellectu hypostasis, abstracta proprietate distinguente, sed solum remanet intellectus essentiae communis.

β) *Si abstrahantur a personis proprietates non personales, ea abstractione qua forma abstrahitur a materia, adhuc remanet intellectus hypostaseon et personarum.* Nam, remoto a Patre per intellectum quod sit ingenitus, vel spirans, adhuc potest remanere conceptus hypostasis Patris.

γ) *Si abstrahatur a persona per intellectum proprietas personalis, non remanet intellectus hypostasis aut personae.* Revera, cum hypostasis sit substantia individua, significat aliquid distinctum. Sed relatio est quae distinguit et constituit hypostases; non enim relationes aut proprietates personales sic intelliguntur advenire hypostasibus divinis, sicut forma subiecto praeexistenti, sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsae personae subsistentes, sicut paternitas est ipse Pater.

Ergo, in divinis personis, dempta proprietate seu relatione, non remanet hypostasis, nec consequenter remanet quod persona sit aliquis; paternitate enim non solum Pater est Pater, sed etiam est *quis*, sive *hypostasis* [1].

8. — **Aliorum opinio.** — E contra, secundum Seraphici Doctoris sententiam, qua ponuntur personae distingui et

[1] Ad 2[m].

consequenter constitui originibus, cum in hoc casu relationes non sint nisi manifestativae personarum, dempta relatione, id est, differentia ultima, adhuc remanet hypostasis.

Revera, isti distinguebant inter esse hypostaticum et esse personale; et constitutivum in esse hypostatico dicebant esse origines; constitutivum autem in esse personali, relationes. Exempli gratia, dicebant quod Pater est hypostasis alia a Filio, quia non est ab aliquo, et Filius est hypostasis alia a Patre, quia est a Patre; quibus in esse hypostatico constitutis per originem, dicebant relationes supervenire constituentes hypostases in esse personali, quasi proprietates ad dignitatem pertinentes, constitutivae personarum; unde, inferebant, paternitas constituit hypostasim Patris in esse personali, et similiter filiatio constituit hypostasim Filii in esse personali.

9. — Refutatur. — Sed ista opinio stare nequit. α) Quia relationes non solum distinguunt et constituunt personas, sed etiam hypostases, ut dictum est articulo praecedenti. β) Quia hypostasis et persona in natura divina, sicut et in qualibet natura intellectuali sunt idem; unde Boëtius [1] dicit quod persona est rationalis naturae individua substantia. Sed quae sunt idem habent eadem distinctiva et constitutiva; unde si, abstractis per intellectum relationibus, personae non remanent, nec hypostases remanere dici possunt. Quocirca, ut esset hypostasis et non persona, esset necesse ut abstraheretur non iam ex parte personae proprietas, sed ex parte naturae rationalitas.

Ex quo etiam evincitur falsum esse id quod quidam ponebant, scilicet unionem Verbi divini factam quidem fuisse in persona, non autem in hypostasi, quasi licet in Christo una tantum persona esset agnoscenda, duplex tamen ibi foret hypostasis; nam cum persona non addat supra hypostasim nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, *idem est attribuere propriam hypostasim humanae naturae in Christo et propriam personam* [2], quod nestorianum est.

[1] Lib. de Duab. Nat. — [2] 3. Quaest. II. art. 3.

10. — **Quaestio.** — *Quisnam sit sensus verborum S. Augustini* [1]: NON HOC EST DICERE INGENITUM, QUOD EST DICERE PATREM: QUIA SI FILIUM NON GENUISSET, NIHIL PROHIBERET EUM DICERE INGENITUM?

Respondetur, dupliciter posse intelligi *remanere ingenitum*, remoto esse Patris, nempe secundum quod Pater dupliciter considerari potest. Potest enim considerari ut est persona distincta ab aliis divinis personis; et sic, remota paternitate, nequit remanere hypostasis Patris. Alio modo potest considerari persona Patris prout est quoddam suppositum subsistens distinctum a rebus creatis, quo modo gentiles et Iudaeorum plures tenent esse unum Deum: et ita verum est quod, remota paternitate, remanet ingenitus, id est hypostasis in natura divina subsistens [2] nullo modo producta, ad quam posset terminari assumptio humanae naturae, quam tamen fides catholica docet terminatam fuisse ad personam Verbi [3].

11. — **Difficultas.** — Id ad quod aliquid se habet ex additione, potest intelligi tale, etiam remoto eo quod sibi additur, sicut animal, remota rationalitate. Atqui persona se habet ex additione ad hypostasim: addit enim proprietatem distinguentem ad dignitatem pertinentem. Ergo potest intelligi hypostasis, remota proprietate personali a persona.

Resp. Dist. mai.: quando additum non est de essentia eius cui fit additio, *conc.*: quando illud quod additur est intrinsece de essentia eius cui additur, *nego. Dist. min.*: persona addit ad hypostasim proprietatem extrinsecam, *nego*; proprietatem ad dignitatem pertinentem, distinguentem intrinsece, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Rationalitas, relate ad animal, concipitur ut aliquid additum extrinsece, quo remoto, adhuc remanet animal. Sed proprietates personales in divinis sunt omnino intrinsecae, non modo personae, sed etiam hypostasi, utcumque ista velit intelligi: non enim habetur hypostasis sine distinctione, et in divinis distinctio non fit sine proprietatibus [4].

[1] L. V. DE TRIN., c. 6. — [2] Ad 3[m]. — [3] Cf. 3, Quaest. III, art. 3. — [4] Ad 1[m].

ARTICULUS IV. — *Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus.*

1. — **Ratio articuli.** — Sub hoc ultimo articulo quaestio proponitur de ordine inter proprietates sive personales, sive non, et actus notionales: qui ordo omnino logicus non est, quia a parte rei omnia ista una simplicissima res sunt, quae est divina essentia. Porro, si esset suffragandum opinioni quae ponit personas distingui secundum origines et non secundum relationes, utique absolute esset concludendum actus notionales, qui secundum originem attenduntur, simpliciter et in omnibus praeintelligi debere relationibus seu proprietatibus, ita ut verum esset simpliciter dicere quod Pater est Pater quia generat. Sed explosa huiusmodi sententia est; ideoque principiis a nobis positis insistendum, secundum quae dictum est quod relationes distinguunt et constituunt hypostases. Attamen, exinde perperam quis concluderet quod relationes seu proprietates universaliter praecedunt actus notionales. — Ad cuius rei evidentiam oportet praemittere nonnullas

2. — **Distinctiones.** — I. Origo dupliciter significatur in divinis, scilicet *active* et *passive*. Passive accepta, origo significat processiones unius personae ab altera, praecise secundum quod producitur ab ipsa; sic nativitas in Filio et processio in Spiritu Sancto significant originem passive acceptam. Active autem significata, origo dicit actum notionalem, prouti intelligitur egredi ab agente, ut est, verbi gratia, generatio in Patre, aut spiratio in Patre et Filio.

II. Recolendum est quod aliae sunt proprietates quae dicuntur *personales*, aliae vero quae sunt tantummodo *personarum*, ut spiratio.

III. Proprietas personalis in Patre, verbi gratia, paternitas, potest dupliciter considerari: *uno modo*, ut relatio est; *alio modo*, ut est constitutiva personae Patris.

Hisce sic positis, sit responsio per quatuor sequentes propositiones.

3. — PROP. I. — **Origines passive significatae, ut nativitas, simpliciter secundum intellectum praecedunt proprietates etiam personales personarum procedentium per tales actus.**

4. — **Prob.** - Nam origines passive significatae significantur ut viae ad personas procedentes ut per proprietates constitutas. nativitas enim significatur ut via ad personam Filii constitutam per proprietatem filiationis. Quapropter, nativitas, secundum intellectum, praecedit filiationem, etiam secundum quod est constitutiva personae Filii [1].

5. — PROP. II. — **Origines active significatae priores sunt secundum intellectum quam relatio non personalis personae originantis.**

6. - **Prob.** — Nam actus notionalis, ut spirare, qui significat originem non personalem, praecedit secundum intellectum proprietatem relativam communem Patri et Filio, quam nomine proprio carentem, communi nomine vocamus spirationem.

7. - PROP. III. - **Origo, active significata, praecedit secundum intellectum relationem personalem Patris, verbi gratia, generatio paternitatem.**

8. — **Prob.** — Nam paternitas, ut est relatio, fundatur super actum notionalem generationis; siquidem, omnis relatio supponit id supra quod fundatur, sicut aequalitas supponit quantitatem; paternitas autem est relatio fundata super actionem, quae est generatio [2].

9. - PROP. IV. — **Paternitas, ut est constitutiva personae Patris, praecedit intellectu actum notionalem qui est generare.**

10. — **Prob.** — Nam persona agens praeintelligitur actioni, siquidem res aliqua prius est quam operetur. Atqui persona Patris non constituitur nisi per paternitatem, ut dictum est.

[1] Ad 3[m]. — [2] Cf. ad 2[m].

Ergo paternitas, ut est constitutiva personae Patris, praecedit intellectu actum notionalem.

11. — **Corollarium**. — Unde sequitur non esse eamdem rationem de nativitate relate ad filiationem, et de generatione activa relate ad paternitatem. Nativitas enim, cum sit via ad personam Filii, secundum intellectum praecedit filiationem, etiam secundum quod est constitutiva personae Filii; sed generatio activa significatur ut progrediens a persona Patris, ideoque supponit proprietatem personalem Patris, cum relatio in divinis non sit accidens sed res subsistens.

Exinde si quis velit ordinem logicum inter relationes et actus notionales universaliter statuere, hic erit: α) Primo, concipitur *paternitas ut constitutiva* personae Patris; β) deinde *generatio activa*; γ) tum venit *paternitas ut refert Patrem ad Filium*; δ) postea *nativitas*, seu generatio passiva; ε) cui succedit *filiationis* relatio; ζ) dein Pater et Filius concipiuntur ut spirans; η) quem actum sequitur relatio innominata, quam *processionem* generico nomine vocare solemus. Et ita intelligimus quo sensu debeant sumi verba Magistri Sententiarum [1], quod *Pater semper est, quia semper genuit Filium*: nempe hic accipitur nomen Patris prout designat relationem tantum et non prout significat personam subsistentem, quia sic e converso oporteret dicere quod *quia Pater est, ideo generat* [2].

12. — **Scholion**. — Ultimo debet sedulo adverti quod distinctio debet fieri inter relationem *in actu signato* et relationem *in actu exercito*, ita quod per relationem priori modo acceptam personae constituantur, non autem per relationem secundo modo intellectam. Relatio in actu signato accipitur secundum quod intelligitur ut entitas signans subiectum *ut quo*; in actu exercito vero est eadem entitas prout refert *ut quod* subiectum ad terminum, et suadetur haec distinctio exemplo de albedine, secundum quod aliud est concipere albedinem prout afficit *ut quo* parietem, id est, in actu signato, aliud vero illammet concipere prout reddit actu *ut quod* parietem album. Revera relatio, si concipiatur in actu exer-

[1] 1. Dist. XXVII. — [2] Ad I[m].

cito, *ut quod*, supponit personam et sequitur in Patre ad generationem; si autem concipiatur in actu signato *ut quo*, personam actu defigit, contrasignat et distinguit. Ita ut dici possit: *Qui paternitate constituitur, generat Filium*; et: *Qui generat, ut Pater, ad Filium refertur*, ubi in primo casu paternitas ponitur *in obliquo*, seu *ut quo*; in secundo autem casu, Pater ponitur *in recto, ut quod*; unde illud in abstracto, istud vero in concreto significatur. *Abstracta dicuntur ad aliquid*, ait S. Thomas [1], *quia concreta habentia illa abstracta ad aliud dicuntur: sicut aequalitas et similitudo dicuntur ad aliquid, quia simile et aequale ad aliquid sunt. Aequalitas autem et similitudo secundum nomen non dicuntur ad aliquid.*

Nec dicatur quod conceptus relationis *ut quo* coincidit cum conceptu relationis *in*: conceptus enim *ut quo*, una cum conceptu relationis *quod*, dividit et complectitur conceptum adaequatum *ad*. Revera, quidquid est de conceptu *in*, ad essentiam, ad divinitatem, ad esse, ad perfectionem pertinet: ex hac scilicet parte, relatio est divina substantia et non multiplicat Trinitatem. Sed quidquid est de conceptu *ut quo*, est radix oppositionis, distinctionis et multiplicationis. Igitur, in relatione tria ista sedulo distingui debent: conceptus *in* qui se tenet ex parte essentiae; conceptus *ad, ut quo*, seu in actu signato, qui distinguit personas et constituit; conceptus *ad, ut quod*, qui personas formaliter refert ad invicem [2].

[1] In V. Metaphys., lect. XVII. — [2] Cf. Caiet. in h. locum; Ioan. a S. Thoma, Dist. XVI, art. 1. Billuart. Diss. VII, art. 2, etc.

QUAESTIO DECIMA QUINTA.

(XLI).

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES

PROLOGUS.

1. **Ratio quaestionis.** — Iam ex dictis colligi potest actus notionales comparandos esse ad divinas personas, post harum comparationem, primo cum essentia, et postea cum relationibus: nam haec tria ordinatim in personis inveniuntur: essentia, relationes sive proprietates, et actus notionales sive origines. Porro, huiusmodi actus notionales aliud non sunt, nisi illae operationes personarum ad intra, quibus una persona vel plures alteram originare, aut vicissim una persona ab altera vel a pluribus personis originari intelliguntur. Sunt igitur operationes quibus intelliguntur personae in Trinitate multiplicari; et quia per huiusmodi operationes via nobis suppeditatur ad dignoscendam divinam personam, ideo notionales dicuntur, cum notio aliud non sit, nisi propria ratio cognoscendi divinam personam. Huiusmodi actus sunt generatio in Patre, nativitas in Filio, spiratio in utroque, et processio in Spiritu Sancto. Unde tum active tum quasi passive debent intelligi, secundum quod sunt hinc in persona originante, illinc vero in persona originata.

2. — **Divisio quaestionis.** Hic autem duo ordinatim inquirenda veniunt circa comparationem instituendam inter personas et actus notionales: primum, ut, proposito dubio utrum actus notionales sint personis attribuendi, quaestio resolvatur an sint, et quid sint (1); secundum, ut sciatur quomodo sint in divinis (2-6). At vero, haec quaestio iterum

bipartita est, secundum quod de actibus notionalibus inquiri debeat quomodo sint, tum ex parte termini *a quo* generaliter inspecto (2-5), tum ex parte termini *ad quem* (6). Ex parte quidem termini *ad quem*, ut statuatur quod actus notionales ad plures personas terminari non possunt ; ex parte vero termini *a quo*, ut determinetur tum de principio *quod* (2-3), tum de principio *quo* (4-5) actuum notionalium. Et circa principium *quod* determinari debebit utrum agens, sive persona, in praedictis actibus, operetur per intellectum vel per voluntatem (2), et utrum de nihilo, an de ipsamet divina substantia (3). Circa vero principium *quo* agens operatur, quod nominatur potentia, resolvendum veniet utrum dari tale principium debeat (4), et quid sit proprie in divinis (5).



Hic igitur quaeruntur sex:

Primo. Utrum actus notionales sint attribuendi personis.

Secundo. Utrum huiusmodi actus sint necessarii, vel voluntarii.

Tertio. Utrum, secundum huiusmodi actus, persona procedat de nihilo vel de aliquo.

Quarto. Utrum in divinis sit ponere potentiam respectu actuum notionalium.

Quinto. Quid significet huiusmodi potentia.

Sexto. Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

ARTICULUS I. — *Utrum actus notionales sint attribuendi personis.*

1. — **Ratio dubitandi.** — Potissimum de hac re dubitandi motivum ex eo duci videtur, quod actus notionales tandem aliquando sunt actiones. Quae autem sunt sub praedicamento actionis in divinis ad substantiam reduci debent, secundum id quod saepius dictum est, nempe in divinis non esse nisi duo praedicamenta, scilicet substantiam et relationem, quod Boëtius sic exprimebat [1]: *Omnia genera, cum quis in divinam vertit praedicationem, mutantur in substantiam, exceptis relativis.* Actio igitur, sicut et cetera praedicamenta, praeter relationem, ad divinam substantiam pertinet; et ita actus notionales non personis, sed essentiae attribuendi esse viderentur [2]. At contra dicendum est

2. — PROP. — **Actus notionales debent divinis personis attribui.**

3. — **Auctoritas.** — Pater, Filium alloquens, ait [3]: *Ex utero ante luciferum genui te*; et divina Sapientia de seipsa testatur [4]: *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Pariter de Verbo divino dicitur [5]: *Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*; et ipse Christus de se fatetur [6]: *Ego ex Deo processi et veni*; qui etiam Spiritum Sanctum appellat [7]: *Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* — Hinc in Concilio Lateranensi IV dicitur [8]: *Pater generans, Filius gignitur et Spiritus Sanctus procedit.* In Symbolis etiam passim de Filio legitur: *Genitus non factus*, et de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Unde concludimus cum S. Augustino [9]: *Proprium quidem Patris est, quod Filium genuit.*

4. — **Rat. theol.** — Illa quibus convenienter designatur ordo originis qui est inter divinas personas, debent personis

[1] L. DE TRIN. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ps., CIX, 3. — [4] ECCLI., XXIV, 5. — [5] MICH., V, 2. — [6] Io., VIII, 1, 2. — [7] IBID., XV, 26. — [8] Cap. *Damnamus*, DE S. TRIN., — [9] L. DE FIDE AD PETRUM, c. 2.

attribui; nam in divinis personis attenditur ordo secundum originem. Atqui per actus notionales convenienter designatur ordo originis qui est inter divinas personas, secundum quem ordinem attenditur distinctio in personis. Ergo actus notionales personis convenienter attribuuntur.

5. — Explicatur. — Videbitur forsan alicui S. Thomas cum seipso pugnare, cum in articulo secundo praecedentis quaestionis, docuerit personas relationibus distingui, hic autem doceat actus notionales ideo personis esse attribuendos, quia penes ipsos attenditur ordo originis, secundum quem attenditur distinctio in personis divinis. Sed si quis sedulo advertat, contradictio apparens est, non realis, imo quod hic traditur confirmat ea quae superius fuerunt explicata. Revera, S. Doctor supra non exclusit quod personae distinguuntur per originem, sed *melius*, ait, distinguuntur relationibus quam per originem. Unum igitur affirmavit, nec aliud omnino negavit. Scilicet, relationibus personae distinguuntur, et hoc *formaliter*, imo et formalissime: sed quia relationes super actus fundantur, ideo personae distinguuntur *originarie* et *radicaliter* per originem. Nam paternitas, ut relatio est, posterior est secundum intellectum generatione, et filiatio nativitate, ut dictum est articulo praecedenti; et logicus huius tractatus ordo postulavit ut prius de processionibus, quam de relationibus ageretur: quia licet relationes sint personae et personarum rationes, tamen processiones sive origines subaudiunt. Quocirca, quia nos ad cognitionem relationum non devenimus nisi per origines, et origo non potest convenienter designari nisi per aliquos actus qui notionales dicuntur; ideo convenientissime actus notionales personis divinis attribuuntur.

6. — Duplex ordo originis. At vero ordo originis qui attenditur secundum actus notionales, est formaliter ille ordo qui est inter divinas personas, et quo una persona intelligitur distincta ab altera. Quod advertitur, ne confundatur iste ordo originis cum ordine originis secundum quem creatura intelligitur a Deo processisse. Siquidem, triplex differentia inter unum et alterum ordinem reperitur. *Prima* in

hoc consistit, quod esse principium originis creaturarum est commune omnibus divinis personis; esse autem principium originis in divinis est proprium unius vel alterius personae. *Secunda*, actiones quae attribuuntur Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso, ut actus creandi, conservandi, sanctificandi, pertinent ad essentiam et non sunt alicui personae attribuendi, tanquam huius proprii: actus vero designantes ordinem originis personae a persona, ut generare et spirare, dicuntur notionales, nec sunt attribuendi essentiae, sed personis. *Tertia*, actus prioris rationis pertinent de se ad praedicamentum actionis; et cum in divinam vertuntur praedicationem, mutantur in substantiam; actus vero alterius rationis non pertinent ad praedicamentum actionis, sed sunt ipsae *habitudines personarum quibus ad invicem referuntur*, ideoque ad praedicamentum relationis spectant [1].

Et per hoc solvitur dubitatio superius posita [2], nempe quod actus notionales, utpote designantes actionem, ad essentiam pertineant, non ad personas, nam *actus notionales, immediata identitate, sunt ipsae personarum relationes. Dico quidem immediata identitate, et non solum entitativa, qualiter omnia in Deo sunt ipsa essentia, sed quemadmodum actio et agens idem esse apprehenditur* [3].

7. — Quid sint actus notionales. — Actus notionales sunt, ut ait Angelicus [4], *actus designantes ordinem originis*, quia *notiones personarum sunt personarum habitudines ad invicem.*

Ad cuius evidentiam advertisse iuvabit quod, si comparentur notiones cum relationibus, iam dici poterit quod notiones sunt ipsaemet relationes realiter, et differunt ab eis tantum secundum modum significandi. Quod sint idem realiter ac relationes, constat, quia in divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio, vel, ut ait S. Augustinus [5], *omne quod de Deo dicitur, aut dicitur secundum substantiam, aut secundum relationem*; generare autem non secundum substantiam, sed secundum relationem dicitur;

[1] Ad 1[m]. — [2] N. 1. — [3] Card. Satolli, in h. l. — [4] Ibid. — [5] L. V. DE TRIN., cc. 4 et 5.

unde ait Magister [1] quod *generatio et nativitas aliis nominibus dicuntur paternitas et filiatio.* Quocirca, distinctio solum rationis habetur inter relationem et actum notionalem.

8. — Distinctio rationis inter relationes et actus notionales. — Ideo autem rationis distinctionem inter relationes et actus notionales facimus, quia de divinis et intelligibilibus rebus loqui non possumus nisi secundum modum rerum sensibilium, a quibus cognitionem accipimus. Atqui in rebus sensibilibus actiones et passiones aliud sunt realiter a relationibus, quae ex actionibus et passionibus consequuntur. Ergo in Deo, in quo actiones et passiones aliud non sunt realiter a relationibus, convenienter seorsum significari debuerunt habitudines personarum per modum actus, et seorsum per modum relationum.

Quod autem actiones et passiones in rebus sensibilibus aliud sunt realiter a relationibus, non autem in Deo, hac ratione ostenditur. Originem alicuius rei ab alia primo cognoscimus ex motu. Huius autem motus originem, secundum primam nominis impositionem, significamus nomine actionis, quia sicut motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio, ita origo ipsius motus, secundum quod incipit ab alio et terminatur in id quod movetur, vocatur actio. Porro, originem motus consequitur habitudo inter ipsum movens et mobile, sicut inter agens et patiens. Igitur in illis quae fiunt per motum, duo reperiuntur inter agens et patiens: unum est ipse motus, qui originatur in agente et terminatur in passum; aliud est ipsa habitudo, sive relatio inter agens et patiens. Unde praeter nomina significantia habitudinem, necesse fuit invenire alia nomina significantia originem motus, sicut in ordine humanae generationis alia sunt nomina significantia habitudinem patris ad filium, et alia nomina significantia originem motus in patre, scilicet generationem et terminum motus in filio, nempe nativitatem.

Sed omnis motus a processione divinarum personarum est sedulo eliminandus: Deus enim immutabilis prorsus est.

[1] In I. Dist. XXVI, § *Iam de Proprietatibus.*

Igitur, remoto motu, actio nihil importat, quam ordinem originis secundum quod a causa aliqua vel principio procedit in id quod est a principio. Quocirca, sicut in creatione quae fit sine motu, actio et passio non important nisi habitudines hinc Dei ad creaturam, quae rationis est, illinc creaturae ad Deum, quae realis est, ita in origine divinarum personarum, actio personae producentis nihil aliud est, nisi habitudo principii ad personam quae est a principio. Stat igitur quod actus notionales idem sunt secundum rem cum relationibus, sed differunt solum secundum modum significandi [1].

9. — **Notandum.** — Ultimo animadvertendum est quod, quando dicimus actionem et passionem in divinis, hoc non ita accipiendum est, quasi sit in Deo realiter passio. Non enim actio infert ex se passionem, nisi secundum quod importat originem motus: sed in divinis personis non est actio cum motu; ergo non est vere passio. Sed passiones hic accipiuntur *grammatice*, ut dicit S. Thomas [2], id est quantum ad modum significandi, quemadmodum Filio attribuimus generari, eo quia Patri attribuitur generare. Eliminari enim debet a conceptu personarum in Deo quidquid compositionem actus et potentiae implicet, et sic quidquid imperfectionem aut potentialitatem dicit.

ARTICULUS II. — *Utrum notionales actus sint voluntarii.*

1. - **Error Arianorum.** - Arianorum fuit vesana blasphemia Filium Dei esse primam creaturam quae ex intellectu Patris in tempore profluxerit. Ad quod adstruendum dixerunt Patrem genuisse Filium non natura, sed voluntate, secundum quod voluntas designat principium nativitatis eiusdem. Cum enim quae voluntate ut principio fiunt possint esse et non esse, si Filius voluntate genitus est, potuit esse et non esse, ideoque non fuit Deus aeque ac Pater. Contra quam haereticam pravitatem, nobis probandum erit

[1] Ad 2^m. — [2] Ad 3^m.

quod actus notionales non habent pro principio voluntatem divinam, sed naturam, et quod Pater non genuit Filium voluntate sed natura.

2. — **Voluntas dupliciter accepta.** - Porro, cum dicitur aliquid esse vel fieri voluntate, hoc potest dupliciter intelligi: *uno modo*, ita quod ablativus ille, *voluntate*, designet concomitantiam tantum, sicut quando dico: *Sum homo mea voluntate*, quia scilicet volo me esse hominem; *alio modo*, ita quod ablativus ille importet habitudinem principii, ut cum dicitur: *Artifex operatur voluntate*, quia scilicet voluntas est principium operis.

Porro, si sensus sit de voluntate concomitante, dici utique poterit quod Pater genuit Filium voluntate. Revera, sicut possumus dicere quod Pater voluntate est Deus, quia vult se esse Deum, ita possumus dicere quod Pater voluntate genuit Filium, quia vult se generare Filium. Et ad hoc significandum dicit S. Hilarius [1]: *Non naturali necessitate ductus, Pater genuit Filium*; quibus scilicet verbis excluditur eorum error qui a generatione Filii etiam concomitantiam paternae voluntatis removebant, dicentes sic Patrem natura genuisse Filium, ut tamen generandi voluntatem non haberet, quasi necessitate absoluta contra voluntatem id ipsi accidisset, quemadmodum in nobis contra voluntatem plura accidunt, verbi gratia, senescere, infirmari et mori. Hilarius igitur talem a divinis necessitatem excludere volens, post recitata verba, addit: *Non enim nolente Patre, vel coactus Pater, vel naturali necessitate inductus genuit Filium* [2].

Ubi ulterius addimus cum Caietano [3] contra Capreolum, Ferrariensem, Suarezium, aliosque, Patrem genuisse Filium, et utrumque spirasse Spiritum Sanctum voluntate concomitante, non modo consequenter, verum etiam antecedenter; nam sicut Pater generat Filium non modo intelligendo se, sed etiam intelligendo ipsum Filium et Spiritum Sanctum, ita quod intelligere simpliciter antecedat genuisse Verbum ratione, ita etiam velle esse Filium et Spiritum Sanctum antecedit, ordine intellectus, generationem et spirationem.

[1] L. de Syn. Def., 25. — [2] Ad 1[m]. — [3] In h. l.

3. - **Necessarium dupliciter sumptum** — Similiter, necessarium dupliciter dicitur: uno modo *per se*, alio modo *per aliud*. *Per se* quidem dicitur aliquid necessarium, quod non potest non esse, et ita distinguitur contra contingens. Necessarium autem *per aliud* iterum dicitur dupliciter: *uno modo*, sicut per causam agentem et cogentem, et sic necessarium dicitur quod est violentum; *alio modo*, sicut per causam finalem, sicut aliquid dicitur esse necessarium in his quae sunt ad finem, in quantum sine hoc finis non potest esse, aut saltem bene esse, sicut cibus ad vitam et equus ad iter necessarii dicuntur.

Porro, non est hic sermo utrum actus notionales sint necessarii necessitate *per aliud*, quia nec coactio cadit in Deum, nec ipse Deus est propter finem; sed quaeritur de necessitate *per se*, utrum scilicet sit necessarium Patri generare Filium, sicut necessarium est ipsi Deum esse [1].

4. — **Sensus quaestionis**. — Igitur quaestio, utrum notionales actus sint voluntarii, concrete aequivalet huic alteri: Utrum Pater genuerit Filium voluntate, non concomitante, sed ut principio actus notionalis, an tali necessitate ut non potuerit illum non generare, non quidem ita quod aliquis ipsi intulerit violentiam, aut quod generatio necessaria fuerit ad aliquem finem habendum qui sine illa haberi non potuisset, sed quod non potuerit esse Pater quin Filium generaret, eo modo quo impossibile est Deum esse quin sit sapiens, iustus, etc. Pro quo solvendo sit

5. — PROP. — **Pater non genuit Filium voluntate, qua principio, sed natura**.

6. — **Auctoritas**. - Generatio Verbi divini est agnoscenda in divinis modo diversa a generatione qua hominem Deus adoptavit ad divinitatis participationem. Atqui haec facta fuit voluntate divina principiante, nam dicitur [2]: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Ergo generationis Verbi divini principium non est voluntas. Hinc S. Athanasius ait [3]: *Ut*

[1] Ad 5[m]. — [2] Iac., I, 18. — [3] L. IV, Contra Arianos.

enim bonum esse non ex voluntate incepit, cum tamen non invitus nolensque bonus sit. nam hoc ipsum quod est, cum sua voluntate est, ita quoque quod Filius ille sit, etsi non ex voluntate principium ductum est, non tamen invito illi et praeter sententiam Filium extitit. Pariter in Concilio Toletano XI, in confessione fidei, asseritur quod *Pater nec voluntate, nec necessitate genuerit Filium.* Quod et auctor quidam [1] expresserat dicendo, quod *neque voluntate genuit Pater Filium, neque necessitate.* Quocirca, quod scribit Apostolus [2]: *Et transtulit* (nos) *in regnum Filii dilectionis suae*, non est intelligendum quasi hic Christus nominetur Filius dilectionis Dei, in quantum dilectio, quae actus voluntatis est, sit principium generationis Filii, sed in quantum est a Deo superabundanter dilectus [3].

7. - **Rat. theol.** — Quod procedit a voluntate, tanquam a principio, potest sic vel aliter esse. Atqui Filius Dei nequit sic vel aliter esse. Ergo Filius Dei non procedit a voluntate Patris, tanquam a principio.

8 — **Explicatur.** — Potest *maior* demonstrari ex comparatione eius quod procedit a voluntate, et eius quod procedit a natura, tanquam a principio. Revera, natura aliter se habet in causando ac voluntas. Nam id quod procedit a natura est determinatum ad unum; id vero quod procedit a voluntate non est determinatum ad unum.

Huius differentiae ratio est, quia unius rei non est nisi una forma naturalis, per quam agens agit: et cum effectus assimiletur formae agentis per quam agit, oportet ut quale sit agens, tale etiam agat. Sed forma per quam voluntas agit non est una tantum, sed plures: huiusmodi enim sunt ideae in mente artificis quae tot sunt, quot sunt rationes intellectae. Quocirca, cum, ut diximus, effectus assimiletur formae per quam agens agit, quando aliquid procedit a voluntate, non est tale, quale est agens, sed potius quale agens illud intelligit et vult esse.

Unde sic potest demonstrari *maior*. Natura quidem est

[1] L. ad Orosium, Dialog. Sexag. quinque, Qq. VII, inter suppos. S. Augustini. — [2] Col., I, 13. — [3] Ad 3m.

determinata ad unum, voluntas autem non est ad unum determinata. Atqui quod procedit ab aliquo quod non est ad unum determinatum, potest sic vel aliter esse. Ergo quod procedit a voluntate tanquam a principio, potest sic vel aliter esse.

Minor probatur. Quod per se necesse est esse, nequit sic vel aliter esse. Atqui Filium Dei per se est necesse esse, siquidem verus Deus est. Ergo nequit esse sic vel aliter.

9. — Scholion. — Igitur, ratio discriminis actuum notionalium ab actibus essentialibus ex parte principii, haec est, quod illi non sunt voluntarii sed necessarii, necessitate naturae, isti autem voluntarii sunt. Et ex hoc constat discrimen inter generationem Filii et productionem creaturarum. Siquidem creaturae, quia dissimiles Deo sunt in natura, ideo principium habent voluntatem divinam: unde possunt esse sic vel aliter, nec est necesse eas omnino esse; Filius autem Dei quia similis Deo est in natura, imo unius cum Patre naturae, hinc principium habet formale generationis suae ipsam divinam naturam. Quocirca, in libro de *Synodis* [1] dicitur: *Si quis voluntate Dei tanquam unum aliquid de creaturis Filium factum dicat. A. S.* Et rursus: *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit; sed naturam dedit Filio, ex impassibili ac non nata substantia, perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; Filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis et Deus est.*

10. — Confirmatur. — α) Per respectum ad *Filium*. Generatio Verbi in divinis est ut verbi prolatio, Filius enim procedit per modum intellectus ut Verbum. At vero, ista prolatio non est ut verbi cuiuscumque prolatio, sed ut prolatio verbi quae fit primo ab intellectu. Porro, licet verbum quodcumque, citra verbum quod proferatur primo ab intellectu, procedat a dicente per voluntatem, tamen hoc de primo verbo dici nequit; sed sicut in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima principia, quae naturaliter intelliguntur, et in quibus sic non attenditur processio per voluntа-

[1] C. 24.

tem, ita, cum Deus naturaliter intelligat seipsum tanquam primum intellectum, et intelligendo se, dicat Verbum, hinc Verbum in divinis non producitur voluntate tanquam principio, quin potius illud omnem voluntatis motum praecedere necesse est [1].

3) Per respectum ad *Spiritum Sanctum.* — Spiritus Sanctus procedit ut Amor, in quantum scilicet Deus amat seipsum; procedit ergo per modum voluntatis; at non per modum voluntatis ut voluntas est actus, sed per modum voluntatis ut voluntas est natura quaedam, et sic volens aliquid naturaliter vult [2]. Nam, primo modo accepta, voluntas se habet ad utrumlibet quodammodo; et sic id quod ita procedit a voluntate, libere, non necessario, procedit. Sed, quemadmodum omnis actus voluntatis hominis subaudit voluntatem ut naturam, secundum quam voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem, ita liberi actus voluntatis divinae circa res creatas subaudiunt spirationem Amoris, qui est persona Spiritus Sancti. Concedi ergo poterit Spiritus Sancti productionem esse per modum voluntatis, sumpta voluntate non pro actu libero, sed pro potentia vel natura, ideoque non liberam esse, sed naturalem sive necessariam [3]. — Ex quo colligitur quam arbitrarie Scotus et Henricus Gandavensis affirmaverint Spiritum Sanctum procedere processione necessaria simul et libera a Patre Filioque [4].

Articulus III. — *Utrum actus notionales sint de aliquo.*

1. **Sensus quaestionis.** — Ad quaestionem rite intelligendam, praemittere oportet quod haec praepositio *de* semper denotat consubstantialitatem; unde non dicimus quod domus sit de aedificatore, cum aedificator non sit causa consubstantialis domus; sed possumus dicere quod aliquid sit de aliquo, quocumque modo illud significetur tanquam principium consubstantiale, sive illud sit principium activum, ut filius dicitur esse de patre, sive sit principium materiale, ut

[1] Ad 4m. — [2] Cf. 3, Quaest. XVIII, art. 3. — [3] Ad 3m. — [4] Cf. Caiet., in h. l.

cultellus dicitur esse de ferro, sive denique sit principium formale in his rebus dumtaxat, in quibus ipsae formae sunt subsistentes et non advenientes alteri, sicut dicimus quod angelus aliquis est de natura intellectuali [1].

Porro, cum omne quod producitur de materia, habeat esse per transmutationem illius de quo producitur in aliquam formam de novo advenientem, essentia autem divina nulli transmutationi sit obnoxia, et proinde non possit aliam formam de novo suscipere, hinc, cum quaeritur utrum actus notionales sint de aliquo, haec praepositio, *de*, non debet intelligi quasi significet principium materiale [2].

Quapropter restringitur quaesiti sensus ad hoc ut sciatur utrum, verbi gratia, Filius sit genitus de substantia, vel de essentia Patris, an de nihilo. Dicimus *de* essentia Patris, nam haec praepositio proprie notat consubstantialitatem, unde praeferenda videtur praepositioni *ex*, licet quandoque hae praepositiones promiscue usurpentur, ut habet S. Thomas [3].

2. — Praenotanda. — I. Circa id quod resolvendum est, nempe Filium esse genitum non de nihilo, sed de substantia Patris, praemonemus hoc ita intelligendum esse, quod aliquid ponatur, respectu cuius salvetur personarum distinctio, scilicet relationis oppositio; non enim sufficit hic significare principium formale, sicut significatur, cum dicitur angelus esse de natura intellectuali, aut sicut significaretur, si diceretur quod tres personae sunt de essentia divina, quod dicendum esse negat S. Augustinus [4], praecise quia talis dicendi modus nihil ponit, respectu cuius possit importari personarum distinctio significata per praepositionem *de*: cum personarum distinctio non significetur, nisi per oppositionis relationes, dum inter essentiam et personas non est talis oppositio, tres enim personae divinae non sunt aliud ab essentia divina [5].

Quocirca, cum mox negabitur actus notionales esse de nihilo, et adseretur quod, verbi causa, Filius est natus de substantia Patris, haec praepositio, *de*, nihil aliud significabit,

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 1[m]. — [3] 4, Dist. XI, a. 4. — [4] L. VII. DE TRIN., c. 6. — [5] Ad 3[m].

nisi principium generans consubstantiale [1], in quo tamen impertari etiam debebit personarum distinctio inter generantem Patrem et genitum Filium, quae distinctio penes principium activum attenditur.

II. Ubi tamen sedulo distinguendum erit id quod dicitur: *Filius est de substantia Patris*, secundum quod invenitur in divinis, et secundum quod invenitur in humanis. In humanis enim pars substantiae hominis generantis transit in substantiam geniti, quod in divinis esse nequit, cum natura divina impartibilis sit. Quapropter, necesse erit quod Pater, Filium generando, non partem naturae in ipsum transfuderit, sed totam naturam ei communicaverit, salva manente sola distinctione, quae est secundum originem.

3. — PROP. — **Filius Dei non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris.**

4. — **Auctoritas.** — In Symbolo ita profitemur: *Credo... in Dominum Nostrum Iesum Christum.... Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Pariter, inter anathematismos S. Damasi Papae in concilio IV, Romae, circa annum 378, celebrato contra Macedonianos, habetur [2]: *Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divina substantia ipsius, A. S.* Et in concilio Toletano II: *Nec de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia eius, idem Filius genitus vel natus esse credendus est.*

5. — **Patres.** — Patrum quoque una vox est. Sint pro omnibus S. Hilarius et S. Fulgentius; quorum ille ait [3]: *Unigenitus Deus cum natus sit, Patrem testatur auctorem; cum ex manente natus est, non est natus ex nihilo.* Hic autem haec habet [4]: *Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura, sine initio gennit Filium Deum sibi aequalem, et eâdem, qua ipse, naturaliter aeternus est, divinitate donavit.*

6. — **Ratio theologica.** — Si Filius Dei procederet a Patre, quasi existens de nihilo, non esset vere et proprie Filius. Atqui vere et proprie est agnoscendus Dei Filius,

[1] Ad 1um. — [2] N. 11. — [3] In l. XII. DE TRIN. — [4] L. DE FIDE AD PETRUM, c. 2.

iuxta illud[1]: *Ut simus in vero Filio eius Iesu Christo.* Ergo Filius Dei non est de nihilo, sed tantum de Patris substantia genitus.

7. — Exponitur. — Si Filius Dei a Patre procederet, tanquam de nihilo existens, hoc modo se haberet ad Patrem tanquam artificiatum ad artificem. Atqui artificiato non potest proprie competere nomen filiationis, sed solum secundum aliquam similitudinem. Ergo si Filius Dei procederet a Patre, quasi existens de nihilo, non esset vere et proprie Filius.

Tota vis *maioris* huiusce argumenti consistit in differentia quae est inter generationem veram et proprie dictam, per quam aliquis procedit ab alio ut filius, et generationem aequivocam vel factionem, per quam aliquid procedit ab alio ut factum. Nam, in primo casu, homo generat filium de seipso; in secundo autem casu, faciens facit aliquid, aut de exteriori materia, si scilicet sit agens creatum, sicut artifex facit scamnum de ligno; si autem sit agens increatum, tunc facit ex nihilo, sicut Deus ex nihilo mundum produxit; non quod nihilum cedat in substantiam rei, sed quia tota substantia rei a Deo producta est, nullo alio praesupposito. Sed in utroque casu, habetur solum factio, qua factum est a faciente, aut de aliqua praeiacente materia, aut de nihilo.

Igitur, cum Filius sit a Patre procedens, non potest nisi unum ex hisce duobus fingi: aut quod sit de substantia Patris et sic proprie genitus, et habemus intentum; aut quod sit per factionem productus a Deo, sicut scamnus producitur per factionem ab artifice; non quidem ita quod Filius Dei debuerit fieri ex praesupposita materia, nam primum agens non indiget aliqua materia ad operandum, sed ita quod fuerit factus ex nihilo. Sed si factus est ex nihilo, tunc filiatio et nativitas non est vere et proprie in divinis, nec consequenter paternitas, contra ea quae superius tradita sunt[2].

8. Tacita obiectio. — Sed quid, quod multi dicuntur filii Dei, qui tamen ex nihilo facti sunt, sicut et ceterae

[1] Io. I, 20. — [2] Quaest. XXVII, art. 2; XXXIII, art. 2, ad 4[m], et art. 3.

creaturae, cuiusmodi sunt qui sunt gratia sanctificante praediti?

Resp. Ita dicuntur non vere et proprie, sed *metaphorice* secundum aliqualem assimilationem ad eum qui vere Filius est. Quocirca, ad hanc differentiam innuendam, in Sacra Scriptura Filius Dei aliquando vocatur *unigenitus*, μονογενής, aliquando vero *primogenitus*, πρωτότοκος. Vocatur *unigenitus*, in quantum est solus verus et naturalis Dei Filius, iuxta illud [1]: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: vocatur autem *primogenitus*, in quantum per assimilationem ad ipsum alii dicuntur filii adoptivi, iuxta illud [2]: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* At non eodem modo dicitur *unigenitus* et *primogenitus*: nam *unigenitus* dicitur proprie, *primogenitus* autem quasi metaphorice, quia non eadem ratione alii dicuntur filii Dei, qua hoc nomen ipsi competit, qui est genitus de substantia Patris.

9. **Quaestio.** — *Quisnam sit sensus horum verborum* [3]: EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM, *et* [4]: AB INITIO ET ANTE SAECULA CREATA SUM, *quae verba ex ore Sapientiae genitae dicuntur?*

Resp. α) Duo in hoc contextu continentur: scilicet et quod sapientia sit genita, et quod sit creata; at ista duo non coniungi, sed dividi ita debent, ut *genitum esse* ad Sapientiam aeternam referri debeat, quae est Verbum Patris; *creatum esse* autem, ad sapientiam, non quae est Filius Dei, sed quae est sapientia creata, quam scilicet Deus indidit creaturis: quo sensu etiam legitur [5]: *Ipse creavit eam*, scilicet sapientiam, *in Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua.* Nec inconvenit quod in uno eodemque contextu locutionis, Sacra Scriptura loquatur de Sapientia genita, et de sapientia creata; nam sapientia creata aliud non est, nisi quaedam participatio Sapientiae increatae.

β) Aut, id quod dicitur *creatum esse*, potest referri ad humanam naturam a Filio Dei assumptam, cui provisum ab

[1] Io., I, 18. — [2] Rom., VIII, 29. — [3] Eccli., XXIV, 5. — [4] Ibid., 14. — [5] Ibid., I, 9, 10.

aeterno est quod Sapientia aeterna, sive Verbum Dei, in tempore uniretur.

γ) Vel melius dicendum est quod per hoc quod Sapientia dicitur simul creata et genita, modus eius generationis nobis insinuatur. Siquidem, in generatione, quod generatur accipit naturam generantis, quod perfectionis est, at cum mutatione, quod est imperfectionis; in creatione autem, creatum quidem non recipit naturam creantis, quod deficientiam arguit, attamen non mutatur, quod dicit perfectionem. Quapropter, Filius simul dicitur genitus et creatus, ut ex generatione accipiatur unitas naturae in Patre et Filio, et in creatione accipiatur immutabilitas Patris. Et sic exponit hunc locum S. Hilarius [1].

10. — **Scholion.** — Similiter, quod dicitur [2]: *Dicit Dominus extendens caelum et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo*: et iterum [3]: *Ecce formans montes, et creans ventum*, ubi Septuaginta habent, κτίζων πνεῦμα, quod est *creans spiritum*, non est intelligendum de Spiritu Sancto, sed de spiritu creato, qui quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quaecumque substantia invisibilis [4]. Quocirca, haec quidem de nihilo Deus producit; at Pater non generat Filium, nec Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum de aliquo alio, secus sequeretur quod aliquid alienum a Patre esset in Filio, et aliquid alienum a Patre et Filio esset in Spiritu Sancto, contra illud quod dicit S. Hilarius [5]: *Nihil in his diversum est, vel alienum.* Quapropter de seipso Pater generat Filium, Pater et Filius spirant, tanquam unum principium et per unicam spirationem, Spiritum Sanctum.

11. — **Difficultas.** — Id de quo aliquid generatur, si sit permanens, recipit praedicationem eius quod generatur, id est potest dici esse id quod generatur, sicut arca quae fit ex ligno, interdum dicitur esse lignum. Atqui Filius non recipit praedicationem Patris, non enim dicitur quod Pater sit Filius. Ergo Pater non generat Filium de seipso.

[1] L. DE SYNODIS, can. 5. Cf. quae diximus supra, quaest. prima, art. 1, n. 5, p. 15. — [2] ZACH., XII, 1. — [3] AMOS, IV, 13. — [4] Ad 4[um]. [5] L. VII, DE TRIN.

Resp. Dist. mai.: si id de quo res illa generatur se habeat tanquam principium materiale, *conc.*, si se habeat tanquam principium consubstantiale formale et activum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Igitur, secluso principio materiali, duo adserenda sunt: et quod Filius sit de Patre, et quod sit de essentia Patris, differenter tamen: nam de Patre est, tanquam de generante, seu de principio *quod*: de essentia vero Patris, tanquam de principio formali *quo*, in quantum essentia Patris, Filio per generationem communicata, in eo subsistit; at vero non potest dici quod Filius sit de essentia Patris, hoc sensu quod sit de Patre essentia, ut exponebat Magister Sententiarum [1], propter hoc S. Augustini [2]: *Tale est, quod dico de Patre essentia, ac si expressius dicerem: de Patris essentia*; — nam secus sequeretur quod omnes creaturae sunt ex Dei essentia, cum omnes sint ex Deo essentia [3].

12. — **Corollarium** — Ex his sequitur etiam quod non sit dicendum *Filium esse genitum ab essentia*, vel *per essentiam Patris*, secus significaretur essentia tanquam generans. Pariter, nec dicendum est quod *Filius sit de divina essentia*, nullo addito, sic enim importaretur distinctio Filii ab essentia, tanquam geniti a gignente, quo sensu etiam diximus supra [4], non esse dicendum quod tres personae sint de divina essentia, sic enim importaretur essentiae partitio. Multo minus dicendum erit quod *Pater sit de essentia Filii*: sic enim importaretur ordo Patris ad Filium, tanquam ad suum principium, quod haereticum est. Denique, nec proprie dici poterit Pater esse a seipso: sed haec propositio, ut ait Angelicus [5], *exponenda est per negationem, id est, non ab alio.*

Articulus IV. — *Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium.*

1. — **Praenotandum.** — Non hic agitur de potentia logica, quae est mera convenientia aut non repugnantia terminorum, sed de potentia reali; nec de potentia reali pas-

[1] 1. Dist. V. — [2] L. XV., de Trin., c. 13. — [3] Ad 1[m] et 2[m]. — [4] N. 1 — [5] 1, Dist. IX. art. 1, ad 3[m].

siva, quae est principium patiendi ab alio, quae profecto in Deo poni nequit, sed de potentia activa, quae est principium agendi in aliud [1]. Porro potentia activa in Deo duplici modo potest attendi: *uno modo*, prout respicit res alias a Deo in natura; *alio modo*, respectu ipsarum divinarum personarum, quae secundum actus notionales multiplicantur. Non autem de potentia priori modo accepta nunc agitur, sed secundo modo, et proposita quaestio sic potest concrete reddi: estne ponenda in Patre potentia respectu generationis Filii, aut: estne tribuenda Patri potentia generandi? Cui prima fronte negative videtur respondendum, eo quod si dicatur Pater potentia generare Filium, sequeretur: ergo Filius est factus aut creatus, ad instar eorum quae a divina essentia per potentiam sunt facta. Pro quo solvendo, sit

2 — PROP. — **In divinis personis est ponenda potentia respectu actuum notionalium.**

3. — **Prob.** — In eo in quo aliqui actus ponuntur, necesse est ponere etiam potentiam respectu horum actuum; potentia enim nihil aliud significat, nisi principium alicuius actus. Atqui in divinis ponuntur actus notionales. Ergo in divinis debet poni potentia respectu actuum notionalium.

4. — **Explicatur**. — Potentia generandi in Patre et potentia spirandi in Patre et Filio significant id quo Pater generat Filium, et quo Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum. Atqui omne agens aliquo agit, quod se habet veluti principium operandi. Ergo Pater aliquo generat, et Pater et Filius aliquo spirant; potentia autem generandi nihil aliud significat, nisi id quo generans generat, et potentia spirandi id quo spirantes spirant.

5. — **Fusius exponitur.** — Attamen, *maior* ista ulteriori explicatione indiget, quia sunt aliqui actus in Deo, verbi gratia, intelligere et velle, circa quos non potest salvari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi et significandi tantum, prout diversimode intelligitur

[1] Arist., V. Metaph., text. 17.

in Deo intellectus et intelligere, cum tamen intelligere Dei sit ipsamet eius essentia, circa quam principium non ponitur, nec consequenter potentia. Quapropter, maior illa non est intelligenda nisi de illis actibus, secundum quos aliquae res procedunt ut distinctae a Deo, sive essentialiter, sive personaliter.

Revera, actiones divinae sunt in duplici differentia. Aliae sunt in quibus Deus operans distinguitur, aut per essentiam, aut personaliter, a rebus quarum est principium: per essentiam quidem, sicut distinguitur a rebus quae per creationem ab ipso procedunt; personaliter vero, sicut una persona distinguitur ab alia cuius est principium per actum notionalem. Porro, principium distinctionem importat eius quod est a principio, ab eo cuius est principium. Igitur, respectu actionum quibus aliquid intelligitur procedere a Deo distinctum, sive essentialiter, sive personaliter, attribuitur Deo potentia secundum propriam potentiae rationem; et ita propriam potentiae rationem ponimus in Deo, tum circa actum creativum, tum circa actus notionales. Sed circa illas actiones quae non designant processionem alicuius rei a Deo distinctae, sive essentialiter, sive personaliter, non ponimus potentiam, secundum propriam potentiae rationem; secus daretur intelligi quod actio in Deo sit realiter distincta ab agente, quod non esse non posset, nisi actio in Deo esset accidens [1].

6. – Auctoritates. — Exinde S. Cyrillus Alexandrinus ait [2]: *Generandi vim naturaliter Pater habet, creandi etiam per Filium vim habet. Nec ideirco compositus est, haec enim omnia in una natura sunt.* Pariter S. Athanasius, expendens verba Psalmi CIX: *Ex utero ante luciferum genui te*, ait [3]: *Uterum audiens, generandi vim intelligo.* Et S. Augustinus [4]: *Si Deus Pater non potuit generare Filium sibi aequalem, ubi est omnipotentia Dei Patris?* Demum S. Fulgentius [5]: *Genitori, quod nefas est, potentia naturalis adimitur, si Filio paternae substantiae aequalitas abnegatur.*

[1] Ad 3m. — [2] Thes., I, 8. — [3] Dial. I. de S. Trin., 5. — [4] L. III, Contra Maxim., c. 7. — [5] Resp. V, ad Obiect. Arian.

7. — Difficultates. — I. Id, ad cuius productionem ponitur potentia, habet rationem facti Atqui personae divinae non habent rationem facti. Ergo ad personarum divinarum productionem non ponitur potentia.

Resp. Dist. mai.: si eius natura sit ut fieri possit, *conc.:* si eius natura sit ut non per factionem producatur, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* - Potentia sequitur naturam actus, circa quem ponitur, necnon naturam rei quae per potentiam producitur. Et quia res creatae procedunt a divina essentia uti factae, ideo potentia in divina essentia est ad faciendum; sed personarum divinarum proprium est ut procedant non ut factae; ideoque potentia, quae ad actus notionales ponitur, non ponitur per respectum ad aliquam personam factam, sed solum per respectum ad personam procedentem. Propterea, potentia quae ponitur respectu actuum notionalium, cum nullam claudat in suo termino passivitatem, simpliciter activa non est, sed potius superactiva, et ab omnipotentia differt, quae naturalis non est, sed potius rationalis, cum sit potentia operandi in creaturis [1].

II. Respectu operationum intellectus et voluntatis non ponitur potentia. Atqui actus notionales attenduntur secundum operationes intellectus et voluntatis. Ergo respectu actuum notionalium non ponitur potentia.

Resp. Dist. mai.: secundum quod terminantur in intellectu et in voluntate, *conc.;* secundum quod procedunt ad operatum distinctum ab operante, *nego. Dist. min.:* secundum quod operationes intellectus et voluntatis intelliguntur procedere ad operatum distinctum ab operante, *conc.:* secundum quod intelliguntur compleri in intellectu et voluntate, absoluto intelligendi et volendi actu, *nego.* — Revera, non est eadem ratio de intelligere et velle secundum se et absolute consideratis, quae est de generare aut creare; istae enim operationes habent operatum distinctum ab operante, sive essentialiter, sive personaliter, illae autem minime, cum ipsum intelligere et velle Dei sit eius essentia non habens principium [2].

8. — Quaestio. — *Cum potentia dicatur ad possibile, potestne dici quod persona divina sit possibilis ?*

[1] Ad. 1m. — [2] Ad 3m.

Resp. Possibile dupliciter sumi potest: *uno modo*, ut dividitur contra necessarium, et convenit cum contingente; *alio modo*, ut dividitur contra impossibile, ac continet sub se etiam necessarium: necessarium enim et ipsum est possibile. Sed personae divinae sunt necessariae: ergo dici possunt possibiles, eo sensu quo possibile dividitur contra impossibile et continet sub se necessarium.

Revera, possibile quod dividitur contra impossibile, latius patet, sub se comprehendens possibile esse et non esse, et non possibile esse et non esse, id est necessarium. Igitur omne necessarium est possibile, et ita vocari potest possibile. At possibile quod dividitur contra necessarium, consequitur potentiam passivam quae non est in divinis, unde non sic persona divina est possibilis, sed possibile quod dividitur contra impossibile imperfectionem non includit [1].

Ubi notandum est quod id quod habet S. Thomas [2]: *Neque in divinis est aliquid impossibile,...* (nisi) *secundum quod possibile continetur sub necessario*, per figuram inversionis, seu metonymiae dici, id est hoc sensu, quod vice versa necessarium continetur sub possibili; aut etiam hoc sensu potest intelligi, quod possibile continetur in necessario, sicut magis universale continetur in minus universali, quemadmodum animal continetur in homine. Sic enim ipsemet S. Thomas dixerat: *Possibile dupliciter dicitur: uno modo secundum quod dividitur contra necessarium, sicut dicimus illa possibilia quae contingunt esse et non esse; alio modo, secundum quod est commune ad ea quae sunt necessaria, et ad ea quae contingunt esse et non esse, prout possibile contra impossibile dividitur* [3].

Igitur persona divina dicetur *possibilis*, secundum quod possibile dividitur contra impossibile, non autem secundum quod dividitur contra necessarium.

Ut autem uno obtutu appareat quomodo persona divina dici possit possibilis, sequens schema subnectitur:

[1] Ad 2[m]. — [2] Ibid. — [3] In IX. Metaph., l. 3.

ARTICULUS V. — *Utrum potentia generandi significet relationem et non essentiam.*

1. — **Dubitandi rationes.** — Cum potentia aliud non significet, nisi principium agendi, principium vero dicatur una vel altera persona respectu personae procedentis; insuper cum potentia dicat posse, actus vero notionalis dicat agere, quod relationem significat, sicut generatio significat relationem, in divinis vero non distinguatur posse et agere, ideo concludendum videretur, potentiam, de qua in articulo praecedente egimus, quae scilicet ponitur respectu actuum notionalium, non essentiam, sed relationem significare debere. Quod eo vel magis dicendum videretur, quia cum ea quae essentiam respiciunt, communia sint tribus personis, si potentia essentiam significet, communis sit oportet tribus personis, dum tamen novimus quod potentia, verbi gratia, generandi, non est communis tribus personis, sed est propria Patri. Qua de re, quibusdam, cum Durando, visum est potentiam generandi in divinis significare relationem tantum: licet aliis cum Gregorio Ariminensi magis placuerit ut dicatur potentiam hanc reponendam esse tantummodo in essentia. Nos autem cum S. Thoma dicimus

2. — PROP. — **Potentia generandi α) non significat relationem, aut β) essentiam in quantum est idem relationi, sed γ) essentiam in recto et relationem in obliquo.**

3. — **Prob. 1ª Pars.** — Illud in quo genitum assimilatur generanti, est potentia qua generans generat. Id enim dicitur proprie potentia in quolibet agente, quo agens agit, et id quo agens agit est praecise id quo effectus assimilatur agenti, sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem; in omni enim productione lex est, quod producens aliquid per suam actionem, producat sibi simile quantum ad formam qua agit. Atqui id quo Filius Dei assimilatur Patri gignenti non est relatio. Ergo potentia generandi non significat relationem.

4. — **Confirmatur.** — Per id formaliter Pater est potens ad generandum, per quod est fecundus. Atqui Pater non habet fecunditatem a relatione aut proprietate quae est incommunicabilis. Ergo non per relationem Pater est ad generandum potens.

5. — **Prob. 2ª Pars.** — Relatio se habet in divinis ad essentiam, sicut in rebus creatis forma individualis se habet ad formam communem. Atqui forma individualis, in rebus creatis, non est id quo generans generat, secus Socrates generaret Socratem. Ergo relatio in divinis, verbi gratia, paternitas, non est id quo Pater Filium generat, secus generaret Patrem, non Filium. Quocirca, sicut forma individualis in rebus creatis constituit quidem personam generantem, attamen non est id quo generans generat, ita in divinis, licet paternitas constituat personam generantis Patris, tamen non est id quo Pater generat, sed Pater potentia generat.

6. **Prob. 3ª Pars.** — Quocirca necesse est dicere quod potentia in divinis, per respectum ad actus notionales, significat principium quo persona producit aliam personam et quo illam sibi assimilat. Atqui principium quo Pater generat Filium, et illum sibi assimilat, est natura divina. Ergo in divinis potentia significat essentiam divinam. — Non tamen absolute: nam, cum dicitur *potentia generandi*, potentia significatur in recto, et generatio in obliquo, sicut si diceretur essentia Patris; ideoque in recto significatur essentia, in obliquo autem, propter notionem quae connotatur, significatur persona Patris, et propter hoc, licet ea quae significant essentiam in divinis, sint tribus personis communia, tamen generandi potentia non est communis tribus personis, sed propria Patris [1].

7. **Confirmatur.** — a) Sic loquitur S. Hilarius [2]: *Nativitas Dei non potest eam, ex qua profecta est, non tenere naturam; nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde, quam de Deo subsistit.* Pariter S. Ioannes Damascenus [3] dicit quod

[1] Ad 3m. — [2] L. V, DE TRIN., n. 37. — [3] L. I, DE FIDE ORTHOD., c. 8.

generatio est *opus naturae — non sicut generantis*, addit S. Thomas, *sed sicut eius quo generans generat*. — 3) Voluntas generandi in divinis significat essentiam: ergo et potentiam: nam, sicut Deus potest generare Filium, ita et vult; et sic eadem est ratio de voluntate et de potentia generandi. γ) Per id formaliter Pater est potens ad generandum, per quod est fecundus. Atqui est fecundus per naturam ut in tali supposito existentem. Ergo Pater est potens ad generandum per naturam ut in ipso existentem, seu, ut ait S. Thomas, natura divina in Patre est potentia generandi in ipso. — *Prob. min.* ex hoc S. Ioannis Damasceni [1]: *Fecunditas in eo posita est, ut quis ex seipso, id est ex propria essentia, prolem natura similem edat.*

8. - **Quaestio**. - *Quo sensu potentia generandi significet principium?*

Resp. Cum in principio generante, sicut in omni agente, tria considerari possint, scilicet, α) ipsum generans *ut quod*, β) virtus sive forma *qua agit*, γ) *habitudo* quae exsurgit inter generans et genitum, sicut in generatione qua Socrates generat Platonem, invenitur et ipse Socrates, qui est *principium quod* generationis, virtus qua generat, seu *principium quo*, et *habitudo* Socratis ad Platonem, ideo opportune hic monendum est potentiam, quae ponitur in divinis respectu ad actus notionales, non debere sumi quasi significet ipsam habitudinem seu relationem principii, secus esset in genere relationis, nec prout significat principium quod generationis, quia principium *quod* debet esse distinctum ab eo cuius est principium, potentia vero qua Pater generat Filium non est quid distinctum a Filio, sed debet sumi prout significat principium *quo*, quod in Deo non est nisi essentia divina. Principium autem hoc modo acceptum, non est necesse quod sit distinctum ab eo cuius est principium, aut ab eo ad quem generandum ponitur: nam id quo generans generat est commune genito et generanti; imo tanto intimius utrique, quanto perfectior fuerit generatio. Unde, cum generatio divina sit perfectissima, id quo generans generat non modo est com-

[1] Loc. cit.

mune generanti et genito in eadem specie, sicut in rebus creatis, sed insuper est idem numero, scilicet eadem numero essentia divina, quae est in Patre et in Filio.

9. — **Corollarium I.** — Exinde sequitur quod licet dicatur quod Pater generat essentia divina, nullo tamen pacto dici valet quod ipsa essentia divina generat: quia in priori casu essentia significatur ut principium *quo*, quod non est necesse distingui re a generante aut a genito; in secundo autem casu significatur ut principium *quod*, quod a genito realiter distingui oportet. Quapropter, licet principium in divinis respectu personae dicatur notionaliter, tamen potentia quae ponitur respectu actuum notionalium, et quae quidem principium agendi significat, non significat ipsam relationem principii, ut sic ponatur in genere relationis, sed significat id quod est principium, non sicut agens dicitur esse principium, sed sicut id quo agens agit dicitur esse principium [1].

10. — **Solvitur obiectio.** — Dices, in divinis non differt agere et posse. Atqui agere, verbi gratia, generatio, spiratio, significant relationem. Ergo etiam potentia generandi et spirandi significat relationem.

Resp. Dist. mai.: realiter, *conc.;* ratione, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* Licet potentia generandi et ipsa generatio non differant secundum rem, tamen differunt secundum rationem. Unde sicut divina essentia, licet re sit idem cum relatione, tamen, quia differt ratione a relatione, non significat relationem, ita potentia generandi, licet sit idem cum generatione, tamen cum differat ratione, ideo non significat relationem [2].

11. — **Corollarium II.** — Sequitur etiam quod eadem sit, secundum rem, potentia qua Pater Filium generat, et qua Deus producit creaturas, licet distinguatur ratione: siquidem, sub primo respectu ita claudit relationem realem ad Filium, ut Patris sit propria; sub alio autem respectu, non claudit nisi rationis relationem ad creaturas, et toti Trini-

[1] Ad 1m. — [2] Ad 2m.

tati communis est. Quocirca etiam inferri potest quod, per respectum ad actus, potentia generandi prior est potentia creandi, sicut generatio Filii prior est creatione. *Potentia generandi et potentia creandi*, ait Angelicus [1], *quantum ad ipsam, ut ita loquar, substantiam, non solum univocatur, sed sunt unum. Sed quod analogice dicantur, hoc est ex ordine ad actus.*

Articulus VI. — *Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam ex quarta huius tractatus quaestione [2] constiterit, non posse plures quam tres personas dari in divinis, ex alia via repetitur modo eadem veritas, id est ex parte actuum notionalium, ut quaeratur utrum possit fingi actus, verbi gratia, generationis, ad plures filios terminari aut spirationis ad plures Spiritus Sanctos, aut etiam, retento personarum ternario numero, utrum generatio possit terminari ad Spiritum Sanctum aeque ac ad Filium, aut spiratio ad Filium non minus quam ad Spiritum Sanctum.

2. — PROP. — In divinis unus actus notionalis non potest terminari ad plures personas.

3. — Auctoritas. — Haec propositio, quae *de fide* est, sibi vult quod non possit esse in divinis nisi unus Pater, unus Filius et unus Spiritus Sanctus, seu, ut dicitur in symbolo Athanasiano: *Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.* — Eruitur autem ex omnibus illis locis tum ex S. Scripturis, tum ex Patrum traditione desumptis, in quibus veritas ista de Sanctissimae Trinitatis mysterio comprobatur [3].

4. — Rat. theol. — I. *Ex identitate esse et posse.* In divinis non differt esse et posse. Ergo si in divinis possent

[1] De Pot., Quaest. II, art. 6, ad 3m. — [2] XXX. — [3] Cf. quae dicta sunt in quaestione XXX, art. 2, et alibi, passim.

esse plures filii, de facto essent plures filii, et sic plures essent personae quam tres, quod est haereticum.

II. *Ex parte relationum.* In divinis nequeunt esse plures paternitates aut plures filiationes. Nam formae non multiplicantur in eadem specie, nisi propter materiam, quae in divinis non habetur. Sed relationes divinae sunt formae subsistentes non receptibiles in materia, et quae per seipsas individuantur: igitur nequit esse nisi una unius speciei, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi una. Sed relationes divinae sunt ipsaemet personae subsistentes: ergo nequeunt esse in divinis plures Patres aut plures Filii; et idem dicatur de Spiritu Sancto.

III. *Ex ratione processionum.* Deus omnia intelligit et vult uno simplicissimo actu. Ergo in Deo non potest esse nisi una persona procedens per modum Verbi quae est Filius, et pariter una tantum procedens per modum Amoris, quae est Spiritus Sanctus.

IV. *Ex modo procedendi.* Personae divinae procedunt naturaliter. Atqui natura determinatur ad unum. Ergo nequeunt plures personae procedere eodem modo.

V. *Ex perfectione divinarum personarum.* Tota divina filiatio continetur in Filio: hac enim de causa Filius est perfectus quia ipsi nihil deest de divina filiatione. Atqui adaequate perfectus suae speciei unus tantum est. Ergo Filius unus est, et eadem est ratio de aliis divinis personis.

5. — **Corollarium.** Ex his sequitur quod, licet Filius sit Patris aequalis eique simillimus, ut infra ostendetur [1], tamen potentiam non habet generandi, active sumendo gerundium istud, id est ad generandum. Nam, licet concedendum sit quod potentiam quam habet Pater habeat et Filius, tamen in hoc quod dico *potentiam ad generandum*, notionale adiunctum obstat quominus attribuatur Filio; sicut licet idem sit esse Patris et Filii, tamen propter notionale adiunctum non convenit Filio esse Patrem.

6. — **Tacita obiectio.** — *Dices:* Filius habet omnem po-

[1] Quaest. sequente.

tentiam quam habet Pater. Atqui Pater habet potentiam ad generandum. Ergo habet et Filius.

Resp. Dist. mai.: quae potentia est in Filio ut potuerit gigni, est et in Patre, ut potuerit gignere, *conc.*: secus, *nego* [1]. *Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Revera, posse gignere et posse gigni non significant quidem aliam potentiam; attamen hanc eamdem potentiam non sub eodem respectu significant, sed coniunctam alteri notioni. Re quidem vera, si in hoc quod dico *potentia generandi*, ly *generandi* sumatur pro gerundio verbi passivi, potest utique dici quod potentia generandi est in Filio; sensus enim est quod est in ipso potentia ut generetur. Quod similiter dici potest, si gerundium sit verbi impersonalis; tunc enim dicendo: *in Filio est potentia generandi*, sensus erit: est potentia qua ab aliqua persona generetur; sed sensus magis obvius est ut ly *generandi* sumatur pro gerundio verbi activi, quo sensu propositio est simpliciter falsa [2].

7. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus istorum verborum S. Augustini* [3]: FILIUS NON GENUIT CREATOREM; NEQUE ENIM NON POTUIT, SED NON OPORTUIT.

Resp. S. Augustinus non intendit dicere quod Filius generare posset, si vellet; sed quod si non generat, hoc non est ipsi ex impotentia tribuendum [4]. Nam etiamsi Filius alium Filium generaret, non esset cur in hac generatione sistendum esset, sed usque in infinitum oporteret produci filiorum generationem, ut explicat idem S. Augustinus verbis sequentibus: *Immoderata enim esset*, inquit, *divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram* (arianam scilicet) *sapientiam, impotens diceretur. Similiter etiam ille, si nepotem non gigneret avo suo, et pronepotem proavo suo, non a vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus omnipotens.*

[1] Cf. Mag. Sent., 1, Dist. VII, § *Item quaeritur*. — [2] Ad 1[m]. — [3] L. III, CONTRA MAXIMINUM, c. 12. — [4] Ad 2[m].

8. **Difficultas.** — Deus Pater est potentior ad generandum quam homo pater. Sed unus homo potest generare plures filios. Ergo et Deus. — *Confirmatur* ex eo quod potentia Patris uno Filio generato non diminuitur.

Resp. Dist. mai.: et potentia Dei Patris est in eodem ordine ac potentia hominis patris, *nego*; secus, *conc. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — In humanis, quod pater aliquis plures possit filios generare, non est ex simplici potentiae perfectione, sed potius est ex limitata et materiali potentia. E contra, immaterialitas et perfectio divina requiritur ut non possint esse plures filii in divinis; ideoque quod non sint plures filii non est ex impotentia Patris ad generandum [1].

[1] Ad 3m.

QUAESTIO DECIMA SEXTA.

(XLII).

DE AEQUALITATE ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM AD INVICEM

Prologus.

1. – Ratio quaestionis. Post exactam comparationem ad essentiam divinam, ad relationes, et ad actus notionales, restat ut ultimo loco, iuxta praestituta, fiat comparatio personarum inter se, tum secundum quod divinae personae in una eademque natura subsistunt, tum secundum quod una persona intelligitur oriri ab altera. Hinc duplex caput huius ultimae partis tractatus de Sanctissima Trinitate, scilicet *primum* de aequalitate et similitudine personarum, *alterum* de personarum divinarum missione.

Duarum autem haereseon, quae contra dogma de Trinitate pugnant, scilicet Arii, essentiam dividentis, et Sabellii, personas confundentis, altera ad hanc de aequalitate divinarum personarum quaestionem magis directe pertinet, altera vero ad quaestionem de earum missione; nam si, hinc quidem personas divinas inter se aequales esse denegare debeat qui Filium dicit creaturam Patris et Spiritum Sanctum creaturam utriusque, illinc doctrina de processione personarum et de reali earumdem distinctione salvari omnino non valet, nisi ponatur missio unius personae ab altera [1].

2. – Notio aequalitatis et similitudinis. — Quod ad primum attinet, videretur prima facie S. Thomas in decursu

[1] Recole quae de Arianismo et Sabellianismo diximus in Quaest. XXXIV, Prol., p. 255; et in Quaest. XXXVI, art. 2, p. 266, seq.

praesentis quaestionis proposito suo non satisfecisse. Quaerit enim, de aequalitate et similitudine divinarum personarum ad invicem, et in resolutione de similitudine vix loquitur, sollicitus tantummodo de aequalitate. Diligenter tamen consideranti apparebit, angelicum Doctorem, dum aequalitatem divinarum personarum probat, similitudinem etiam abundantissime intulisse.

Revera, similitudinem aequalitas includit, et aliquid amplius Ad cuius evidentiam, sciendum est quod aequalitas est *proportio aliquorum habentium unam quantitatem*: similitudo vero est *proportio habentium unam qualitatem*: igitur, sicut aequalitas fundatur in unitate quantitatis, ita similitudo fundatur in unitate qualitatis [1]. Porro, quantitas in divinis nequit accipi pro quantitate *dimensiva* aut molis, quae in solis rebus corporalibus reperitur; sed sumi debet pro quantitate *virtutis*, quae attenditur secundum perfectionem alicuius formae vel naturae; quae quantitas per hoc designatur, quod aliquid dicitur, verbi gratia, magis minusve calidum, in quantum est magis minusve perfectum in caliditate. Iamvero cum aequalitas, ut modo sumitur a nobis, attendatur secundum quantitatem non molis sed virtutis, ideo invenitur in illis tantum quae communicant in una ratione formae, immo in eodem gradu formae participatae. Quod si communicatio sit plurium participantium eamdem formam, sed secundum diversum gradum, ista similia dicuntur, sicut duo parietes inaequaliter albi similes dicuntur, et aer dicitur esse similis igni in calore. Ad hoc autem ut insuper duo eamdem formam participantia possint dici aequalia, necesse est ut etiam excessus excludatur, id est ut unum altero perfectius formam non participet. Igitur aequale includit simile, et viceversa; et cum probata fuerit divinarum personarum aequalitas perfecta, nullo negotio inferetur: ergo et divinae personae similes sunt [2].

3. **Quantitas virtualis.** — In distributione articulorum sub praesenti quaestione, S. Doctor videtur attendisse

[1] 2, Dist. XIX, Quaest. 1, art. 1, ad 4m. — [2] Cf. art. 1, ad 2m.

ad illam regulam S. Fulgentii [1]: *Aequalitas intelligitur in Patre et Filio et Spiritu Sancto, in quantum nullus horum aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.* Revera quantitas virtualis, penes quam attenditur aequalitas et similitudo in divinis, potest considerari aut in ipsa *radice*, sive *perfectione formae*, seu naturae, et ita dicitur magnitudo specialis, sicut dicitur magnus color propter suam intensionem et perfectionem, quo sensu dicit S. Augustinus [2] quod *in his quae non mole magna sunt sed virtute, hoc est maius esse, quod melius esse*, siquidem melius dicitur quod perfectius est. Aut quantitas virtutis attenditur in *effectibus formae*, quorum primus est *esse*, omnis enim res habet esse secundum suam formam; secundus vero effectus est *operatio*, nam omnis res agit per suam formam [3].

4. — **Quaestionis distributio.** — Igitur resoluto generaliter, in prima huius quaestionis parte, an sit ponenda, et quid sit in divinis aequalitas et similitudo (1), in secunda inquiri speciatim debebit quomodo ibi sit (2-6). At tres divinae personae prius considerari debent secundum quod una oritur ab altera (2-3), quam considerentur secundum quod in una essentia, aut forma communi, qua Deus sunt, subsistunt (4-6). Et quidem sub priori respectu, de duratione in essendo (2), necnon de ordine naturae inter ipsas dubitatur (3); super altero autem respectu, consideranda est aequalitas et similitudo divinarum personarum, tum secundum ipsam formae radicem (4-5), tum secundum effectus formae (6). Secundum formae radicem, penes quam attenditur magnitudo formae seu naturae, ut sciatur utrum eadem sit in divinis personis, deitatis communicatio (4), ad quam quaestionem alia pertinet de inexistentia divinarum personarum, quam inexistentiam theologi nomine *circumincessionis* designare consueverunt (5). Postremo denique, agendum remanebit de aequalitate divinarum personarum secundum effectus formae, qui sunt esse et operari; at, cum de esse iam actum sit, ubi de aequalitate personarum in dura-

[1] L. de Fide et Petr., c. 1. — [2] De Trin., l. VI, c. 18. — [3] Art. 1, ad 1m.

tione (2), hinc non restat nisi ut de personarum aequalitate determinetur secundum virtutem operativam (6).



Quapropter sex hic quaeruntur:

Primo. Utrum aequalitas locum habeat in divinis personis.

Secundo. Utrum persona procedens sit aequalis ei, a qua procedit secundum aeternitatem.

Tertio. Utrum sit aliquis ordo in divinis personis.

Quarto. Utrum personae divinae sint aequales secundum magnitudinem.

Quinto. Utrum una earum sit in alia.

Sexto. Utrum sint aequales secundum potentiam.

Articulus I. — *Utrum aequalitas locum habeat in divinis.*

1. - **Ratio articuli.** — Aequalitas, ut dictum est, attenditur secundum quod plura sunt unum in quantitate; at cum in divinis personis non inveniatur aut quantitas continua intrinseca, quae dicitur magnitudo, aut quantitas continua extrinseca, quae dicitur locus et tempus, sed nec secundum quantitatem discretam attendatur in eis aequa-

litas, quia duae personae plures sunt quam una, hinc, ut iam innuimus, quantitatem hic accipimus, quae est secundum perfectionem naturae, et quae dici solet quantitas virtualis [1]. Hic igitur generaliter vult statui circa divinarum personarum aequalitatem, id quod in subsecuturis articulis distinctius determinabitur.

2. — PROP. — **Necesse est ponere aequalitatem in divinis personis.**

3. — **Auctoritas.** — De fide haec veritas retinenda est; nam in Symbolo athanasiano Ecclesia confitetur quod *tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales*. Pariter in Concilio Lateranensi IV [2] definitur divinas personas esse *consubstantiales*, et *coaequales*, et *coomnipotentes*, et *coaeternas*. In Praefatione quoque Sanctissimae Trinitatis legimus: *Et in personis proprietas... et in maiestate adoretur aequalitas*.

4. — **Sacra Scriptura.** — Cum Iudaei quaererent Iesum interficere, eo quod *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* [3], Iesum hoc non negavit, sed dixit [4]: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit*: πατέρα ἴδιον ἔλεγεν τὸν θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ· ἀπεκρίνατο οὖν ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν οὐδέν, ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα· ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. Similiter, de eo expresse legitur [5]: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*.

5. — **Patrum vox.** — S. Leo Magnus ait [6]: *Cum Deus et omnipotens et aeternus creditur Pater, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens, quia Deus de Deo, de omnipotente omnipotens, de aeterno natus est coaeternus, non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia*. Sic etiam S. Augustinus [7]: *Tantus est vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus*

[1] Ad 1[m]. — [2] Cap. *Firmiter*. — [3] Io., V, 18. — [4] Vers. 19. — [5] Phil., II, 6. — [6] Ep. X, ad Flav. — [7] De Trin., l. VII, c. 8.

Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et S. Damasus, inter anathematismos in Synodo Romana latos habet [1]: *Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti, aequales, semper viventes, omnia continentes, visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, A. S.*

6. **Prob. rat. theol.** — Ea in quibus non reperitur maius et minus, sunt aequalia. Nam, secundum Aristotelem [2], aequale dicitur quasi per negationem maioris et minoris. Atqui in divinis personis non reperitur maius et minus. Ergo divinae personae sunt ad invicem aequales.

PROB. MIN. α) *Auctoritate.* In symbolo athanasiano dicitur: *In hac Trinitate nihil maius aut minus.* Pariter Boëtius ait [3]: *Eos differentia* (scilicet deitatis) *comitatur, qui vel augent vel minuunt ut Ariani, qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem diducunt.* Et S. Vincentius Lirinensis [4]: *Est quaedam imago Trinitatis ipsa* MENS *et notitia eius quae est proles eius ac de seipsa* VERBUM *eius et* AMOR *tertius, et haec tria unum atque una substantia; nec minor proles, dum tantum se novit mens quanta est, nec minor amor, dum tantum se diligit quantum novit et quanta est.*

β) *Ratione theol.* Omnes divinae personae habent unam numero quantitatem; nam quantitas in divinis aliud non est quam divina essentia, quae una numero in tribus est. Sed maius et minus, et consequenter inaequalitas reperiri nequit inter ea quae habent eamdem quantitatem numero: inaequalium enim nequit esse una quantitas numero. Igitur tres personae non haberent unam numero essentiam, et consequenter non essent unus Deus, si non esset in eis una quantitas. Ergo in divinis personis non invenitur maius et minus.

7. **Scholion.** — Quocirca, aequalitas divinarum personarum in earum consubstantialitate fundatur. Unde S. Basilius ait [5]: *Haec vocabula,* SIMILE SUBSTANTIA ὁμοιούσιον, *dummodo adiunctum habeant,* CITRA ULLAM VARIETATEM,

[1] 21. — [2] L. IX METAPH., t. 15. — [3] L. DE TRIN. — [4] COMMONIT. DE TRIN., — [5] EP. 41.

prorsus amplector, tanquam eadem cum omoousio ὁμοούσιος, id est CONSUBSTANTIALI, *pertinentia, secundum sanam omoousios notionem; qua ratione nicaeni Patres, cum dixissent:* LUMEN DE LUMINE ET DEUM VERUM DE DEO VERO, *et id genus, atque* UNIGENITUM *appellassent, consentanee omoousion, id est* CONSUBSTANTIALE *subiecerunt. Sane, neque luminis ad lumen, neque veritatis ad veritatem unquam, neque unigeniti substantiae, ad Patris substantiam comparatae, ulla potest, vel fingi cogitatione diversitas. Quare si quis ita, ut dixi, intelligat, eius vocem admitto.*

8. — **Notandum.** Notari autem non pigebit vocem hanc ὁμοούσιος, antiquiorem esse ipsa synodo nicaena, cum inveniatur Dionysius Alexandrinus [1] in epistola ad Dionysium Romanum dixisse se credere *Christum* ὁμοούσιον *esse Deo* [2]. Quod si quando aliquis ex Patribus, aut aliqua ex conciliis, ut concilium Antiochenum [3], hanc vocem reprobaverint, hoc fuit propter haereticum sensum quem Paulus Samosatenus et Sabelliani eidem affigebant, quasi nempe importaret dualitatem hypostaseon in uno Christo. Interdum etiam vox ista usurpata invenitur pro duorum unitate in natura specifica, non identica, quemadmodum in concilio Chalcedonensi Christus dicitur nobis consubstantialis; attamen universaliter accepta huius vocis notio est, ut significet duorum vel trium in deitate personarum unam identicam naturam singularem.

9. — **Quaestio.** — *Utrum aequalitas et similitudo dicantur mutua in divinis?*

Respondetur affirmative, si ista mutua aequalitas et similitudo significentur per nomina; negative vero si significentur per verba; seu potest dici quod Filius est aequalis et similis Patri, et e converso; sed dicitur quod Filius coaequatur Patri, et non e converso.

Prima responsionis *pars* ex eo evincitur, quod essentia divina non magis est Patris quam Filii, et sicut Filius habet magnitudinem Patris, quod est esse Filium aequalem Patri, ita Pater habet magnitudinem Filii, quod est esse Patrem

[1] C. A. D., 260. — [2] Cf. PETAV., l. IV, c. 5, cum annot. Zachariae. — [3] A. D., 269.

aequalem Filio. Quod quidem evidentius manifestatur ex comparatione divinarum personarum inter se, et Dei ad creaturas. Nam inter Deum et creaturas mutua similitudo non datur; quia, licet creaturae sint similes Deo, cum eius similitudinem aliquo modo participent, nequit tamen Deus dici similis creaturis, quia creaturae relate ad Deum non sunt unius ordinis; habent enim rationem causati relate ad Deum; causata autem dicuntur similia causis, in quantum habent formam causarum, sed non vice versa, quia forma est principaliter in causa, et tantummodo secundario in causato.

In his quae unius ordinis sunt, ait S. Thomas [1], *recipitur mutua similitudo, non autem in causa et causato. Dicimus enim quod imago sit similis homini, et non e converso, et similiter dici potest aliquo modo quod creatura sit similis Deo, non tamen quod Deus sit similis creaturae.* Et alibi [2]: *Idem est aliquid esse alicui simile, quod habere aequalitatem illius. Qualitas autem alicuius dicitur quod proprie et plene habet. Contingit autem quandoque quod qualitas illa perfecta est in utroque; unde utriusque dici potest; et secundum hoc in talibus potest dici quod utrumque alteri simile est. Quandoque autem qualitas aliqua est proprie et plene in uno, et in alio est tantum quaedam imitatio illius secundum aliquam participationem, et tunc illa qualitas non dicitur utriusque, sed eius tantum quod eam plene possidet. Et tunc illud quod non plene habet, dicitur simile ei, quod plene habet, et non e converso: ut si dicamus, quod pictura est similis homini, et non e converso. Non enim dicitur quod homo est similis suae imagini proprie loquendo.*

Secunda autem *pars* facile manifestatur. Nam verba *aequari, assimilari* et huiusmodi significant similitudinem cum motu; significant enim quoddam pati. Motus vero, licet in divinis proprie non reperiatur, reperitur tamen aliquid per modum motus significatum, scilicet *accipere*: Filius enim accipit divinam essentiam a Patre.

Quocirca, dicere quidem possumus quod Filius coaequatur Patri et ei assimilatur, non vero quod Pater coaequatur vel assimilatur Filio, secus daretur intelligi quod

[1] Quaest. IV, art. 3, ad 4^m. — [2] 1, Dist. XIX, Quaest. I, art. 2, sol.

Pater a Filio naturam divinam acceperit. Hinc S. Augustinus ait [1]: *Imago, si perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae* [2].

Ad quaestionem autem: quid sit aequalitas et similitudo in divinis personis, respondetur sequente

10. — PROP. II. Aequalitas et similitudo in divinis personis non est aliqua relatio realis distincta a relationibus personalibus; sed in suo intellectu includit et relationes distinguentes personas, et essentiae unitatem [3].

II. — Exponitur. — Cum in divinis personis nihil aliud sit considerare praeter essentiae unitatem, in qua personae communicant, et relationes quibus distinguuntur, aequalitas utrumque importat. Distinctionem quidem personarum, quia cum nihil dicatur aequale sibi ipsi, necesse est ut si sunt aequales, ab invicem distinguantur. Unitatem vero essentiae, quia personae ex hoc sunt aequales, quod sunt unius magnitudinis et essentiae. Ergo aequalitas non est aliqua relatio realis in Deo; quia si ita esset, vel esset relatio realis essentiae ad seipsam, quod repugnat, quia idem ad seipsum non refertur relatione reali; vel esset relatio unius relationis ad alteram, quod etiam esse nequit, quia una relatio ad aliam non refertur per aliquam aliam relationem, secus esset processus in infinitum. Cum enim dicimus quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem et filiationem. Ergo aequalitas et similitudo in suo intellectu includunt et relationes distinguentes personas et essentiae unitatem; unde Magister Sententiarum ait [4] quod *in his appellatio tantum est relativa* [5].

Quod aequalitas non sit aliqua relatio realis, *confirmatur* ratione sequente. Ad habendam relationem realem non solum requiruntur extrema realiter distincta secundum se, sed etiam ut sunt extrema talis relationis. Atqui, licet personae divinae sint realiter distinctae secundum se, tamen non sunt distinctae ut sunt extrema aequalitatis aut similitudinis,

[1] L. VI, DE TRIN., c. 19. — [2] Ad 3[m]. — [3] Ad 4[m]. — [4] 1. Dist. XXXI. — [5] Ad 4[m].

cum essentia divina, esse et operari, in quibus fundatur aequalitas, sint quid unum idemque numero in tribus personis.

Articulus II. — *Utrum persona procedens sit coaeterna suo principio, ut Filius Patri.*

1. - **Praemonenda.** — Sicut tempus ponitur mensura τοῦ esse entis mobilis, ita aeternitas ponitur mensura τοῦ esse entis immobilis; ideoque ponere quod persona procedens sit coaeterna suo principio non est excludere principium originis, sed potius est idem ac ponere quod una eademque sit mensura durationis Patris et Filii. Adseritur autem hic veritas catholica, non modo contra impias Arii, Aetii et Eunomii voces, verum etiam contra Paulum Samosatenum et Photinum, iactitantes Christum a Beatissima Virgine, tanquam purum hominem, omnino incoepisse, et postea ad divinitatem fuisse evectum. Contra quos sit

2. — PROP. — **Filius est coaeternus Patri, et Spiritus Sanctus Patri et Filio.**

3. - **Auctoritas.** - In Symbolo athanasiano dicitur: *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus... Totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.* In Nicaeno quoque concilio ariana de Filio formula: *Erat* (scilicet tempus *quando non erat* (Filius), damnata fuit. Eadem quoque veritas fuit definita in concilio Lateranensi IV [1].

4. — **Sacra Scriptura.** - De coaeternitate Filii cum Patre abundantiora sunt Scripturarum testimonia. Sic legitur [2]: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum commentans S. Thomas, ait [3]: *Aeternitas ponitur in hoc quod subiungit:* Ego hodie genui te. *id est aeternaliter: non enim est nova, sed aeterna generatio, et ideo dicit:* Hodie genui te, *quia* hodie *praesentiam signat, et quod aeternum*

[1] Cap. *Firmiter.* — [2] Ps. II, 7. — [3] Comment. in h. l.

est, semper est. Dicit etiam: GENUI TE, *et non genero, ad designandam generationis perfectionem: cum enim generatio sit sine motu, simul est generari et generatum esse. Dicit etiam* HODIE, *ut designet praesentialitatem cum claritate, quae conveniunt Christo, qui et lucem inhabitat inaccessibilem, et qui vere est in quo nihil est praeteritum, vel futurum, vel obscurum, sed clarum.*

Pariter legitur [1]: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis... Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Quae omnia explicitius repetens in evangelio S. Ioannes, ait [2]: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*: et rursus [3]: *Antequam Abraham fieret, ego sum*: et [4]: *Ego alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis.*

De Spiritus Sancti autem cum Patre et Filio coaeternitate, licet non habeantur tam aperta testimonia, tamen satis clare fidem faciunt Ioannis sequentia verba : *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Nec enim Filius illum a Patre mittere, nec ipse Spiritus a Patre processione ab intra procedere potest, nisi suo sit coaevus principio.

5. — Patres. S. Hilarius ait [5]: *Qui non semper Pater est, non semper et genuit. Ubi autem semper Pater est, semper et Filius est.* Pariter S. Athanasius [6]: *Cum enim sit aeternus Pater, aeternum erit illius Verbum ac sapientia.* S. quoque Ambrosius [7]: *Nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio. Semper igitur Pater, semper et Filius.* — Demum, in Synodo Toletana XI legitur: *Sempiternus Pater, sempiternus et Filius. Quod si semper Pater fuit, semper habuit Filium cui Pater esset; et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur.*

6. — Ratio theol. - Si Filius aut Spiritus Sanctus essent duratione essendi eo a quo procedunt posteriores, hoc

[1] Ibid., CIX, 1, 2, 4. — [2] I, 1. — [3] Ibid., V, 18. — [4] APOC., I, 8; XXII, 13. — [5] XV, 26. — [6] L. XII, DE TRIN. — [7] OR., II. — [8] L. I DE FIDE, c. 5.

esset vel ex parte agentis, scilicet personae producentis, vel ex parte actionis, qua persona procedens procedit. Atqui ex neutro capite hoc verificari potest. Ergo tum Filius tum Spiritus Sanctus sunt coaevi suo principio. Igitur Filius est coaeternus Patri, et similiter Spiritus Sanctus utrique.

7. — **Expenditur maior.** — α) Ex parte *agentis* quidem, aliter tamen in agentibus voluntariis, aliter vero in agentibus naturalibus. In agentibus voluntariis accidit quod procedens sit posterius suo principio propter electionem temporis, quia scilicet agens, sicut in sua potestate habet eligere formam quam effectui conferat, ita pariter in sua potestate habet eligere tempus in quo effectum producat; et proinde accidit quod productum sit producente posterius. In agentibus vero naturalibus idipsum accidere potest, eo quod agens non habeat a principio perfectionem virtutis ad agendum, sed ipsi post aliquod tempus adveniat, sicut patet in homine, qui statim ab initio generandi virtutem non habet.

β) Ex parte vero *actionis* impeditur quominus productum sit simul cum producente, ex eo quod ipsa actio sit successiva, et sic eius effectus non terminetur in instanti. Unde etiam dato quod agens statim ab initio perfectam agendi virtutem haberet, tamen, si eius actio successiva foret, effectus non posset esse causae coaevus.

Unde tria sunt quae possunt impedire quominus procedens sit simul cum eo a quo procedit: α) quando agens est voluntarium; β) quando, licet naturale sit, tamen non habet ab initio perfectam agendi virtutem; γ) quando, licet perfectam agendi virtutem statim ab initio habeat, actione tamen successiva operatur.

8. — **Expenditur minor.** — *Primo*, nec Pater Filium generat, nec Pater et Filius Spiritum Sanctum spirant voluntarie, sed necessario, ut ostensum est quaestione praecedente[1]; *secundo*, Pater habet ab aeterno perfectam virtutem generativam, et Pater et Filius perfectam virtutem spirativam, quia natura divina in utroque ab aeterno perfecta

[1] Art. 2.

fuit; *tertio*, Pater Filium non generat successive, nec Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum successive, quia secus et Filii generatio et Spiritus Sancti processio essent materiales et cum motu. Unde restat quod Filius est Patri coaeternus, et similiter Spiritus Sanctus coaeternus utrique.

9. - Impia Arii positio. Cum compertum sit divina humanis univoce comparari non debere, hinc apparet frustra prorsus eum laborare, qui ex rebus creatis modum divinarum processionum adinvenire contendat. Siquidem in omnibus modis, quibus aliquid est ex altero, deest aequalitas aut naturae, aut durationis. Oleum igitur perdidit et operam Arius, cum magno eruditionis apparatu duodecim distinxerit generationis modos, et cum, his recensitis, concluserit Filium Patre posteriorem dici debere, eo quod in nullo ex hisce modis invenitur procedens suo principio esse coaevum.

Siquidem, *primum* modum generationis ponebat Arius esse iuxta fluxum lineae a puncto; ubi tamen deest aequalitas simplicitatis; *secundum* modum, esse dicebat iuxta emissionem radiorum a sole, ubi deest aequalitas naturae; *tertium* modum, iuxta characterem, sive impressionem a sigillo, ubi deest consubstantialitas, et potentiae efficientia; *quartum*, iuxta immissionem bonae voluntatis a Deo, ubi etiam deest consubstantialitas; *quintum*, iuxta exitum accidentis a substantia, ubi accidenti deest subsistentia; *sextum*, iuxta abstractionem speciei a materia, sicut sensus accipit speciem a re sensibili, ubi deest aequalitas simplicitatis spiritualis; *septimum*, iuxta excitationem voluntatis a cogitatione, quae quidem excitatio temporalis est; *octavum*, iuxta transfigurationem, ut ex aere fit imago, quae materialis est; *nonum* modum ponebat esse motum a movente, et hic etiam ponitur effectus et causa; *decimum*, iuxta eductionem specierum a genere, qui tamen non competit in divinis, quia Pater non praedicatur de Filio, sicut genus de specie; *undecimum*, iuxta ideationem, ut arca exterior ab ea quae est in mente; tandem *duodecimum* generationis modum ponebat Arius esse iuxta nascentiam, ut homo est a patre, ubi est prius et posterius secundum tempus.

Hos igitur generationis modos adsignabat Arius, ut, quia

in omni modo quo aliquid est ex altero, deest aequalitas naturae, aut aequalitas durationis, concluderet oportere dicere Filium, si est a Patre, esse eo aut minorem, aut posteriorem, aut minorem simul et posteriorem.

10. **Refellitur.** At scire debuisset impius vir quod, ut advertit S. Augustinus [1], *nullus modus processionis alicuius creaturae perfecte repraesentat divinam generationem.* Ideoque oportet ex multis modis ita colligere similitudinem, ut quod deest in uno, aliquo modo suppleatur in altero. Ita generatio Filii ex Patre comparari potest emissioni radiorum a sole propter eius spiritualitatem et aequalitatem in duratione; sed deest consubstantialitas, quae aliquo modo suppletur ex nascentia hominis a patre. Quae autem in isto exemplo transmutatio clauditur, corrigetur, exemplo impassibilitatis verbi procedentis a dicente. Unde in Synodo Ephesina dicitur [2]: *Coexistere semper coaeternum Patri Filium Splendor tibi denuntiet, impassibilitatem nativitatis ostendat Verbum: consubstantialitatem Filii nomen insinuet.* Removenda tamen sedulo sunt, in istorum exemplorum usu, ea quae materialitatem aut compositionem sapiunt, ut esset fluxus lineae a puncto, exitus accidentis a substantia, abstractio speciei a materia, eductio specierum a genere. Inter omnia autem consubstantialitatem et coaeternitatem Filii cum Patre expressius repraesentat processio verbi ab intellectu, quod quidem non est posterius eo a quo procedit, nisi sit talis intellectus qui exeat de potentia in actum, quod in Deo dici nequit [3].

11. — **Difficultas.** Omne quod corrumpitur desinit esse. Atque eadem est contrariorum ratio. Ergo a pari, omne quod generatur incipit esse. Sed quod incipit esse non est aeternum. Ergo Filius Dei qui generatur, non est aeternus.

Resp. Nego conseq. — Licet enim omne quod corrumpitur desinat esse, tamen non omne quod generatur incipit esse. Revera, generatio potest dupliciter accipi: *uno modo*, cum transmutatione de non esse ad esse; *alio modo*, sine transmutatione. Et de generatione primo modo accepta ve-

[1] L. de Verbis Dom., Serm. 38. — [2] P. III, c. 10. — [3] Ad 1m.

rum est quod opponitur contrarie corruptioni. Sicut enim omne quod corrumpitur mutatur, et sic incipit non esse et desinit esse, ita omne quod cum mutatione generatur, desinit non esse et incipit esse. Sed generatio divina non est transmutatio; unde Filius semper generatur et Pater semper generat [1]. Quocirca ultimo concludendum est quod, quia aeternitas excludit quidem principium durationis, sed non principium originis [2], ideo quod repugnat Filio non est habere *esse* per generationem, sed habere *initium essendi* per generationem.

12. — Quaestio. — *Potestne dici quod Filius semper generetur aut genitus sit, an dicendum est quod Filii generatio finem acceperit* [3]?

Resp. Arianorum fuit blasphemia, Filium Dei non semper generari aut genitum esse, sed eius generationem finem habere quemadmodum et principium, proindeque sicut, iuxta ipsos, *erat* (scilicet tempus) *quando non erat* vel *antequam foret* (scilicet Filius), ita *fuit* (tempus) *postquam ipsum Verbum genitum fuit.* Quos acriter redarguit S. Cyrillus Alexandrinus [4], impiam eorum vocans doctrinam, qui dicunt Patrem a generando aliquando cessare, utpote qui naturae incommutabili commutationem adscribunt, ut modo generet, modo non generet.

Igitur quod Filius semper gignatur aut genitus sit, accipiendum est tanquam propositio *de fide*, decernente Concilio Lateranensi IV [5]: *Absque initio semper ac sine fine Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens.*

Revera, comparando tempus aeternitati, invenimus quod nunc temporis indivisibile constituit quidem praesens, sed est in continuo fluxu. Nunc vero aeternitatis pariter indivisibile constituit etiam praesens; at est omnino fluxus expers aut successionis, ideoque permanens. Propterea, quod fit in nunc temporis, non semper fit, sed aliquando factum est; quod autem fit in nunc aeternitatis, sive in instanti, et fit et semper fit. *Fit*, propter praesentialitatem;

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 4[m]. — [4] L. I, Thesauri, c. 6. — [5] C. *Firmiter*, de S. Trinitate.

semper fit, propter permanentiam. Sed generatio Verbi completur in aeternitate; igitur in nunc indivisibili praesenti et permanenti. Atqui propter primum dicitur quod Filius Dei gignitur: propter alterum vero, quod semper gignitur: ergo potest et debet dici quod *Filius Dei semper gignitur*. Hinc idem S. Cyrillus ait [1]: (Filius) *semper simul et est et generatur*; et Christus Iudaeis circa se altercantibus dicebat [2]: *Verus est qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse misit me*. Sed et de Spiritu Sancto non dicit: *Qui a Patre processit*, sed: *Qui a Patre procedit* [3].

13. — **Scholion.** — Attamen visum est SS. Augustino et Gregorio praeferendum ut dicatur quod Filius Dei semper sit natus. Prior enim scribit quod *melior est semper natus, quam qui semper nascitur* [4]. Alter vero ait quod non possumus dicere de Filio Dei *quod semper nascitur* [5]. Sed animadverti debet, hoc non contendere sanctos Patres, scilicet quod non liceat dicere: *Filius semper nascitur*; sed, ut notat Sylvius [6], illos potius respicere ad sensum quem vulgus in illis vocibus solet concipere. Quia scilicet notionem imperfectionis tempus praesens in nobis ingerere solet, ne, audiendo Filium generari, ipsum putemus non perfecte ad suae generationis terminum produci, ideo volunt isti Patres quod dicatur Filius Dei semper natus. Et ita in Sacris Scripturis invenimus verba temporis praeteriti interdum usurpata ad significandam processionem divinarum personarum. Sic dicitur [7]: *Ante Luciferum genui te*; et [8]: *Ego ex Deo processi*; et iterum [9]: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus esset apud te*; similiter in Symbolo fidei confitemur Filium Dei *genitum, non factum*.

14. — **Conclusio.** — Quapropter ad complete significandam aeternalem simul et perfectissimam Filii generationem, poterit simul utrumque dici, et quod Filius generetur, et quod genitus sit; ut, per primum, instans indivisibile et praesens innuatur: per alterum vero, perfectio generationis demonstre-

[1] Loc. cit. — [2] Io., VII, 28, 29. — [3] Ibid., XV, 26. — [4] In Quaest. XXVII, inter 83. — [5] L. XXIX, Mor., c. 1. — [6] In h. l. — [7] Ps., CIX, 3. — [8] Io., VIII, 42. — [9] Ibid., XVII, 5.

tur. Propterea S. Augustinus, cum de Filio dixisset [1]: *Sine tempore genitus*, postea subdit: *Sine fine nascitur*; et [2]: *Hoc est Verbum quod dicturus antea non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat.* Pariter S Gregorius Magnus: *Quia*, inquit [3], *Unigenitus Filius idem Verbum Patris et perfectione natus dicitur, et pro aeternitate semper nasci perhibetur, Sacra Scriptura libere de Deo dicere censuit, quia locutus est et loquitur. In eo enim quod perfectum Verbum genuit, et locutus est Pater; in eo autem quod semper gignit, utique loquitur* [4].

15. — **Solvitur obiectio.** — Contra hanc doctrinam obiiciebant Ariani: Quandocumque generans aliquid perfecte generat, generato illo, a generando cessat. Atqui Pater Filium generans illum perfecte generat. Ergo, generato Filio, a generando cessat. Et ita generatio Filii finem habet.

Resp. 2) *Nego mai.* Penes nos enim quandoque id invenitur, quod generans aliquod a generando non cessat, licet perfecte genitum genuerit. Sic, verbi gratia, sol non cessat a generando radium quem semel perfecte genuit, nec ignis a generando calorem, nec virgultum ad ripam fluminis a generando in aqua sui similitudinem.

3) *Dist. mai.*: quandocumque generans perfecte aliquid generat, quod in fieri tantum a generante dependet, generato illo, a generando cessat, *conc.*; quandocumque generans perfecte aliquid generat quod a generante dependet, tum in fieri, tum in esse, *nego.* Et ita, quia radius dependet a sole non modo in fieri, sed etiam in esse, ideo generato illo, a generando non cessat, et ita de aliis exemplis. Sed in divinis non est dependentia ulla unius personae ab altera, quia dependentia diversitatem naturae importat. Igitur *minor* debet paulisper diversimode distingui: Pater Filium generans illum perfecte generat, et una est utriusque natura unumque esse, *conc.*; et diversum est aut natura aut esse, *nego.* — Revera, in humanis, pater generans filium, ab illo generando cessat, completa generatione. Aliud enim ibi est et natura et esse: natura quidem specifice eadem est utrius-

[1] Serm. XXII, de Tempore. — [2] Serm. I et IX, de Natali Dom. — [3] L. XXIII, Moral. — [4] Cf. Sylvium, in h. l.

que: esse vero diversum. Sed in divinis, et natura est eadem specifice, et esse etiam idem est, seu natura individualis: proindeque, licet perfectissime Pater Filium perfectissimum generet, tamen a generando eum non cessat, quia eius generari est eius esse, eius autem esse est ipsamet essentia divina et esse Patris.

Articulus III. — *Utrum in divinis personis sit ordo naturae.*

1. – **Ratio articuli.** – Ex quo tres divinae personae aequales in duratione dictae sunt, sponte sua oritur quaestio, qua ratione inter sese ordinentur, cum nomine primae, secundae et tertiae a nobis soleant designari, quae quaestio de ordine naturae inscribitur, non quod ipsa natura divina sit ordini subiecta, sed quod illi qui in natura divina incommunicabiliter subsistunt, sint ita dispositi, ut unus dicatur primus, alius secundus, alius vero tertius.

2. – **Notio ordinis.** Porro tria de ratione ordinis, ut in rebus creatis nobis innotescit, esse comperiuntur: α) ratio prioris et posterioris; β) plurium rerum ab invicem distinctio; γ) comparatio, seu dispositio, aut distributio eorum secundum dignitatem, locum, originem aut tempus, habito respectu ad unum primum principium. — Ex quibus elementis, primum in creaturis tantum reperitur, et non est nisi de ratione veluti generica ordinis imperfectionem dicente, ideoque in divinis locum habere nequit; unde ait S. Augustinus [1] quod ordo naturae in divinis vocatur, *non quo alter sit prius altero, sed quo alter sit ex altero.* Secundum est conditio ad ordinem habendum, ordo enim nequit haberi nisi plura habeantur ab invicem distincta. Ergo id quod est formale in ordine est comparatio relate ad unum principium. Quocirca ordo, ut in divinis sumitur, poterit describi: *plurium rerum ab invicem distinctarum, secundum unum earumdem principium, dispositio.*

[1] Contra Maxim., c. 4.

Erit igitur officium nostrum, in hoc articulo, ostendere quod datur in divinis personis ordo naturae; tum determinare quid ibi significet ordo naturae; demum declarare quod ordo iste non inducit prioritatem et posterioritatem; quae tria exprimuntur sequenti

3. — PROP. — α) **In divinis personis est accipere ordinem naturae, qui** β) **nihil significat, nisi ordinem originis, et** γ) **excludit rationem prioris et posterioris.**

4. — **Prob. prima pars.** — **I. Ex inconvenienti.** — Si non esset ordo naturae, oporteret ut esset confusio in divinis personis: ubi enim plures sunt, nullo ordine inter se dispositi, confusio habetur. Atqui in Symbolo athanasiano sedulo vetamur confundere personas [1].

5. — **II. Ratione.** — Ubicumque sunt plures ad invicem se habentes tanquam principium et id quod est a principio, ibi necesse est accipere ordinem naturae. Atqui in divinis personis sunt plures ad invicem se habentes tanquam principium et id quod est a principio. Ergo in divinis personis necesse est accipere ordinem naturae.

Maior resultat ex conceptu *ordinis* qui, ut dictum est, non est nisi dispositio plurium ab invicem distinctorum, respectu unius principii; necnon ex conceptu *naturae*, quae apta nata est esse et in principio et in eo quod est a principio, cum omne agens agat propter suam formam.

Minor vero sic manifestatur. Quod sint plures se habentes tanquam principium et id quod est a principio, resultat ex hucusque dictis: ratio vero principii in hoc casu non debet accipi *situaliter*, quemadmodum punctus principium est respectu lineae, nec *logice*, quemadmodum prima principia respectu conclusionum, sed *physice et realiter*, non quidem secundum causam materialem, aut finalem aut formalem, sed secundum quod una persona originem habet ex altera, ut mox ostendetur.

[1] Cf. L. Aug., l. IV, sup. Gen., cc. 34, 35; Or. de quinque haeres.; l. C. Maxim., c. 4.

6. **Prob. secunda pars.** — Personarum distinctio secundum principium et id quod est a principio accipitur secundum ordinem originis in divinis. Atqui ordo naturae attenditur penes personarum distinctionem, secundum rationem principii et eius quod est a principio. Ergo ordo naturae significat ordinem originis in divinis personis.

Revera, distinctio personarum, licet formaliter sit a relationibus, tamen fundamentaliter repetitur ab originibus seu processionibus. Sed naturae ordo nihil aliud significat quam personarum distinctionem, secundum quod una ex altera procedere intelligitur in eadem natura divina similis et aequalis. Ideoque ordo naturae non significat formaliter aut essentiam aut personam, sed significat notionem, cum notio non sit nisi propria ratio cognoscendi divinam personam, et persona divina non cognoscatur, nisi secundum actus originis. Sed non significat hanc vel illam notionem, sed potius notionem in communi; et determinatur ad significandam notionem in speciali secundum diversa adiuncta; puta, si dicam: ordo Patris ad Filium, notio Patris quae est paternitas designatur [1].

Tandem cum dicitur *ordo naturae*, non sensus est quod ipsa natura ordinetur, quod importaret distinctionem in ipsa, sed sensus est quod in divinis personis attenditur ordo, qui quidem formaliter est secundum processionem unius personae ab altera, realiter tamen in una identica natura divina, quae aequaliter in omnibus personis est [2]. Bene quoque *naturae* ordo dicitur, cum sit eorum quae non libere sed naturaliter a Deo procedunt.

Hac etiam de causa, nempe quia ordo naturae significat rationem originis, melius vocatur ordo naturae, quam ordo essentiae. Nam essentia est principium essendi secundum quod non accipitur origo unius personae ab altera; sed natura est principium motus in viventibus, consequenter principium operationis, secundum quam origo personarum divinarum attenditur; unde etiam plura solemus dicere naturalia quam essentialia [3].

[1] Ad 1m. — [2] Ad 3m. — [3] Ad 4m.

7. · **Tertia pars** adiicitur ad excludendam quamcumque prioritatem et posterioritatem quam ordo videtur importare.

Quod debeat excludi a divinis personis prioritas et posterioritas temporis, resultat ex dictis articulo praecedente; quod autem excludi debeat prioritas et posterioritas in dignitate, evidens fiet ex articulo subsequente: at hic non apparet cur debeat excludi prioritas secundum ordinem naturae, cum penes nos ratio principii et eius quod est a principio hanc prioritatem et consequenter posterioritatem semper secumferat, ut patet in sole et radiis, in causa et effectu, in genere et specie, etc. Ex altera tamen parte servari debet inconcussa veritas catholica secundum quam profitemur in symbolo Athanasiano: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius.*

Ad quod resolvendum, iuvat animadvertere quod aliud est considerare rationem principii et eius quod est a principio in rebus creatis, et aliud idipsum considerare in rebus divinis. In rebus creatis, aliquando id quod est a principio est coaevum suo principio secundum durationem, sicut radius luci aut risibilitas homini; aliquando autem non, sicut filius genitus non est coaevus patri generanti. Rursus, in hisce aliud est considerare principium et principiatum materialiter, id est ut sunt res quaedam, aliud vero illa considerare *formaliter*, id est secundum formalem rationem principii et principiati. Igitur in rebus creatis, si principium et principiatum sumantur materialiter, principium semper est prius principiato et natura et intellectu, et, si non sint coaeva, etiam duratione. Si autem principium et principiatum sumantur formaliter, id est secundum relationes causae et causati, principii et principiati, tunc semper sunt simul natura et intellectu: natura quidem, quia relativa sunt simul natura; intellectu vero, quia unum est in definitione alterius.

Porro, in divinis, relationes sunt ipsae subsistentes personae in una natura. Igitur, nec ex parte naturae, nec ex parte relationum, una persona potest esse alia prior, aut secundum naturam, aut etiam secundum intellectum [1].

[1] Ad 2um

8. — **Conclusio.** — Igitur concludendum est ordinem naturae attendi in divinis, non *quo alter sit prius altero, sed quo alter sit ex altero*, ut ait S. Augustinus [1]; aut, ut habet Nazianzenus [2]: *Etsi Pater dedit Filio, non tamen quasi posteriori dedit, quia increata et inaestimabilis Trinitas unius est aeternitatis et gloriae, nec tempus nec gradum vel posterioris recepit vel prioris.* — Egregie Henricus Gandavensis [3]: *Absolute concedere oportet quod, etsi in divinis sit ordo, est tamen sine omni ante et post, priori et posteriori in ipsis ordinatis.*

9. **Scholion.** — Quando igitur vocatur Pater prima persona, Filius secunda, etc., hoc dicitur secundum *ordinem in numerando*, seu secundum numeralem ordinem aut ordinalem numerum. Ordo autem attenditur secundum originem, et sic numeratio ista ad originem pertineat necesse est. Sed ab hac numeratione omnis conceptus imperfectionis aut minoritatis sedulo est excludendus. Quocirca de Spiritu Sancto scribit S. Basilius [4]: *Dignitate quidem ordinis Spiritus Sanctus tertius est. Accepimus enim ipsum tertium a Patre et Filio numeratum, cum ipse Dominus in traditione salutaris baptismi, ordinem tradiderit his verbis:* EUNTES, BAPTIZATE IN NOMINE PATRIS ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *In naturam autem tertium a Filio et Patre dejectum Spiritum nullibi audivimus.*

10. — **Difficultas.** — Non desunt ex Patribus qui prioritatem et posterioritatem in ordine naturae docere videntur. Sic ipse S. Basilius ait [5]: *Nos autem secundum habitudinem causarum ad ea quae ex ipsis sunt, Patrem Filio praeponi dicimus, naturae vero diversitate nequaquam, neque temporis excessu.* Pariter S. Chrysostomus [6] ait: *Priusquam nasceretur Unigenitus in suo genitore generandus manebat.* Origenes quoque [7]: *Praecedit Pater Verbum, non natura, sed causa; Pater praecedit Filium causaliter.* S. Augustinus denique: *Iustis.* ait [8],

[1] L. C. MAXIM., c. 4. — [2] L. Or. 3, DE THEOL. — [3] Q. LII, quaest. 3. [4] L. III, CONTRA EUNOMIUM. — [5] L. I, CONTRA EUNOMIUM. — [6] Hom. I, DE FIDE IN CHRISTO. — [7] Hom. II, IN DIV. — [8] In lib. DE TRIPLICI HABIT.

manifestum erit quomodo Pater non praecessit Filium tempore sed origine, nec Spiritum Sanctum.

Respondetur, Patres sic fuisse locutos, quasi veniam dantes debili nostrae intelligentiae, quippe qui solemus suppositum Patris praeintelligere generationi Verbi, licet Pater formaliter nequeat concipi nisi Filius adsit. Nam, ut dictum est [1], primo intelligimus hypostasim Patris, postea actum generationis, tum relationem qua formaliter Pater ad Filium refertur, denique nativitatem Filii eiusque ad Patrem formalem relationem; at simul novimus haec omnia esse unam rem simplicissimam, scilicet divinam essentiam, in qua repugnat prioritatis et posterioritatis quaecumque ratio. *Ex quibus omnibus*, concludit Satolli [2], *colligitur quam bene Ecclesia catholica theologicis rationibus et sincera fide servet medium inter contrarias haereses, neque personas confundens, neque separans, ponens origine naturali ordinem inviolabilem inter eas; quin affirmet unam altera priorem vel posteriorem, nec duratione, nec natura; enumeransque primam, secundam et tertiam, velut tres annulos catenae, cuius unum est centrum quod aequat singulos et omnes tres circulos quin ullus altero sit maior aut minor.* Quod ita expressit Aligherius [3]:

Nella profonda e chiara sussistanza
Dell'alto lume parvemi tre giri
Di tre colori et d'una continenza.
E l'un dall'altro, come Iri da Iri
Parea riflesso e 'l terzo parea fuoco
Che quinci e quindi eternamente spiri.
O quanto è corto 'l dire, e come fioco
Al mio concetto.

Articulus IV. — *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem.*

I. — Ratio articuli. — Quoniam, secundum tritam S. Augustini sententiam, in his quae non mole magna sunt sed virtute, hoc est maius esse quod melius esse, bonitas vero attendi-

[1] Quaest. XL, art. 4. — [2] In h. l. — [3] Parad., Cant. XXXIII, vers. 115, seq.

tur secundum perfectionem formae, hinc quaerere utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem, idem est ac quaerere utrum forma deitatis sit aeque perfecta in Filio et in Patre. Et ideo ad hoc ut una persona altera maior praedicaretur, necesse foret ut ostenderetur eam esse altera meliorem, meliorem inquam, quantum ad formae perfectionem.

2. — PROP. α) **Filius Dei est aequalis Patri in magnitudine,** β) **et quidem ab aeterno.**

3. **Sacra Scriptura.** Cum haec veritas sit simpliciter *de fide* tenenda, *auctoritate* divinae revelationis primo loco firmabitur.

Sic loquitur S. Paulus de Filio Dei [1]: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*; ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσεν, μορφὴν δούλου λαβών, κ. τ. λ. Quibus verbis, comparatione instituta inter formam divinam Verbi et eius assumptam formam humanam, praedicare vult Apostolus, Filium non ita assumpsisse naturam hominis creatam, quod simul veritate et iustitiae necessitudine compelleretur deponere formam deitatis, quasi illam iniuste sibi comparasset, aut per vim rapuisset, sicut Lucifero evenerat; sed ita quod, licet naturalis esset Dei Filius, formam tamen servi, id est naturam humanam, mortalitati subiectam assumpserit.

Ubi μορφή, *forma*, non bene, ut vult Erasmus, accipitur pro *specie* aut *figura*, aut *habitu externo*, sed pro *natura ipsa*, ut constat ex forma servi, scilicet ex natura humana quae contraponitur formae Dei. Cum igitur semetipsum exinanivit Filius Dei, non alienum deposuit, sed semetipsum ad imum usque deiecit, ac divinitatem quodammodo exuit [2].

4. — **Confirmatur** verbis Christi Domini [3]: *Non rapiet eas* (oves meas) *quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.* In graeco communiter

[1] Phil., II, 6. 7. — [2] Cf. S. Aug., Contra Maxim., c. 5. — [3] Io., X, 28-30.

legitur: οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ (τ. ἐ. τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ) ἐκ τῆς χειρός μου. ὁ πατήρ μου ὃ δέδωκέν μοι πάντων μεῖζόν ἐστιν... ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Quibus verbis manifeste innuit Christus, se esse eiusdem virtutis ac Patrem, quandoquidem inculcat tam impossibile esse rapere oves de manu sua, ac de manu Patris. *Si autem eadem est virtus*, ait S. Chrysostomus [1], *manifestum quod eadem et natura*. Unde rationem reddit Christus, scilicet quia ipse et Pater unum sunt. *Si minor Filius esset*, ait idem S. Chrysostomus [2], *temerarium esset dictum*. Accedit proposito interpretatio Iudaeorum volentium Christum lapidare propter blasphemiam, scilicet, *quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum* [3]. — *Ecce Iudaei*, ait S. Augustinus [4], *intellexerunt quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici*: EGO ET PATER UNUM SUMUS, *nisi ubi aequalitas est Patris*. Christus vero nedum interpretationem Iudaeorum non correxit, quin potius confirmavit, se Patris Filium identidem appellans, verbi gratia [5]: *Pater in me est et ego in Patre*.

5. — Sanctus Augustinus expresse hanc veritatem declarat, cum, commentans verba [6]: *Ego et Pater unum sumus*, ait [7]: *Utrumque audi*: UNUM, *et* SUMUS, *et a Charybdi et a Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit* UNUM, *liberet te ab Ario; quod dixit* SUMUS, *liberet te a Sabellio. Si* UNUM, *non ergo diversum; si* SUMUS, *ergo Pater et Filius*. SUMUS *enim non diceret de uno, sed* UNUM *non diceret de diverso*.

6. — Tacitae obiectiones. — I. Nec obstat quod aliquando Patres citata Ioannis verba intelligunt de consensione morali, seu de unanimitate Patris et Filii. Nam a) non propterea excludunt unitatem naturae. Immo b) ex unitate naturae arguunt ad unitatem voluntatum. *Unum sunt Pater et Filius natura*, ait S. Hilarius [8], *honore et virtute, nec natura eadem potest velle diversa*.

II. Neque pariter adversatur huic argumento quod Chri-

[1] HOM., LX, IN Io., n. 2. — [2] Loc. cit. — [3] V. 23. — [4] TRACT. XLVIII, IN Io., n. 7. — [5] Vers. 37. — [6] Io. X, 30. — [7] TRACT. XXXVI, IN Io., n. 9. — [8] L. IX, n. 19.

stus dicit [1]: *Serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos*; nam, cum praedicatum debeat sumi secundum exigentiam materiae, ly *unum* hic significare nequit unitatem naturae divinae, cum creaturae talis unitatis capaces non sint. *Cum ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem,* VOLO, *inquiens,* UT IPSI SINT UNUM IN NOBIS, SICUT ET NOS UNUM SUMUS, *hoc nomen* UNUM *pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura* [2].

7. — **Prob. rat. theol.** — I^a **Pars.** — Magnitudo in divinis non aliud est quam perfectio naturae divinae. Igitur habens naturam divinam, quae est in Patre secundum illam perfectionem quae in ipso est, est aequalis Patri secundum magnitudinem. Sed Filius habet eamdem perfectionem naturae sicut est in Patre: est enim de ratione paternitatis et filiationis quod Filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturae quae est in Patre, sicut et Pater illam habet. Ergo Filius Dei est aequalis Patri secundum magnitudinem.

8. - **Prob. 2^a Pars.** — Filius procedens a Patre sic, ut virtus generativa Patris defectiva non sit, et genitus non successive generetur, nec per transmutationem ad perfectionem perveniat, est semper aequalis Patri. Atqui Filius Dei procedit a Patre, sic ut virtus generativa Patris defectiva non sit, et genitus non successive generetur, nec per transmutationem ad perfectionem perveniat. Ergo semper est aequalis Patri.

Minor constat. Maior declaratur exemplo a contrario. Ideo in humanis, homo filius non statim est aequalis patri generanti, sed necesse habet ut per debitum incrementum ad aequalitatem cum patre perveniat, quia humana generatio est quaedam transmutatio exeuntis de potentia in actum, ideoque filius successive per debitum incrementum ad aequalitatem cum patre pertingit, nisi aliter eveniat propter defectum principii generationis. Igitur ille filius qui

[1] Io., XVII, 11. — [2] Innoc. III, in Conc. Lat. VI, DE SUMMA TRINIT. ET FID. CATH., cap. *Damnamus.*

non per defectivam virtutem, aut per transmutationem aut successive generatur, statim est similis patri generanti. Unde dicit S. Hilarius [1]: *Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores et omnem humanam necessitatem, omnis filius secundum naturalem nativitatem aequalis patris est, quia est et similitudo naturae.*

9. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus horum verborum* [2]: PATER MAIOR ME EST [3]?

Resp. Possunt verba ista intelligi tanquam dicta de Filio hominis secundum humanitatem, secundum quam minor est, non solum Patre et Spiritu Sancto, sed etiam ipsis angelis, iuxta illud [4]: *Eum autem qui modico quam angeli minoratus est*; imo secundum generationem humanam minor est etiam quibusdam hominibus, puta parentibus, quibus erat subditus [5]. Pater vero nemini subiicitur. Unde dicitur in Symbolo Athanasiano: *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* S. autem Hilarius [6] mavult Patrem, etiam secundum divinitatem, esse Filio maiorem, quin tamen Filius sit eo minor. Est enim Pater Filio maior non potestate, aeternitate et magnitudine, sed *donantis auctoritate...*, licet *minor non est cui unum esse donatur.* Siquidem Pater nihil ab alio accipit. Filius vero naturam divinam accipit a Patre per aeternam generationem. Est ergo Pater maior, quia dat; sed non est Filius minor, quia totum quod Pater habet accipit. Minor enim nequit esse donante, cui unum idemque esse donatur [7].

10. — Scholion. — Pariter digna sunt quae notentur verba S. Pauli [8]: *Cum autem subiecta fuerint illi* (Filio) *omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς πάντα ἐν πᾶσιν.

Porro, Sabelliani et Marcionitae, teste S. Ambrosio [9], hanc subiectionem Filii interpretabantur, quasi Filius ali-

[1] In lib. de Syn., post can. 27. — [2] Io., XIV, 28. — [3] Ad 1um. — [4] Hebr., II, 9. — [5] Luc., II, 51. — [6] L. IX, de Trin., — [7] Cf. S. Thom., Comment. in Ev. Io., in h. l. — [8] I, Cor., XV, 28. — [9] L. V, de Fid., c. 7.

quando desiturus esset, in Patrem finaliter refundendus. Alii vero, quorum meminit S. Augustinus [1], hanc Filii subiectionem *ipsius humanae formae in divinam substantiam commutationem* intelligendam esse putabant.

11. **Catholicorum interpretatio.** — Non una autem est catholicorum de hac re interpretatio. S. Ioannes Chrysostomus, cui subscribunt Theophylactus et Oecumenius, volunt hic Filium dici Patri subiectum, quod a Patre gignente, tanquam a principio, Filius habeat et divinam naturam, et esse et posse omnia. Hoc sensu, dicit S. Hilarius [2], *quod subiectio Filii naturae pietas est, id est, recognitio auctoritatis paternae; subiectio autem ceterorum creationis infirmitas.*

Alii vero, quos inter S. Athanasius, S. Theodoretus, S. Ambrosius et S. Augustinus, censent verba ista intelligi posse de corpore Christi, id est de Ecclesia, ita ut Filium subiectum fore Deo significet totum corpus Christi mysticum fore aliquando Deo per omnia subiiciendum.

Melius alii hanc subiectionem intelligunt *iuxta dispensationem carnis assumptae*, ut ait S. Hieronymus [3], id est, secundum humanam eius naturam, ita ut sensus sit tunc Christum subiectum iri Deo, cum omnia illi fuerint subiecta, non quod antea ipse subiectus non fuerit, sed quod sit tunc mansurus Deo subiectus: tum ut confiteatur Patrem se maiorem, tum ut illi regnum omniaque bona cum gratiarum actione referat. Ubi notandum est subiectionem Filii hoc sensu acceptam, non tantum esse relate ad Patrem, sed etiam relate ad Spiritum Sanctum immo et ad semetipsum ut Verbum Patris est; solus autem hic Pater nominatur, eo quod a Patre existunt aliae personae [4].

12. **Difficultates.** 1. Ille cui deest aliqua dignitas quae convenit alteri, non est huic aequalis in magnitudine. Atqui Filio deest dignitas quae convenit Patri, scilicet paternitas. Ergo Filius non est aequalis Patri in magnitudine.

Resp. Conc. mai. Nego min. Nam, cum aequalitas in divinis attendatur secundum magnitudinem, et magnitudo si-

[1] L. c. SERM. ARIAN., c. 37. — [2] In lib. DE SYNODIS. — [3] L. I. DIALOG. ADVERS. PELAG., c. 6. — [4] Cf. Estium in h. l.

gnificet perfectionem naturae, et consequenter ad essentiam pertineat, ideo aequalitas et similitudo in divinis attenditur secundum essentialia, minime vero secundum relationes. Unde S. Augustinus ait [1]: *Originis quaestio est quid de quo sit, aequalitatis autem qualis aut quantus sit.* Ast paternitas non est dignitas Patris, nisi secundum quod est essentia Patris, dignitas enim est absoluta et ad essentiam pertinet. Cum igitur eadem sit essentia in Patre et in Filio, ita etiam eadem est in utroque dignitas; sed in Patre essentia et dignitas est paternitas, in Filio vero est filiatio. Vere ergo dicitur quod quidquid habet Pater, habet et Filius; at perperam concluderetur: Pater habet paternitatem, ergo et Filius habet paternitatem: sic enim mutaretur *quid* in *ad aliquid*, quia licet eadem sit essentia et dignitas in Patre et in Filio, tamen in Patre est secundum relationem dantis, in Filio autem secundum relationem accipientis. Male igitur dicitur in *minori:* Filio deest dignitas quae convenit Patri, scilicet paternitas; quia licet ipsi paternitatis relatio desit, dignitas tamen Patris Filio non deest: siquidem est ipsamet Filii essentia [2].

II. Ubicumque est totum et pars, plures partes sunt aliquid maius quam una tantum, sicut tres homines sunt aliquid maius quam unus tantum. Atqui in divinis est totum universale et pars, nam sub relatione aut notione plures notiones continentur. Ergo Pater est aliquid maius Filio, cum in Patre sint tres notiones, in Filio autem duae tantum.

Resp. Transmissa mai. nego min. Nego conseq. et conseq. — Relatio in divinis, aut notio, non est aliquid totum universale, licet de singulis relationibus aut notionibus praedicetur; nam totius universalis partes secundum esse et essentiam distinguuntur, omnes autem relationes et notiones unum sunt secundum essentiam et esse. Pariter persona, licet de tribus personis praedicetur, non est quid universale in divinis. Quocirca, neque omnes relationes sunt aliquid maius quam una relatio tantum, neque omnes personae sunt maius aliquid quam una tantum; tota enim perfectio divinae naturae est in qualibet personarum [3]. *Tantum est una*

[1] L. III, Contra Maxim., c. 18. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m].

quantum tres simul, ait S. Augustinus [1], *nec plus aliquid sunt duae quam una.*

Nec Pater, Filium generando, aliquid diminutionis in sua essentia, aut in suo esse passus est. *Dici non potest*, ita concilium Lateranense IV [2], *quod partem substantiae suae Pater Filio dederit, et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit eam sibi. Alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo quod sine alla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accipit.*

Articulus V. — *Utrum Filius sit in Patre, et e converso.*

I. — Quid sit circuminsessio. — Ex eo quod divinae personae aequales sunt secundum magnitudinem, quod est, ut diximus, secundum naturae aut essentiae perfectionem, aliud circa easdem personas ad invicem consideratas consequitur determinandum, scilicet *intima, inseparabilis et perfectissima inexistentia, seu inhabitatio unius personae in alia*, quod apud theologos usu venit ut appelletur *circuminsessio*.

Ad circuminsessionem igitur, quam Graeci apte περιχώρησιν vocant, duo requiruntur, scilicet suppositorum distinctio, et unitas essentiae. Nam proprie idem suppositum in seipso esse non dicitur, sed tantummodo improprie, scilicet partium ratione, quae tamen partes in divinis non habentur. Praeterea, quae ab invicem distincta sunt, nisi eorum essentia eadem sit, non possunt ita esse in invicem, ut non plus perfectionis sit in omnibus quam in uno, et non minus in uno quam in omnibus, quod tamen requiritur ad praefatam inhabitationem habendam [3]. Quocirca, circuminsessio, ex parte identitatis naturae opponitur Arii erroribus; ex parte vero distinctionis personarum directe impetit Sabellii blasphemiam.

[1] VI, de Trin., cap. ult. — [2] De Summa Trin. et Fid. cath., c. *Damnamus*. — [3] Cf. l. IV, Contra Gent., c. 9.

2. — Modi quibus unum in alio esse dicitur. — Porro longe a veritate catholica abesset qui putaret hanc inexistentiam divinarum personarum in invicem convenire cum uno alterove ex iis modis essendi alicuius in aliquo, qui in rerum natura inveniuntur. Quos quidem octo connumeravit Philosophus [1]; scilicet secundum quod totum est in partibus, aut partes in toto; genus in specie aut species in genere; forma in materia; mobile in movente; id quod est ad finem in fine; locatum in loco. Nam ea omnia creaturis conveniunt, et ideo non sufficienter repraesentant quae Dei sunt, et sic iuxta nullum horum modorum Filius est in Patre, aut vice versa. Propius tamen ad modum essendi divinarum personarum in invicem accedit reductive per quamdam similitudinem modus ille, secundum quem aliquod mobile dicitur esse in movente, aut melius aliquid dicitur esse in principio originante; nisi quod in rebus creatis, inter principium et id quod est a principio, unitas essentiae deficit [2].

3. — PROP. — Filius est in Patre, et vice versa; omnesque divinae personae ad invicem inexistunt.

4. — Sacra Scriptura. — Christus de seipso dixit [3]: *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?..... Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Et iterum inculcat Christus [4]: *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* In graeco autem ad solum Philippum prima dirigitur interrogatio: οὐ πιστεύεις, κ. τ. λ.; quae autem in Vulgata secundo loco interrogatio habetur, proponitur per modum imperii: πιστεύετε, κ. τ. λ. Quem locum exponens Angelicus, ait: *Essentia Patris est Pater, et essentia Filii Filius. Ubicumque ergo est essentia Patris, est ipse Pater: et ubicumque est essentia Filii, est ipse Filius. Essentia autem Patris est in Filio, et essentia Filii est in Patre. Ergo Filius est in Patre, et Pater in Filio.* Quinimmo, Dominus Noster hanc divinarum personarum ad invicem inhabitationis proprietatem ita ex-

[1] L. IV, Physic., t. 23. — [2] Ad 2[m]. — [3] Io., XIV, 10. — [4] Ibid., vers. 11.

tulit, ut illam proponeret tanquam perfectissimum nostrae cum Deo unitatis typum, dicens [1]: *Rogo..... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.*

5. — Patres. — Accedit et Patrum auctoritas. Sic S. Hilarius ait [2]: *Pater in Filio est, et Filius in Patre. Deus in Deo.. Non est corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentis naturae habeant perfectam unitatem; at manens unigeniti nativitas, a paternae divinitatis est inseparabilis veritate.* Pariter S. Cyrillus Alexandrinus [3]: *Filium ex Patre ineffabiliter natum esse, et in ipso manere intelligimus; eodem modo de Spiritu Sancto. Est enim ex Deo vere, non disseparatus a substantia eius, sed procedens potius ex eo, in eo semper manens.* Nec tacendus S. Augustinus qui, postquam dixerat tantum esse unam personam, quantum tres simul, addit [4]: *Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus; et omnia in omnibus et unum omnia.* Denique S. Ioannes Damascenus ait [5]: *Tres personas invicem in se esse dicimus, ne deorum copiam ac turbam inducamus.* Et [6]: *Personae aliae in aliis sunt, non ut inter se confundantur, sed ut cohaereant.*

6. Rationes theologicae. — In Patre et Filio tria est considerare: scilicet α) essentiam, β) relationem et γ) originem. Atqui secundum quodlibet istorum Pater est in Filio, et e converso; iterumque uterque est in Spiritu Sancto, et vice versa. Ergo omnes personae ad invicem inexistunt.

7. — Evolvitur minor. — α) **Ex parte essentiae.** — Quae ab invicem ita distinguuntur, ut tamen unam eamdemque indivisibilem naturam habeant, ad invicem necessario inexistunt. Atqui tres personae ita ab invicem distinguuntur, ut tamen unam eamdemque indivisibilem naturam habeant. Pater enim suam essentiam, quae est ipsemet Pater, Filio communicat, qui itidem est ipsa sua essentia; quod quidem non per aliquam transmutationem fit, ita quod eadem identica natura

[1] Ibid., XVII, 21. — [2] L. VII, de Trin. — [3] L. IX, in Io., c. 39. — [4] L. VI, de Trin., c. ult. — [5] L. I, Orthod. Fid., c. 10. — [6] C. 11.

est in Patre, et Filio, et pariter in Spiritu Sancto. Ergo ex capite identitatis et unitatis essentiae in Deo evincitur inexistentia divinarum personarum ad invicem. Quod ita exprimit S. Hilarius [1]: *Naturam suam, ut ita dicam, sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem: ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus insit.*

Haec ratio potissima est, et apud Patres usitatissima, quippe quae magis congruit verbis Sacrae Scripturae; et ex ea deducitur quod ista mutua inexistentia aliud non significat, nisi quamdam intimam praesentiam divinarum personarum ad invicem et in invicem, quae non novam relationem realem addit, sed tantummodo rationis relationem.

8. — β) **Ex parte relationum.** — Eorum quae relative opponuntur, unum est in altero secundum intellectum, id est, in ratione unius relativi cadit suum correlativum. Atqui divinae personae ab invicem distinguuntur secundum relationes. Ergo una persona est intime et inseparabiliter in altera secundum intellectum. At, non solum secundum intellectum, sed etiam secundum rem, scilicet absolutam, quae est divina essentia, secundum quam non attenditur inter eas oppositio [2]. Nam, licet paternitas et filiatio formaliter in eodem esse non possint, ita quod sint quasi proprietates constitutivae unius eiusdemque personae, possunt tamen esse in eodem secundum identitatem essentiae, secundum quam Pater et Filius non opponuntur.

9. — γ) **Ex parte originis.** — Ille qui procedit ut verbum, est in eo a quo procedit secundum originem, et similiter quod dicitur verbo, continetur in verbo. Atqui Filius procedit ut Verbum a Patre, et similiter Pater ipse dicitur Verbo. Ergo Filius est in Patre secundum originem, et Pater est in Verbo, quod est Filius. Quod pariter dicendum est de Spiritu Sancto, qui a Patre et Filio procedit ut amor. Revera, Filius quidem procedit a Patre, unde et aliquando dicitur egredi ab eo, iuxta illud : *Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*; sed tamen iste exitus non est secundum aliquid extra, sed secundum modum processionis interioris,

[1] L. V. de Trin. — [2] Ad 3[m]. — [3] Mich., V, 2.

prout verbum exit a corde, et manet in eo: ideoque iste exitus non est secundum aliquam essentialem distantiam, sed solum secundum distinctionem relationum [1]. — *Confirmatur* hoc argumentum ex comparatione inter modum quo hinc Pater producit Filium et uterque producit Spiritum Sanctum, et illinc modum quo Deus producit creaturas: scilicet, si ex perfectissimo modo quo Deus producit creaturas, concluditur Deum esse in omnibus rebus et intime, a fortiori ex perfectissimo modo quo Pater producit Filium, concluditur ipsum esse in Filio [2].

10. — **Quaestio**. — *Utrum Pater sit in Filio, et Filius in Patre secundum se totum, an solum secundum essentiam?*

Resp. Pater est in Filio, et Filius in Patre secundum se totum. Sic enim canit Ecclesia [3]:

Aurora lucem provehit,
Cum luce nobis prodeat
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Sic etiam loquitur S. Athanasius [4]: *Universa enim plenitudo et integritas deitatis est Pater, ut Pater: universa pariter plenitudo deitatis est Filius, ut Filius: quandoquidem amborum una forma intelligitur, quae integre se in utroque et solide exhibet.*

Revera persona divina, secundum nostrum intelligendi modum, coalescit ex essentia et relatione, sicut Pater ex deitate et paternitate. Porro, deitas, quae est in Patre, qua Pater est Deus, tota est in Filio qua etiam Filius Deus est; paternitas vero, licet ut relatio est, constitutiva personae Patris, sit in Patre et non in Filio, tamen in quantum relatio est idem cum divina essentia, sic tota pariter in Filio est, cui esse Filium nihil de deitatis plenitudine adimit [5].

11. — **Difficultas**. — Eorum, quorum unus dicitur esse apud alterum, unus non est in altero. Atqui Filius dicitur esse apud Patrem, iuxta illud [6]: *Verbum erat apud Deum*. Ergo Filius non est in Patre, et vice versa.

[1] Ad 2[m]. — [2] Cf. Sylvium, in h. l. — [3] In Hymno Fer. II, *ad Laudes*. — [4] Or. c. Greg. Sab. — [5] Cf. Sylvium, l. c. — [6] Io., I, 1.

Resp. Dist. mai.: in iis penes quos, cum distinctione suppositorum, est etiam distinctio naturae, *conc.*; si sit sola distinctio suppositorum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — *Una persona dicitur esse apud aliam*, ait S. Thomas [1], *ratione distinctionis; sed dicitur esse in alia, vel quantum ad essentiam, vel quantum ad intellectum relationum, quia in una intelligitur alia, quamvis unum relativum ab altero sit distinctum.* Attamen, nequit vice versa dici quod *Pater erat apud Verbum*, quia per hoc quod aliquis dicitur in divinis esse apud alterum, non solum distinctarum personarum inhabitatio significatur, sed etiam ordo originis, ita quod qui apud alterum esse dicitur, intelligatur ab eo procedere: Pater autem a Filio non procedit; qua de re ait idem Angelicus [2]: *Verbum erat apud Deum, ut apud auctorem.*

Articulus VI. — *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum potentiam.*

I. — Ratio articuli. — Non de potentia passiva, quae est principium patiendi ab alio hic agitur, sed de potentia activa, quae est principium agendi in aliud: Deus enim summe perfectus est et in actu; ideoque, cum unumquodque, secundum quod est in actu et perfectum, secundum hoc sit principium activum alicuius, patiatur autem secundum quod est deficiens et imperfectum, clarum est hic sermonem esse non posse de potentia passiva, sed tantum de potentia activa [3].

At, nec de potentia quantum ad actus notionales hic proprie est sermo, sed de potentia quantum ad effectus exteriores, quae etiam *potestas* solet nominari, et quae in Deo infinita est, quia esse eius est proprie infinitum [4]; quanquam etiam dubitatio resolvenda erit utrum carentia potentiae ad actum notionalem, puta quod Filius generare non possit, omnipotentiae alicuius divinae personae officiat. - *Alicuius* divinae personae, dicimus: non enim solum Filium, sed etiam Spiritum Sanctum propositum dubium respicit.

[1] 1, Dist. XIX, Quaest. III, art. 2, ad 2[m]. — [2] In Comment. sup. Io. — [3] Cf. 1, Quaest. XXV, art. 1. — [4] Ibid., art. 2.

Instituitur autem haec quaestio propter errorem Maximini ariani, qui, tempore S. Innocentii I, posuit Patrem esse Filio potentiorem, eo quod ille solus Filium generare potest: quem S. Augustinus, tribus libris adversus eum conscriptis, invicte confutavit. Abaelardo quoque haec attribuitur labes, quod dixerit *hanc propriam Patri adscribi potentiam, quod solus ipse per se subsistere queat* [1]. Contra quos, sit

2. PROP. — **Divinae personae sunt inter se aequales in potestate.**

3. — **Auctoritas.** Veritatem hanc ita in Symbolo athanasiano Ecclesia nos profiteri iubet: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*; et, in concilio Lateranensi IV [2]: *Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, et coaequales et coomnipotentes.*

4. — **Sacra Scriptura** huius Filii cum Patre aequalitatis in potentia, clarissimum exhibet commentarium. Cum enim Dominus Noster hominem ad piscinam per triginta annos languentem sanasset, iubens illum sabbato tollere grabatum suum, *propterea*, ait Evangelista [3], *persequebantur iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus usquemodo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quaerebant eum iudaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, et dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit, et maiora his demonstrabit ei opera ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filius, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem qui misit illum.*

Quae verba diligenter consideranti facile patebit, 1° Filio

[1] Cf. Satolli, in h. l. — [2] Cap. *Firmiter*, DE SUMM. TRIN. — [3] Io., V, 16-23.

non deesse aliquid de Patris potestate; 2° hanc tamen potestatem in Patre esse quasi originarie, in Filio vero sicut a Patre sibi communicatam; 3° et quidem ad omnes actus in quos potest Pater: 4° rationem vero huius esse aequalitatem Filii cum Patre in perfectione naturae divinae.

5. — Patres. — Quae omnia ita comprehendit *S. Hilarius* [1]; *Naturae divinae haec unitas est, ut ita per se agat Filius, quod non a se agat.* Et *S. Ioannes Damascenus* [2]: *In Trinitate, una est substantia, una bonitas, una virtus, una voluntas, una operatio, una potestas, una eademque, non tres sibi invicem similes... Nam in omnibus Pater, Filius et Spiritus Sanctus unum sunt, praeterquam in innascibilitate, in nativitate et in processione.* Ἐπὶ τῆς τριάδος μία οὐσία, μία ἀγαθότης, μία δύναμις, μία θέλησις, μία ἐνέργεια, μία ἐξουσία, μία καὶ ἡ αὐτή, οὐ τρεῖς ὅμοιαι ἀλλήλαις... ὅτι κατὰ πάντα ἕν εἰσιν ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα, πλὴν τῆς ἀγεννησίας καὶ τῆς γεννήσεως, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως.

6. — Rat. theol. — Potentia agendi consequitur perfectionem naturae. Atqui Filius est Patri aequalis in perfectione naturae, et Spiritus Sanctus aequalis utrique. Ergo tres divinae personae sunt inter se aequales in potentia, sive potestate.

Prob. mai. exemplo: videmus enim in creaturis quod quanto aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo. *Prob. min.* Nam ipsa ratio divinae paternitatis et filiationis exigit quod Filius sit aequalis Patri in magnitudine, et consequenter in perfectione naturae.

7. Scholion. — Diximus quod hic agitur de potentia absolute inspecta, non autem quantum ad actus notionales. Revera, potentia, verbi gratia, generandi, non pertinet ad omnipotentiam simpliciter, sed ad omnipotentiam Patris; potentia enim generandi, praeter divinam essentiam, quae est ipsa omnipotentia, claudit etiam paternitatis relationem, quae opponitur filiationi; unde propria est Patris, sicut id quod dicitur: *Deus Pater*, proprium est Patris, quanquam

[1] L. IX, de Trin. — [2] L. de Fide Orthod., c. 8.

Deus est commune tribus personis [1]. Igitur Filius habet eamdem potentiam quam habet Pater, sed cum alia relatione; nam Pater hanc potentiam habet ut *dans*. Filius autem eam habet ut *accipiens*; et hoc significatur cum dicitur quod Pater potest generare, et quod Filius potest generari; ideoque, sicut eadem essentia, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio, ita eadem potentia quae est in Patre ut generet, est in Filio ut generetur. Quocirca id quod S. Augustinus dicit [2]: *Si non potuit generare sibi aequalem, ubi est omnipotentia Dei Patris?* potest aeque de Filio dici ut generetur, ut ex eo quod generatur aequalis Patri, praedicandus sit aeque ac Pater omnipotens. Igitur discrimen rationis est inter potentiam Patris et potentiam Filii quantum ad actus notionales; quod tamen discrimen non debet refundi in omnipotentiam Patris et omnipotentiam Filii absolute spectatam, haec enim una est et re et intellectu, sicut una est essentia.

Quapropter *arguenti*: Ad omnipotentiam Patris pertinet quod possit generare Filium sibi aequalem; atqui Filius non potest generare Filium sibi aequalem: ergo non est ei in potestate aequalis, — *respondetur concessis praemissis, negando conseq. et conseq.*; nam mutatur *ad aliquid* in *quid*, seu relativum in absolutum, cum generatio significet relationem in divinis, potestas autem, de qua est illatio, sit quid essentiale [3].

8. — **Difficultas**. — Ille α) quem Pater edocet, β) cui Pater praeceptum dat, γ) qui non operatur, nisi viderit Patrem operantem, est Patre minor in potestate. Atqui α) Filium Pater edocet [4]: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit*; et rursus Filius se audire testatur [5]: *Sicut audio, indico*; β) Pater mandat Filio, hic autem obedit [6]: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; γ) Pater a se operari potest: Filius autem de se dicit [7]: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Ergo Pater est Filio maior secundum potestatem.

[1] Cf. DE POT., Quaest. II, art. 5, ad 4[m]. — [2] L. III, CONTRA MAXIM., c. 7. — [3] Ad 3[m]. — [4] Io., V, 20. — [5] IBID., 30. — [6] IBID., XIV, 31. — [7] IBID., V, 19.

Resp. Dist. mai. α) Quem Pater edocet, educendo illum de potentia ad actum scientiae, *conc.*: communicando illi scientiam eo modo quo communicat essentiam, *nego.* β) Cui Pater mandatum dat, cui Filius obedire debeat vera subiectione, *conc.*: quod significet communicationem per generationem ab aeterno scientiae et voluntatis agendorum, *nego.* γ) Qui non operatur, nisi viderit Patrem operantem, quasi desit ei aliqua potestas quae sit in Patre, *conc.*, quasi ab eo potestatem accipiat, a quo habet naturam, *nego. Dist. min.* in eodem sensu, *nego conseq. et conseq.* — α) Quando dicitur quod Pater demonstrat Filio id quod facit, et similiter quod Filius audit Patrem, per hanc demonstrationem Patris et auditionem Filii, non intelligitur aliud, nisi quod Pater communicet Filio scientiam, sicut et essentiam. β) Quando dicitur quod Pater mandatum Filio dedit, non sensus est quod ipsi imperaverit sicut superior inferiori, sed quod ipsi communicaverit ab aeterno scientiam et voluntatem agendorum, ipsum generando; aut melius, hoc referendum est ad Christum secundum humanam naturam. γ) Demum, cum dicitur: *Filius non potest a se facere quidquam*, non subtrahitur Filio aliqua potestas quam habeat Pater, cum statim subdatur: *Quaecumque* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit*, sed significatur quod Filius habet potestatem a Patre, a quo habet et naturam [1].

[1] Ad 1um et 3um.

QUAESTIO DECIMA SEPTIMA.

(XLIII).

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM

PROLOGUS.

1. — **Gravitas huius quaestionis.** Quanti sit praesens quaestio, quae secunda est in illa parte in qua agitur de comparatione personarum ad invicem, facienda, apparet ex hoc quod Ariani, et postea Macedoniani, suarum haereseon fulcimentum ex male intellecta divinarum personarum missione desumpserint. Audientes enim [1]: *Sensum tuum quis sciet, nisi... miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis*, et [2]: *Ut credant quia tu me misisti*; et plurima similia loca in quibus Filius et Spiritus Sanctus missi perhibentur, posuerunt hoc esse haud posse, nisi et qui mittit imperio et dignitate praesit, et qui mittitur inferior sit et subiectus.

2. — **Huius quaestionis cum aliis partibus relatio.** Quam congrue vero claudatur tractatus de Sanctissimae Trinitatis mysterio quaestione de divinarum personarum missione, evidentissime apparet ex eo quod α) hic replicata traduntur ea quae huius mysterii intimam rationem constituunt, scilicet personarum unitatem in identitate essentiae et earum distinctionem in relationum oppositione. Nequit enim una persona ab altera mitti, nisi et ab ista distinguatur, et eius in operando efficaciam participet, quae quidem efficaciae communio in divinis unitatem naturae signat. Insuper, β) cum mitti divinae personae conveniat secundum quod ex

[1] Sap., IX, 17. — [2] Io., XI, 42

altera procedit, et novo modo in creaturis rationalibus existere incipit, hinc praesens congruum vinculum exhibetur, quo uniatur illa prima theologiae pars quae de Deo agit divinisque processionibus ad intra, cum illa quae immediate subsequitur, scilicet de processione creaturarum a Deo. Tandem γ) cum missio invisibilis ad solas creaturas rationales fiat per gratiae regenerationem, visibilis autem missio maxime facta fuerit per Verbi Incarnationem, exinde etiam apparet quam pulcre per hanc de divinarum personarum missione quaestionem, via planior sternatur ad mysteria tum gratiae, tum Incarnationis intelligenda. Quocirca quaestio praesens et dictorum de Deo uno et trino ἀνακεφαλαίωσις, et tradendorum de ordinis supernaturalis constitutivis προπαιδεία congrue dici potest.

3. — **Dicendorum ordo.** — Octo articulis S. Thomas totam hanc quaestionem absolvit, quae quidem duabus distinctis partibus constat. Nam, primo, de missione divinarum personarum generaliori quadam ratione agendum est (1-3); quae tamen postea speciatim est ad examen revocanda (4-8). Et quidem, de missione generaliter tria sunt per ordinem discutienda: primo an conveniat (1); secundo, qualis sit (2); tertio, propter quid sit (3). Quibus resolutis, specialis de personarum missione quaestio iterum bipartita apparet, ita ut, primo, de persona missa (4-7), secundo vero de persona mittente (8) agatur. Quantum vero ad personam missam attinet, primo praeiudicialiter determinandum est, cuinam personae conveniat mitti (4), secundo vero de ea quae mittitur persona formaliter agendum est (5-7). Quod, quia missio alia est invisibilis, alia vero visibilis, ita praestandum erit, ut primo, de invisibili missione, tum quantum ad personam sic missam (5), tum quantum ad eos ad quos sic mittitur (6), determinandum sit. Tum de visibili missione quaestione peracta (7), de persona mittente determinandum relinquetur, non quidem qualitercumque; sed, habito respectu ad quamdam S. Augustini auctoritatem, inquiretur (8) utrum persona mittens possit etiam latiori quodam sensu dici tum una relate ad seipsam, tum alia a qua ipsa persona missa non procedit, tum etiam tota Trinitas.



Hinc, circa hoc quaeruntur octo:

Primo. Utrum alicui divinae personae conveniat mitti.

Secundo. Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum.

Tertio. Secundum quid divina persona invisibiliter mittatur.

Quarto. Utrum cuilibet personae conveniat mitti.

Quinto. Utrum invisibiliter mittatur tam Filius quam Spiritus Sanctus.

Sexto. Ad quos fiat missio invisibilis.

Septimo. De missione visibili.

Octavo. Utrum aliqua persona mittat seipsam visibiliter, aut invisibiliter.

Articulus I. — *Utrum alicui personae divinae conveniat mitti.*

1. **Sententiae.** — In definienda missionis quidditate, non una fuit theologorum mens. Alii, ut Suarez [1] et Petavius [2], illorum Patrum freti auctoritate, qui divinarum personarum processionem vocant missionem, aiunt missionem

[1] L. XII, in init. — [2] De Trin., l. VIII, c. 1.

aliud non esse ab aeterna processione unius personae ab altera. Alii, quos inter adnumerant Magistrum Sententiarum [1], S. Bonaventuram, et licet prorsus immerito, ipsummet S. Thomam, tenent missionem non esse nisi externam operationem secundum temporalem effectum alicuius aeternae personae. — Quae ut clariora fiant, necesse est ut primo iuxta S. Doctorem, genuinum missionis conceptum, ut hic exponitur, tradamus.

2. — **Conceptus missionis.** In ratione missionis duo importantur, scilicet habitudo missi ad mittentem et habitudo eiusdem missi ad terminum missionis; aliis verbis, *quis a quo*, et *quis ad quem*. Porro habitudo missi ad mittentem nihil aliud est quam processio quaedam missi a mittente, quae quidem processio potest tripliciter attendi: α) vel secundum *imperium*, sicut servus mittitur a domino; β) vel secundum *consilium*, sicut rex dicitur mitti a consiliariis ad bellandum; γ) vel denique secundum *originem*, sicut flos emittitur ab arbore. Habitudo autem missi ad terminum missionis consistit in eo quod ille qui mittitur incipit aliquo modo esse ubi prius non erat, et hoc quidem dupliciter: aut scilicet α) quia nullo modo erat in termino missionis, sicut si quis mitteret aliquem ad locum ubi prius nullo modo fuisset, aut β) quia licet ibi antea fuerit, tamen incipit ibi esse aliquo modo quo antea non fuerat.

3. — **Quomodo sit missio in divinis.** Porro satis constat non posse dari missionem in divinis, secundum quod missio importat processionem missi a principio mittente aut secundum imperium, aut secundum consilium; nam imperans est maior et consilians est sapientior; divinae autem personae sunt aequales in magnitudine et in sapientia. Igitur si detur in divinis missio, haec non erit nisi secundum quod importat processionem originis missi a mittente, quae processio est secundum aequalitatem [2].

Rursus, nec hoc sensu accipitur missio in divinis, quasi missus incipiat esse ubi prius nullo modo extitisset. Taliter

[1] 1, Dist. XV. — [2] Ad 1[m].

enim missus sua missione localiter movetur; unde oportet quod loco separetur a movente, seu a mittente, unde dicit S. Hieronymus [1]: *Quod coniunctum est et in corpore uno copulatum, mitti non potest.* Sed divinae personae inseparabiles sunt; unde earum missio est sine separatione, sed habet solam distinctionem originis, et persona divina missa non incipit esse ubi prius non fuerat, nec desinit esse ubi prius fuerat [2].

Igitur missio, in divinis, ex parte termini ad quem non potest accipi, nisi secundum quod persona divina incipit esse novo modo ubi prius quidem fuerat, sed alio modo. *Non enim*, ait S. Ambrosius [3], *Deus de loco aliquando decedit, qui ait: Ego caelum et terram compleo. Sed in eo descendere videtur, si nostros Dei Verbum penetret affectus.*

Quocirca iam poterit missio congruenter definiri: *Processio missi a mittente in aliquem terminum, nova actione, aut novo effectu attingendum immediata praesentia* [4].

4. PROP. — **Alicui personae divinae potest convenire ut mittatur.**

5. **Sacra Scriptura.** Apud S. Ioannem legitur [5]: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Pariter [6]: *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater.* Rursus [7]: *Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum.* Et [8]: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Paulus quoque idipsum praedicat, dicens [9]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.*

6. — **Patres.** Ex *Patribus latinis* satis erit adduxisse S. Gregorium Magnum, cuius celeberrima est ista sententia [10]: *Spiritus Sancti missio ipsa processio est, qua de Patre*

[1] Super Ezech., l. V, Comment. in illud: *Ut portas.* — [2] Ad 2[m]. — [3] L. V, de Fide, c. 3. — [4] Cf. Card. Satolli, h. l. — [5] III, 27. — [6] Ibid., VIII, 16. — [7] Ibid., 29. — [8] Ibid., XX, 20. — [9] Gal., IV, 6. — [10] Hom. XXVI, in Evang.

procedit et Filio. — Graecorum quoque *Patrum* fidei testis esto Anastasius Antiochenus, qui Spiritum Sanctum dicit [1] *mitti non solum a Patre, sed etiam a Filio.*

7. — Ratio theologica. — Missio attenditur, quantum ad mittentem, secundum quod missus ab ipso procedit, et quantum ad missionis terminum, secundum quod novo modo missus incipit in illo existere. Atqui alicui divinae personae convenit, tum ut ab alia secundum originem procedat, tum ut novo modo in mundo existere incipiat. Ergo divinae personae potest convenire ut mittatur.

Maior est explicatio conceptus missionis; *minor* verificabilis ostenditur de aliqua persona, puta de persona Filii, et secundum originem a Patre procedentis, et novo modo in mundo existere incipientis. Dicit enim de ipso S. Ioannes [2]: *Et Verbum erat apud Deum..... In mundo erat..... in propria venit.*

8. — Explicatur. — *Per hanc clausulam:* ET VERBUM ERAT APUD DEUM, *ostenditur,* ait S. Doctor [3], *coniunctio Verbi ad Patrem in natura, secundum Basilium* [4]*: distinctio autem in persona, secundum Alcuinum et Bedam; subsistentia Verbi in natura divina, secundum Chrysostomum* [5]*; auctoritas Patris ad Verbum, secundum Hilarium.* Quae quatuor paulo superius S. Doctor ita exposuerat: *Significat haec praepositio* APUD, *primo, subsistentiam in recto, quia ea quae subsistentiam per se non habent, non dicuntur proprie esse apud aliquid, sicut non dicimus albedinem esse apud corpus, et similiter de aliis quae per se non subsistunt; ea autem quae per se subsistunt dicuntur proprie esse unum apud aliud: sicut dicimus hominem esse apud hominem, et lapidem apud lapidem. Secundo, significat auctoritatem in obliquo, non enim proprie dicitur rex esse apud militem, sed proprie dicitur miles apud regem. Tertio, dicit distinctionem; non enim proprie dicitur aliquis esse apud seipsum, sed unus homo est apud alium. Quarto, significat coniunctionem et societatem quandam, cum*

[1] L. I. DE RECTIS DOGM. — [2] I, 1, 10, 11. — [3] Comment. in h. l. Io., lect. I. — [4] HOM. I, in Io. — [5] HOM. II, in Io.

enim dicitur aliquis esse apud alium insinuatur nobis inter eos quaedam socialis coniunctio.

Igitur habitudo missi ad mittentem quatuor in divinis complectitur: distinctionem, et tamen unionem mittentis et missi; in mittente auctoritatem; in misso vero subsistentiam.

Pergit autem Angelicus [1]: *Evangelista signanter utitur hoc verbo* ERAT, *cum dicit:* IN MUNDO ERAT, *ostendens ab initio creaturae semper ipsum fuisse in mundo, causans et conservans omnia: quia si ad momentum subtraheret Deus virtutem suam a rebus conditis, omnia in nihilum redigerentur et esse desinerent.* Sed si Verbum prius erat in mundo, quomodo in mundum venisse dicitur? Hoc sensu, respondet S. Thomas [2], quod ubi prius erat uno modo incipit esse novo modo. *Sicut rex qui prius erat in civitate aliqua sui regni per potentiam, ad illam postmodum veniens personaliter, dicitur venire ubi prius erat, venit enim per suam substantiam ubi prius erat solum per suam potentiam. Sic ergo Filius Dei venit in mundum, et tamen in mundo erat. Erat quidem per essentiam, potentiam et praesentiam, sed venit per carnis assumptionem: erat invisibilis, venit ut esset visibilis.*

9. — **Difficultas.** — Ab aliquo loco discedere, et ad aliquem locum de novo accedere, divinae personae non convenit. Atqui quicumque mittitur, ab aliquo loco discedit, et ad aliquem locum de novo accedit. Ergo mitti non convenit divinae personae.

Resp. Conc. mai. Dist. min., inter res finitas in quibus est missio secundum motum localem, *conc.*: per se formaliter et universaliter, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quod in alicuius rei missione habeatur localis translatio et consequenter distantia, hoc est ex conditione rei finitae quae sua missione movetur localiter; at per se et formaliter ad missionis rationem satis est ut, quasi actu primo sit praesentia missi ad mittentem, cum illius ab hac origine, et actu secundo praesentia eiusdem ad terminum ad quem mittitur, per novi effectus in eo productionem [3]. *Itaque*, concludit Card. Satolli [4], *omnes divinae personae ubique sunt: quatenus ubique*

[1] Lect. V. — [2] Lect. VI. — [3] Ad 3[m]. — [4] In h. loc.

est effectus proprius et immediatus divinae potentiae, scilicet esse creatum: verum potest de novo contingere singularis effectus manifestativus per seipsum praesentiae alicuius personae; et si haec procedat ab altera, mox intelligenda est secundum habitudinem missionis. Non enim, inquit Ambrosius [1]*, Deus de loco aliquando decedit, qui ait: Ego caelum et terram compleo. Sed in eo descendere videtur, si nostros Dei Verbum penetret affectus.*

Articulus II. — *Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum.*

1. — Ratio articuli. — Cum missio processionem importet, processio autem in Deo aeterna sit, hinc missio quoque primo adspectu aeterna esse et ab aeterno de Deo dicenda videretur; ad quod excludendum, ponit S. Doctor articulum praesentem, cuius conclusioni praesertim suffragatur divinarum Scripturarum auctoritas, quae quotiescumque de missione in divinis agunt, non aeternam, sed temporalem processionem exhibent.

2. — Praenotamen. — Nomina quae important originem personarum in divinis, sunt in triplici differentia. Nam alia sunt quae in sui significatione important solummodo habitudinem ad principium, alia autem quae cum habitudine ad principium determinant etiam processionis terminum. Sed haec adhuc sunt in duplici differentia. Quaedam enim sunt quae determinant terminum aeternum, alia vero quae determinant terminum temporalem. Ergo triplicis generis nomina suppetunt ad significandum ea quae important originem divinarum personarum.

Primo sunt nomina quae significant solummodo habitudinem ad principium, ut *processio* et *exitus*. Secundo, nomina quae cum habitudine ad principium, significant terminum aeternum, ut *generatio*, quae est processio divinae personae

[1] L. V, de Fide, c. 3.

secundum Verbi prolationem, et *spiratio passive accepta*, quae importat processionem amoris subsistentis. Tertio, sunt nomina quae cum habitudine ad principium, significant terminum temporalem, ut *missio* et *datio*: nam mittitur aliquid ad hoc ut sit in aliquo, et datur ad hoc ut habeatur. Hinc sit

3. PROP. I. - α **Missio et datio dicuntur in divinis temporaliter tantum; β) generatio et spiratio solum ab aeterno; γ) processio et exitus tum aeternaliter, tum temporaliter.**

4. — **Prob. 1ª Pars. — Auctoritate.** — S. Paulus scribit [1] *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, ὅτε δὲ ἦλθεν τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ.

5. — **Rat. theol.** — Personam divinam haberi ab aliqua creatura vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Atqui *missio* et *datio* in divinis dicuntur secundum quod persona divina habetur ab aliqua creatura, aut est novo modo existendi in ea. Ergo *missio* et *datio* in divinis dicuntur temporaliter tantum.

6. — **Scholion.** — Ubi sedulo cavendum est ne in hoc quod dicitur, *personam divinam esse novo modo in aliquo aut ab aliquo haberi temporaliter*, intelligatur importari mutationem in ipsa divina persona; tota enim mutatio se tenet ex parte creaturae, sicut dicitur Deus temporaliter Dominus, propter creaturae mutationem[2]. Ad hoc enim ut missio aut datio mutationem in divina persona importaret, oporteret ut esset accidens, aut nova forma informans ipsam divinam personam, quorum neutrum dici potest.

7. **Prob. 2ª Pars.** — Nomina quae cum habitudine ad principium aeternum, important etiam habitudinem ad terminum aeternum, dicuntur in divinis aeternaliter. Atqui *generatio* et *spiratio passive accepta*, cum habitudine ad principium aeternum, important etiam habitudinem ad terminum aeternum. Ergo *generatio* et *spiratio passive accepta* dicuntur in divinis tantummodo aeternaliter.

[1] Gal., IV, 4. — [2] Ad 2um.

8. — Prob. 3ª Pars. — Nomina quae possunt dici de aliqua persona tum ab aeterno tum in tempore, dicuntur in divinis ab aeterno et temporaliter. Atqui talia sunt *processio* et *exitus*; nam Filius ab aeterno procedit ut sit Deus, temporaliter autem, aut ut sit homo secundum missionem visibilem, aut ut sit in homine secundum missionem invisibilem. Ergo *processio* et *exitus* dicuntur in divinis, tum ab aeterno, tum temporaliter.

9. — Difficultas. — Missio processionem importat. Sed personarum divinarum processio est aeterna. Ergo et missio est aeterna.

Resp. Conc. praem., nego conseq. et conseq. — Nam missio non solum importat processionem a principio, sed etiam determinat terminum temporalem processionis, unde missio solum est temporalis. Sic et creatio, licet habeat principium aeternum, tamen quia terminus quem connotat est temporalis, ideo non dicitur aeterna. Potest etiam *distingui maior*. Missio importat processionem tantum, *nego*: processionem aeternam et temporalem effectum, *conc. Transm. min. Nego conseq. et conseq.* Siquidem, habitudo divinae personae ad suum principium non potest quidem esse nisi ab aeterno, sed tamen potest duplex terminus referri ad divinam personam; ideoque quod gemina dicatur processio, aeterna scilicet et temporalis, hoc non est propterea quod habitudo ad principium geminetur, sed quia geminatio est ex parte termini temporalis et aeterni [1].

Quapropter cum missio duo importet, scilicet processionem aeternam et respectum rationis ad terminum temporalem, ideo potius dicitur missio temporalis quam aeterna: missio enim non completur nisi connotet terminum temporalem quasi differentia atoma, sicut etiam de creatione dictum est.

10. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus verborum S. Gregorii* [2]: Eo mittitur Filius, quo generatur?

Resp. Duplex potest esse sensus. *Primus*, ut sermo sit

[1] Ad 3m. — [2] Hom. XXVI, in Evang.

de generatione Filii non a Patre sed a Matre, ita ut ortus Christi a Matre sua sit ipsamet suae temporalis missionis ratio. *Alius* sensus est, ut ex hoc ipso quod Filius est ab aeterno genitus, habeat quod possit mitti vel sit missibilis [1]. Quod autem hic posterior sensus sit germana verborum S. Gregorii interpretatio, constat ex integro textu. *Quamvis*, ait, *mitti etiam iuxta naturam divinitatis possit intelligi: eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur.* Et de Spiritu Sancto loquens, ait: *Eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur quia procedit, ita et Filius non incongrue mitti dicitur quia generatur.*

ARTICULUS III. — *Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis.*

1. — Articuli ratio. — Cum unumquodque ex fine proprio dignoscatur, hinc ad plenam divinae personae missionis rationem accipiendam, necesse est investigare propter quid fiat praedicta missio. Ubi de missione invisibili apposite inquirit S. Doctor, eo quia cum visibilis missio, quae a missione invisibibili distinguitur penes exterius signum sensibile, ad ipsam invisibilem missionem sponte sua ordinetur, id quod ponitur tamquam finis invisibilis missionis, debet etiam esse finis missionis visibilis.

2. – Praenotamen. Ubi, *primo*, recolenda venit distinctio gratiae in gratiam gratum facientem, et gratiam gratis datam. Prior est donum Dei habitualiter animae inhaerens, vi cuius homo iustus efficitur et nominatur Dei dilector, et vocatur etiam gratia sanctificans vel iustificans. Altera est potius charisma quoddam, modo transeunti alicui creaturae rationali collatum, quod ad manifestationem veritatis fidei in bonum Ecclesiae dispensatur, sicuti est miraculorum operatio, spiritus prophetiae et cetera charismata, de quibus agit S. Paulus [2].

[1] Ad 1[m]. — [2] In 1. EP. AD COR., c. XII.

Secundo, sedulo distinguenda sunt divina persona et donum eius, sicut Spiritus Sanctus et donum Spiritus Sancti, quod est gratia; licet gratia nunquam detur, quin detur etiam persona divina.

3. PROP. I. — **Missio invisibilis alicuius divinae personae fit solum secundum donum gratiae gratum facientis.**

4. — **Auctoritas.** — S. Paulus dicit [1]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater.* Ex quibus verbis, una cum antecedentibus et consequentibus consideratis, apparet missionem Spiritus Sancti ad hunc finem fuisse, ut adoptionem filiorum consequeremur. Atqui hanc adoptionem nonnisi per gratiam gratum facientem assequi possumus. Revera, in hoc consistit nostra in filios Dei adoptio, ut simus nova creatura Deo consecrata atque sanctificata. Atqui sanctificatio creaturae non fit nisi per gratiam gratum facientem. Ergo missio invisibilis Spiritus Sancti non fit nisi per gratiam gratum facientem. — *Maior* constat S. Augustini auctoritate, dicentis [2] quod *Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam.* Missio autem invisibilis Spiritus Sancti est eius temporalis processio. *Minor* vero est axioma theologicum quod ostenditur in tractatu *de Gratia.*

5. — **Rat. theol.** — Licet missio et datio in divinis sint idem, ratione tamen distinguuntur. Nam, ad hoc ut divina persona dicatur *mitti*, necesse est ut novo modo *existere* incipiat in aliquo; ad hoc vero ut dicatur *dari*, necesse est ut novo modo *habeatur* ab aliquo; et ex ista distinctione *missionis* et *dationis*, sumitur duplex argumentum ad probandam thesim.

6. **Primum argumentum.** — Modus communis quo Deus statim ab initio creaturae fuit in omnibus rebus, est ut ibi esset tanquam causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius, scilicet ut esset utique per potentiam, per essentiam et per praesentiam. Supra istum communem essendi modum

[1] Gal., IV, 6. — [2] L. XV, de Trin., c. 27.

Deus nequit esse in rebus inferioribus, ratione scilicet et voluntate carentibus: siquidem, hae capaces non sunt alicuius superioris communicationis Dei. Igitur persona divina novo modo in mundo esse nequit, nisi in aliqua speciali creatura, in illa videlicet creatura, quae capax est et cognoscendi Deum et illum amandi: — cognoscendi, inquam, et amandi, non modo communi, ut causa cognoscitur in suis effectibus, sed modo speciali et supernaturali, nempe prout Deus est in se. Quocirca novus modus quo Deus possit esse in creatura rationali est ut sit ibi tanquam *cognitum in cognoscente*, et *amatum in amante*. Hoc autem nequit fieri nisi per gratiam gratum facientem, per quam fit in homine specialis amoris et cognitionis communicatio, secundum illud [1]: *Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.*

7. — **Scholion.** — Porro, haec divinae personae nova inexistentia in creatura rationali per gratiam sanctificantem, recte vocari potest *inhabitatio*; unde non solum persona divina existit in creatura rationali, sed etiam habitat in ea sicut in templo suo. Habitare enim alicubi dicimur cum opera vitae rationalis ibi exercemus; cognoscendo autem et amando Deum creatura rationalis attingit ad ipsum Deum sua propria operatione, quod non est sine Dei speciali quodam influxu: unde Deus ibi opera vitae rationalis supernaturaliter exercet, ibique recte habitare dicitur. Quocirca fideles, non quidem illi imperfecti qui sola fide donantur, sed qui per gratiam iustificantem perfecti sunt, vocantur templum Spiritus Sancti, iuxta illud [2]: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*

Unde cum Angelico concludere possumus: *Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem, mittitur et procedit temporaliter persona divina.*

[1] Io., XIV, 21. — [2] 1 Cor., III, 16, 17.

8. — **Secundum argumentum.** — Divinae personae convenit dari secundum quod habetur ab aliquo. Illud autem solum habere dicimur quo libere possumus uti vel frui. Habere vero potestatem fruendi divina persona et utendi eius effectibus, est solum secundum gratiam gratum facientem. Quocirca, secundum solam gratiam sanctificantem, attenditur datio alicuius personae divinae, iuxta illud [1]: *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Quem in locum habet Angelicus [2]: *Dicit ergo secundum divinitatem: Sanctifico meipsum, assumendo carnem pro eis: et hoc, ut sanctitas gratiae, quae est a me Deo in me homine, derivetur a me eis; quia de plenitudine eius omnes accepimus* [3]. *Sicut unguentum quod est in capite (Christi, quod est Deus) quod descendit in barbam Aaron (id est in humanitatem, et ab hac) descendit in oram vestimenti eius, id est in nos* [4], *vel aliter, secundum Chrysostomum, rogavit ut sanctificaventur sanctificatione spirituali. In Veteri autem Testamento erant iustificationes carnales* [5]: *Iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. Sed illae erant figurae spiritualis sanctificationis, quae tamen fiebant per aliquod sacrificium: et ideo ad sanctificationem discipulorum competebat fieri aliquod sacrificium: et hoc est quod dicit: Ut sanctificentur ipsi, ego iam sanctifico me: id est, offero me sacrificium: Obtulit semetipsum Deo* [6]. *Propter quod Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* [7], *et hoc in veritate, non in figura sicut in Veteri Testamento.* — Similiter legimus [8]: *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*

9. - PROP. II. **Attamen in ipso dono gratiae sanctificantis mittitur et datur ipsa divina persona.**

10. — **Ratio propositionis.** — Adiicitur ista propositio, ne putetur dari homini solummodo donum divinae personae et non ipsam personam, quod falsum est: nam, ut ait S. Thomas [9],

[1] Io., XVII, 19. — [2] Comment. in Io., Lect. IV. — [3] Supra I, 16. — [4] Ps., CXXXII, 2. — [5] Hebr., IX, 10. — [6] Hebr., IX, 14. — [7] Hebr., XIII, 12. — [8] Io., XVII, 22. — [9] Hoc loco.

in ipso dono gratiae gratum facientis, Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus Sanctus datur et mittitur. Nam, per donum gratiae sanctificantis, ita creatura rationalis perficitur, ut non solum libero dono creato utatur, sed etiam ut ipsa divina persona fruatur [1].

11. — **Vox Patrum.** — S. Augustinus ait [2]: *Non singuli quique habent omnia, sed hi illa, et alii alia; quamvis ipsum Donum, a quo cuique propria dividuntur omnes habeant, id est Spiritum Sanctum,* ubi *omnes* stat pro omnibus membris Christi, id est pro iustis. Qui pariter dicit [3]: *Ecce facit in sanctis, cum Patre et Filio, Sanctus etiam Spiritus mansionem, intus utique tanquam Deus, in templo suo. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos.* Idipsum exponit S. Ioannes Chrysostomus [4]: *Quod maxime erat donum,* ait, *hoc dedit, non caelum, non terram, non mare, sed quod his omnibus antiquius, pretiosiusque erat, et angelos ex hominibus et Dei filios et Christi fratres efficit. Quid autem hoc est? Spiritus Sanctus.* Et S. Gregorius Magnus [5]: *Pensate,* inquit, *quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio adventum Dei.* Et iterum: *Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo praeparat domum mentis.*

12. — **Explicatio.** — Quo modo vero, quave ratione, et ipsum donum Spiritus Sancti, et ipsemet Spiritus Sanctus in invisibili missione donentur, pulcre declarat S. Paulus his verbis [6]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis:* ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν. Ubi pro ἐκκέχυται, *fusa est,* S. Cyprianus legit *infusa.* Rursus, dicitur ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, *in cordibus nostris,* non *in corda,* ut significetur inhaerentia et veluti permanentia caritatis in nobis. Caritas autem Dei potest utroque sensu accipi, scilicet vel Dei diligentis, vel Dei dilecti. At melius dicitur quod hic Apostolus de caritate Dei dilecti loqui voluerit quam de caritate Dei diligentis, quia caritas, sic accepta,

[1] Ad 1[m]. — [2] L. XV, DE TRIN., c. 19. — [3] TRACT. LXXVI, IN IOAN. — [4] HOM. IX, IN EPIST. AD ROM. — [5] HOM. XXX, IN EVANG. — [6] ROM., V, 5.

forma est quae homines iustos facit, et Dei dilectores. *Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris*, ait S. Augustinus [1], *non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iusti eius munere efficimur, et Domini salus, qua nos salvos facit.* Et concilium Tridentinum [2] dicit per Spiritum Sanctum diffundi caritatem in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhaerere.

13. — Tacita obiectio. — At difficultas est quomodo caritas, sive gratia gratum faciens, dicatur in cordibus diffusa per Spiritum Sanctum, cum gratia sit dispositio ad habendam divinam personam, ex quo videretur sequi quod Spiritus Sanctus inhabitet cor iusti, antequam iustus gratiam habeat.

Cui tamen facile *respondetur*, per gratiam gratum facientem disponi cor iusti ad habendam divinam personam, sicut materia disponitur ad habendam formam, quemadmodum lignum disponitur ad comburendum: sed ex altera parte, quod homo disponatur ad habendam gratiam, et, per gratiam, Spiritum Sanctum, hoc non est, nisi per operationem eiusdem Spiritus Sancti moventis cor. Igitur Spiritus Sanctus efficienter movet hominem ad habendam gratiam, quae gratia praeparat hominem ad habendum Spiritum Sanctum formaliter, licet participative, inhabitantem in anima. Unde S. Pauli sententia in sensu diviso est sic accipienda: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per motionem Spiritus Sancti, qui et ipse nobis sic dispositis datus est [3].

14. — Difficultates. — I. Iuxta S. Augustinum, Filius dicitur mitti quando cognoscitur: dicit enim ille [4] quod *Filius, cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur.* Atqui Filius potest cognosci alio modo quam per gratiam gratum facientem, verbi gratia, per fidem et scientiam, quae sunt dona gratiae gratis datae. Ergo missio invisibilis non fit secundum solam gratiam gratum facientem.

Resp. Dist. mai.: Filius dicitur mitti quando cognoscitur, cognitione affectiva, id est cum caritate coniuncta, *conc.*, co-

[1] L. de Spir. et Litt., c. 32. — [2] Sess. VI, c. 7. — [3] Cf. ad 2[um]. — [4] L. IV. de Trin., c. 20.

gnitione mere speculativa, *nego. Dist. min. in eodem sensu. Nego conseq. et conseq.* — Licet utique per alios effectus, quam per gratiam sanctificantem, Filius Dei possit a nobis cognosci, tamen cognitio quae est de eo inhabitante, aut etiam habito a nobis, non efficitur nisi per gratiam sanctificantem [1]. Quocirca *fides aut prophetica circa Deum cognitio*, ait Card. Satolli [2], *secundum propriam rationem. non importat coniungi Deo in se immediate et realiter. id enim solius caritatis et gratiae sanctificantis est. Hac ergo solum constituimur domus spiritualis ac templum Dei viventis. Quare in ultimo fine beatificamur perfecta gratia et caritate. evacuata. ut inquit Apostolus, omni cognitione quae ex parte est, scilicet quocumque dono fidei et prophetiae.*

II. Aliquando dicitur datus Spiritus Sanctus ad operationem miraculorum: unde videretur sequi quod datio vel missio personae divinae non sit semper secundum donum gratiae gratum facientis, cum operatio miraculorum non sit donum gratiae gratum facientis sed gratis datae.

Cui facile *respondetur* quod cum gratia gratis data, sicut operatio miraculorum, donum prophetiae et cetera huiusmodi, dentur ad manifestationem gratiae gratum facientis, siquidem illa vocatur [3] *manifestatio Spiritus*. ideo datio vel missio Spiritus Sancti ad operationem miraculorum et ad ceteras gratias gratis datas, est etiam secundum gratiam gratum facientem; unde ait S. Doctor quod *apostolis dicitur datus Spiritus Sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante* [4].

Articulus IV. — *Utrum Patri conveniat mitti.*

I. — Ratio articuli. — Acturi modo de divinarum personarum missione in speciali, primo loco praeiudicialiter excludere debemus quod Patri mitti conveniat, in quo quidem omnes theologi satis consentiunt, cum communiter retineatur quod nec Pater unquam apparuerit in Veteri Testamento, sed tantum Filius aut Spiritus Sanctus.

[1] Ad 3[m]. — [2] In h. l. — [3] 1 Cor., XII, 7. — [4] Ad 4[m].

2. — PROP. — Patri non competit mitti.

3. — Auctoritas. — S. Augustinus ait [1]: *Pater solus nunquam legitur missus*, et [2]: *Pater, cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit:* Ego ex ore Altissimi prodivi; *et de Spiritu Sancto dicitur:* A Patre procedit; *Pater vero a nullo.*

4. - Ratio theol. — Persona, cui competit mitti, ab alia procedit: missio enim in sui ratione importat processionem ab alio secundum originem. Atqui persona Patris non est ab alio, sed hoc tantum Filio et Spiritui Sancto convenit. Ergo personae Patris non convenit mitti, sed tantum Filio et Spiritui Sancto.

5. — Scholion. — Huic tamen conclusioni non officit quominus et Pater det seipsum, et consequenter quominus effectus gratiae, qui est inhabitatio divinae personae per gratiam, sit etiam a Patre. Pater enim dat seipsum, non quidem secundum quod *dare* importat auctoritatem dantis respectu eius quod datur, sic enim datio importat distinctionem dantis ab eo qui datur, et huius missionem ab alio acceptam; sed Pater dat seipsum secundum quod *dare* importat liberalem communicationem suimetipsius. Unde Pater dat seipsum secundum quod liberaliter se communicat creaturae ad fruendum; et ita ipse, non secus ac Filius et Spiritus Sanctus, inhabitat animam iusti, iuxta id quod indistincte de tribus divinis personis dicitur [3]: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [4].

6. — Corollarium. — Ex quo patet quod *datio* latius patet quam *missio*, quia persona divina non mittitur nisi ab alia, datur tamen et ab alia et a se. Et propter *circuminsessionem* divinarum personarum, quando mittitur una persona, simul veniunt aliae personae, sive sermo sit de missione invisibili per gratiam, sive etiam de adventu Filii in

[1] L. II, de Trin., c. 5. — [2] Ibid., L. IV, c. 20. — [3] Io., XIV, 23. — [4] Ad 1[m], et 2[m].

carnem, iuxta illud [1]: *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*, quamvis utique ad solam personam Verbi facta fuerit hypostatica unio.

7. — **Difficultas.** — Quidquid convenit alicui divinae personae convenit omnibus praeter notiones et relationes. Atqui missio non significat relationem, nec notionem. Ergo cuilibet divinae personae convenit.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: missio non significat notionem, expresse, *conc.*, implicite *subdist.* in particulari, *conc.*, in communi *nego.* — *Missio*, ait S. Doctor [2], *in quantum importat processionem a mittente, includit in sui significatione notionem, non quidem in speciali sed in generali, prout esse ab alio est commune duabus notionibus.* Iam S. Thomas [3], recensita quorumdam opinione dicentium quod missio principaliter significat notionem, et ex consequenti essentiam secundum effectum connotatum, oppositum tanquam verius retinuerat: ut sic missio principaliter significet essentiam, et ex consequenti notionem. Revera, secundum rationem formalem per nomen significatam, missio non dicit exitum ab aliquo, sicut a principio a quo missus esse habeat; et auctoritas quam importat in mittente per respectum ad missum, est solum per respectum ad affectum missionis, ordo vero ad effectum missionis est quid missioni essentiale: unde missio principaliter significat divinam essentiam, quae est ipsa divina virtus: quia vero nequit esse in divinis auctoritas, nisi secundum rationem originis, ideo missio, ex consequenti, importat relationem originis quod est notionale.

Articulus V. *Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti.*

I. **Ratio articuli.** — Praesentis articuli intentio est, tum ut probetur quod Filio aeque ac Spiritui Sancto convenit invisibiliter mitti, quod quidem iam exclusum fuit quantum ad Patrem; tum ut declaretur, quod quidem potissimum est,

[1] Io., VIII, 16. — [2] Ad 3[m]. — [3] In 1, Dist. XV, Quaest. I, a. 2.

quod hae duae missiones sunt distinctae, necnon ut proprie statuatur in quonam formalis ratio discriminis inter utriusque missionem ultimo consistat.

2. Praenotandum. Missio invisibilis divinae personae attenditur ut dictum est, secundum dona gratiae sanctificantis. Porro, dona divina possunt dupliciter considerari. *Uno modo* secundum rationem suam genericam, id est, ut dona sunt; *alio modo*, secundum specificam uniuscuiusque rationem, puta considerando sapientiam ut est formaliter donum intellectus. Iamvero, discrimen inter utramque missionem non debet sumi ex parte donorum ut dona sunt, sed ex parte donorum ut sunt haec vel illa specifice distincta. Revera dona, ut dona sunt, omnia attribuuntur Spiritui Sancto, quia ipse habet rationem primi doni ut est amor, et primum in unoquoque ordine est ratio eorum quae sunt in illo ordine; unde etiam dicitur [1]: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Sed si considerentur secundum proprias rationes, aliqua dona appropriantur etiam Filio, et sunt ea omnia quae spectant ad intellectum [2]. Igitur, in adsignanda ratione distinctionis utriusque missionis, attendendum erit ad rationem formalem, et quasi dicamus, atomam, divinorum donorum.

3. — PROP. I. — Tam Filio, quam Spiritui Sancto convenit invisibiliter mitti.

4. — Sacra Scriptura. — Plures sunt in Sacra Scriptura loci, in quibus de utriusque divinae personae missione fit sermo. Sic, de divina Sapientia dicitur [3]: *Mitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae.* Item Verbum suam in mundo missionem saepius testatur, oratque Patrem, ut faciat quod suae missioni fides adiiciatur, dicens [4]: (Rogo) *ut credat mundus quia tu me misisti*: et rursus [5]: *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti.* Pariter, de Spiritu Sancto legimus [6]: *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre.* Supe-

[1] 1 Cor., XII, 11. — [2] Ad 1[m]. — [3] Sap., IX, 10. — [4] Io., XVII, 21. — [5] Ibid., 23. — [6] Ibid., XV, 26.

rius autem apud Ioannem dixerat [1]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Unde Ecclesia solemniter Deum deprecatur: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.*

5. - Patres. - S. Augustinus ait [2]: *Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum; ab illo mittitur, de quo natum est; mittit qui genuit, mittitur quod genitum est. Et hunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest, pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectae in Deo animae rationalis.*

6. — Ratio theologica. — Illi convenit invisibiliter mitti, cui convenit ab alio esse et inhabitare mentem per gratiam: haec enim omnia sunt de ratione missionis invisibilis. Atqui Filio et Spiritui Sancto convenit tum ab alio esse, tum mentem per gratiam inhabitare, quod enim ab alio sint, patet: quod autem per gratiam mentem inhabitent, eruitur ex eo quod tota Trinitas inducitur, dicens [3]: *Ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus.* Ergo tum Filio tum Spiritui Sancto convenit invisibiliter mitti.

7. — Scholion. — Ex quo apparet quomodo innascibilitas in Patre officit, quominus ipsi invisibilis missio conveniat: licet enim Patri competat inhabitare per gratiam, ipsi tamen non convenit ab alio esse, et per consequens nec mitti. *Itaque*, concludit Card. Satolli [4], *per hunc novum et supernaturalem effectum, Pater venit ac inhabitat creaturas rationales, ut primum principium totius Trinitatis, quique in filios adoptat quos inhabitat: Filius, ut principium Spiritus Sancti venit, ut est ipse a Patre, mittitur, ac modo speciali in hunc finem mittitur ut mentes perceptione veritatis divinae illustret ac foveat. Spiritus Sanctus venit ut missus a Patre et Filio, donorum omnium fons, ac voluntates perficiens caritate. Quocirca, cum ad missionem illa duo requirantur, origo personae quae mittitur, et inhabitatio per gratiam: Filius et Spiritus inseparatim simul mittuntur, utraque ratione: originis nempe et gratiae, qua perficiant creaturam, illuminando intellectum et inflammando affectum.*

[1] XIV, 26. — [2] L. IV, DE TRIN., c. 20. — [3] Io., XIV, 23. — [4] In h. l.

Quae cum ita sint, iam quaerendum superest in quonam distinguatur formaliter missio Filii a missione Spiritus Sancti. — Pro quo sit

8. — PROP. II. — **Missio invisibilis Filii attenditur secundum illuminationem intellectus; missio vero invisibilis Spiritus Sancti secundum inflammationem affectus.**

9. — **Exponitur.** — Revera, cum missio invisibilis attendatur secundum donum gratiae gratum facientis, per gratiam autem anima conformetur Deo, hinc missio invisibilis fit secundum quod creatura rationalis conformatur, seu assimilatur illi personae quae mittitur. Cum vero divina persona mittatur per aliquod donum gratiae, ista assimilatio fit praecise per illud donum. Atqui Spiritui Sancto competit ut sit Amor; et ita per donum caritatis anima Spiritui Sancto assimilatur; unde, secundum istud donum caritatis, sive secundum inflammationem affectus, attenditur missio Spiritus Sancti.

Filius autem procedit ut Verbum, ideoque assimilatio ad ipsum fit per illuminationem intellectus: unde de se dicebat [1]: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Porro Filius non est qualecumque Verbum, sed Verbum spirans amorem; unde dicit S. Augustinus [2]: *Verbum autem quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.* Igitur missio invisibilis Filii attenditur secundum illuminationem intellectus; at non secundum quamcumque illuminationem, seu perfectionem intellectus, verum secundum talem instructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris.

10. — **Invisibilis Filii missionis fusior expositio.** — Porro hanc esse propriam rationem missionis Filii, multipliciter ostenditur. α) Ex eo quod Christus, suae missionis rationem expendens, illam ait esse ut homines veritatem ab ipso edocti, ad se per caritatem accedant, iuxta illud [3]: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me*, scilicet amando. β) Ex

[1] Io., XVIII, 37. — [2] L. IX, DE TRIN., c. 10. — [3] Io., VI, 45.

natura meditationis, quam cognitio divinae Sapientiae inspirat, iuxta illud [1]: *In meditatione mea exardescet ignis.* γ) Ex verbis S. Augustini dicentis [2] quod *Filius mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur.* Ex quibus verbis eruitur, cognitionem quam Filius per suam missionem in anima producit, non esse solummodo pure speculativam, sed esse quamdam experimentalem notitiam. ζ) Ex ipsomet nomine huius cognitionis: dicitur enim sapientia a *sapere*, quasi *sapida scientia*, secundum illud [3]: *Sapientia enim doctrinae secundum nomen est eius* [4].

II. — Invisibilis Spiritus Sancti in Ecclesiam missio. — Spiritus Sancti vero missio potissime in hoc manifestatur, quod Ecclesiae a Christo fundatae providentissime multifariam opitulatur. Quod ita exponit Leo XIII [5]: *Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, hausit ab utroque una cum essentia omnem veritatis, quanta est, amplitudinem: quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, atque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera praestare ad populorum salutem.*

12. Solvitur tacita difficultas. — Ex quibus facile eruitur responsio ad solvendam difficultatem contra missionem Filii, ex eo petitam, quod missio fit secundum gratiam gratum facientem, dona autem quae pertinent ab perfectionem intellectus, secundum quae intelligitur Filius missus, non sunt dona gratiae gratum facientis, cum sine caritate possint haberi, secundum illud [6]: *Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* — Solvitur, inquam, haec dubitatio animadver-

[1] Ps. XXXVIII, 4. — [2] L. IV, DE TRIN., c. 20. — [3] ECCLI., VI, 23. — [4] Cf. ad 2[m]. — [5] Epist. Encycl. *Divinum illud*, 9 maii, 1897. Cf. Manning, THE TEMPORAL MISSION OF THE HOLY GOST. — [6] 1 COR., XIII, 2.

tendo quod persona Filii non dicitur mitti secundum quamcumque perfectionem et cognitionem intellectus, sed tantum quando intellectus, cum tali dono, prorumpit in affectum amoris, quod esse nequit sine gratia gratum faciente [1].

13. - **Corollarium.** - Ex his demum sequitur tum distinctio, tum inseparabilitas utriusque missionis. Distinctio quidem tum ex parte habitudinis missi ad mittentem, tum ex parte habitudinis missi ad effectum missionis. Ex parte habitudinis missi ad mittentem distinguitur missio Filii a missione Spiritus Sancti, sicut generatio distinguitur a processione; alia est enim utriusque origo; ex parte vero habitudinis missi ad effectum missionis, distinguitur utraque missio, non quidem quantum ad radicem gratiae, quia in ista communicant, sed quantum ad effectus gratiae qui sunt illuminatio intellectus et inflammatio voluntatis. Inseparabilitas autem utriusque missionis ex eo deducitur, quod una nequit esse sine altera, quia neutra est sine gratia gratum faciente, sicut nec una persona separatur ab alia [2].

Articulus VI. — *Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae.*

1. — **Ratio articuli.** De termino hic agitur ad quem invisibilis missio facta fuisse dicenda est, cuius quidem dubii haud difficilis erit solutio. Nam, cum iam determinatum fuerit gratiam gratum facientem sic disponere animam, ut cum ipso dono gratiae, divina persona habeatur, et inhabitet creaturam rationalem, ideo in promptu est, tum generaliter concludere, ad omnes qui sunt gratiae participes fieri invisibilem missionem, tum specialiter determinare ad quosnam et quibusnam in circumstantiis invisibilis missio fiat.

2. PROP. **Missio invisibilis fit ad omnes qui sunt participes gratiae, vel quando prima vice recipiunt gratiam, vel quando novo modo illam participant.**

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m].

3. — **Auctoritas.** — S. Augustinus ait [1], quod *missio invisibilis fit ad sanctificandam creaturam.* Atqui sanctificatur omnis qui habet gratiam, vel quando prima vice illam recipit, vel quando novo modo illam participat. Ergo invisibilis missio fit ad omnes qui vel prima vice, vel etiam de novo gratiam participant.

4. **Ratio theol.** — Ad eos, et tunc, divina persona mitti dicitur, ad quos, et quando vel prima vice eos inhabitat, vel novo modo in ipsis habitare incipit: missio enim divinae personae habetur quando incipit novo modo esse in aliquo, ubi aut prius non erat, aut saltem eo modo non erat. Atqui quando quis, aut prima vice gratiam recipit, aut illam de novo participare incipit, tunc divina persona in eo novo modo inhabitat. Ergo missio divinae personae fit ad omnes qui sunt gratiae participes, sive quando prima vice illam recipiunt, sive quando novo modo illammet participant.

5. — **Corollarium.** — Exinde et ad parvulos, cum in baptismo iustificantur, fit missio invisibilis personae divinae; nec obstat quod isti Deum actu non cognoscant nec ament; nam satis est ut Deum cognoscant et ament habitu, quandoquidem Deus ipse est in eis ut in habitualiter illum cognoscentibus et diligentibus.

6. — **Quaestio I.** — *Utrum ad Patres et Prophetas Veteris Testamenti facta fuerit missio invisibilis?*

Resp. Affirmative, contra Petavium negantem *substantificam communicationem Spiritus Sancti* antiquis Patribus factam. Revera, et isti gratiae sanctificantis participes effecti sunt, et in ipsis inhabitare coepit divina persona. Atqui secundum haec attenditur missio invisibilis; dicit enim S. Augustinus [2], quod *secundum quod Filius mittitur invisibiliter, fit in hominibus aut cum hominibus:* hoc autem factum est antea in Patribus et Prophetis. CONFIRMATUR. Legimus [3], quod *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* et [4]: *Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth,* et iterum [5]: *Zacharias*

[1] L. III, DE TRIN., c. 4. — [2] IBID., c. 20. — [3] 2 PETR., I, 21. — [4] LUC., I, 41. — [5] Vers. 67.

repletus est Spiritu Sancto; pariter de Simeone legitur [1]: *Et Spiritus Sanctus erat in eo*; David quoque enixe orabat [2]: *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.*

7. Solvitur obiectio. — Nec obstat quod dicitur [3], quod *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*; — nam hoc intelligendum est, ait S. Doctor, *de illa datione cum signo visibili, quae facta est in die Pentecostes* [4]. At S. Augustinus [5] verba illa vult intelligi de novo donationis modo, qualis scilicet futurus erat post Incarnationis oeconomiam, quando Spiritum Sanctum Christus foret copiosius ac manifestius effusurus. Siquidem, nulli dubium esse potest, quin plenior contigerit Spiritus Sancti missio in Novo Testamento, quam in Veteri; et eo quidem abundantior, quo Novi Testamenti conditio Veterem superat, et status perfectione, et praedicationis diffusione, et copia remediorum contra peccati infectionem. Cui interpretationi suffragatur ipsemet Angelicus. *Loquendo communiter*, ait ille [6], *plenior facta est missio post Incarnationem quam antea*

Quamquam dici etiam potest, secundum rei veritatem, quod ad aliquas Veteris Testamenti personas, abundantissima facta fuerit invisibilis missio, sicut ad Abraham et Ieremiam. *Idcirco*, concludit Satolli [7], *nova illa communicatio Spiritus Sancti facienda Novae Legis tempore non debet reponi, quod ex tunc solum fuerit in persona missus et datus quantum ad eos omnes, quibus gratia iustificans tribueretur, sed quatenus externis manifestationibus, effusione gratiarum quae sunt gratis datae, et universaliter, mitti et dari coeperit, sine ullo gentium discrimine: vel dicam, quatenus per sacramenta produceretur iustificationis gratia (quod non poterat anterius fieri), et sic regno Dei, gubernantis Israel lege timoris et servitutis, subsequeretur Ecclesia, vivens spiritu adoptionis filiorum, sub lege gratiae et caritatis.*

8. Quaestio II. — *Secundum quodnam augmentum gratiae fit missio invisibilis?*

[1] Luc., II, 25. — [2] Ps., L, 13. — [3] Io., VIII, 39. — [4] Ad 1[m]. — [5] Tract. XXXII, in Io. — [6] 1, Dist. XV, Quaest. V, art. 2. — [7] In h. l.

Huic quaestioni dupliciter potest responderi: *Primo*, sic quod secundum quodcumque augmentum gratiae et quemcumque profectum virtutis, fiat invisibilis Spiritus Sancti missio: *secundo*, et rectius, quod missio invisibilis attendatur tantum secundum novum statum, aut novum usum, aut etiam novum actum gratiae praeexistentis. — *Prior* sententia firmari videretur tum auctoritate S. Thomae dicentis [1]: *Etiam secundum profectum virtutis aut augmentum gratiae fit missio invisibilis*, tum verbis S. Augustini qui, loquens de missione invisibili, dicit [2]: *Tunc cuiquam mittitur Filius, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest, pro capta vel proficientis animae in Deum, vel perfectae animae rationalis in Deo.*

Secunda autem sententia hac ratione suadetur, videlicet quod ad actum quidem eliciendum, etiam maiori quadam intensione, forma praexistens sufficit, cum omnis forma finita habeat latitudinem quamdam in agendo; ad actum vero eliciendum non tantum intensiori efficacia, sed quasi latiori et ampliori, ad quem ipsa forma de se non se extendat, nova quasi forma requiritur, ideoque nova missio. Itaque, secundum hoc, nova missio invisibilis attenditur solummodo quando quis in tantam gratiae perfectionem assurgit, ut puta, donum miraculorum et prophetiae obtineat; aut cum ex fervore caritatis exponit se martyrio; aut rursus cum perfecto Dei amore ductus in professione religiosa totum se Deo offert, omnibus quae possidet renuntians per vota obedientiae, paupertatis et castitatis, emissa in religione ab Ecclesia approbata.

Quae quidem sententia verior est, nec ab hac realiter dissentiunt sancti Augustinus et Thomas. Nam, quantum ad illum attinet, dici potest, praedictis verbis, non quemcumque profectum, sed insignem tantum animae in Deum profectum significare voluisse. Ad auctoritatem vero S. Thomae advertitur quod priora verba responsionis [3]: *Etiam secundum profectum virtutis aut augmentum gratiae, fit missio invisibilis*, a nimis generali sensu quem nata sunt facere illico restringit, dicendo: *Sed tamen secundum illud augmen-*

[1] Ad 2[m]. — [2] L. IV, DE TRIN., c. 20. — [3] Ad 2[m].

tum gratiae praecipue missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, etc.

9. - **Quaestio III.** *Utrum ad beatos quoque fiat missio invisibilis?*

Resp. Affirmative. Siquidem, ad beatos fit missio invisibilis in ipso principio beatitudinis, in quo gratia eorum in actum consummationis prodit. Postea vero ad eos fit invisibilis missio, non secundum intensionem gratiae, quia immobilitas beatificae visionis id non sinit, sed secundum extensionem gratiae ad plura se extendentis, in quantum scilicet aliqua mysteria de novo eis revelantur, quod tamen tantummodo usque ad diem iudicii eventurum esse censendum est [1]. Similiter de angelis dicendum est [2].

10. — **Quaestio IV.** — *Utrum ad Christum facta sit missio invisibilis?*

Resp. Affirmative. Ad Christum facta fuit missio invisibilis in initio suae conceptionis, cum constitutus fuit *plenus gratiae et veritatis* [3]. Et quia ab illo momento ita fuit gratia repletus, ut nullum postea illius augmentum accipere potuerit, ideo postmodum missio invisibilis ad eum facta amplius non fuit [4]. Unde, quod in Evangelio legitur, *Iesum profecisse sapientia, aetate et gratia coram Deo et hominibus* [5], intelligendum est de manifestatione et usu, non autem de reali profectu in gratia et sapientia caelesti. Nec, cum in suo baptismate Spiritus Sanctus in eum sub columbae specie descendit, missio invisibilis facta est, sed tantum visibilis missio, ad declarandam vel missionem invisibilem in initio suae conceptionis factam, vel gratiam virtute sui baptismatis in fidelium cordibus abundantius producendam.

11. — **Quaestio V.** — *Utrum missio invisibilis facta sit ad sacramenta Novae Legis?*

Resp. Ad sacramenta Novae Legis missio divinae personae non fit, sed ad eos qui, per sacramenta, gratiam susci-

[1] Cf. quae diximus in Tract. de Deo Uno, Q. XII, art. 10. — [2] Ad 3[m]. — [3] Io., I, 14. — [4] Ad 3[m]. — [5] Luc., II, 52.

piunt. Revera, missio non dicitur fieri nisi respectu termini sanctificationis, gratia vero est in sacramentis Novae Legis, non sicut in termino, sed instrumentaliter, sicut forma artificiati est in instrumentis artis secundum quemdam decursum ab agente in patiens. Insuper, missio invisibilis attenditur secundum quod divina persona inhabitat animam iusti, tanquam cognita et amata : atqui sacramenta non sunt cognitionis et amoris capacia. Quapropter, in eos fit missio invisibilis Spiritus Sancti, qui per sacramenta gratiam suscipiunt [1], sive prius gratia caruerint, sive etiam illam habuerint, cum sacramenti devota susceptio semper novos gratiae effectus producat, ratione quorum dicitur gratia sacramentalis.

Articulus VII. — *Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti.*

1. — Ratio articuli. — Sicut invisibilis missio illa est quae occulte et prorsus spirituali modo perficitur, ut cum divina persona hominum mentibus illabitur, ita missio visibilis per signa sensibilia completur. Porro amplianda quaestio complectitur Filium, non minus quam Spiritum Sanctum ; at, quoniam visibilis Filii missio specialiter tractatur in tertia parte, ideo hic de Spiritus Sancti visibili missione potissimum quaeritur.

2. — Notandum. — Notari hic debet, quod, licet missionem invisibilem non semper missio visibilis comitetur, *unicuique enim datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* [2], missio tamen visibilis nunquam disiungitur a missione invisibili : est enim huius manifestativa. Unde, ait S. Doctor [3] : *Missio visibilis non est alia essentialiter ab invisibili missione Spiritus Sancti, sed tantum addit rationem manifestationis per visibile signum.* Cum igitur missio visibilis ordinetur ad designandam inhabitationem Spiritus Sancti per gratiam, falsum signum esset, si cum invisibili missione non iungeretur. Nec tamen est necesse quod missio invisibilis actu fiat cum fit missio vi-

[1] Ad 4[m]. — [2] 1. Cor., XII, 7. — [3] 1, Dist. XVI, art. 1.

sibilis, sed sufficit ut antea praecesserit, et eius effectus adhuc perseveret. Quocirca missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum sub specie columbae, referenda est ad illam invisibilem missionem in initio illius conceptionis, cuius quidem invisibilis missionis effectus adhuc perseverabat.

3. — Verba Leonis XIII. Utramque Spiritus Sancti missionem, visibilem scilicet et invisibilem, Leo XIII pulcre describit, his verbis [1]: *Itaque Spiritus Sancti et praesentia conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimirum quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur.*

4. Conditiones ad missionem visibilem habendam. Praeter conditiones generaliter requisitas ad habendam missionem, de quibus supra egimus, ad missionem visibilem ulterius requiritur ut habeatur signum visibile seu sensibile, divinam personam eiusque inhabitationem manifestans, et quod huiusmodi signum sit res quaepiam non antea existens sub illa forma et illo modo sub quibus apparet, sed quae peculiari Dei providentia repente in actum prodeat ad missionis finem, ideoque cesset statim ac effectum missionis significare desierit [2].

Quocirca, visibilis Spiritus Sancti missio non attenditur secundum imaginariam visionem, quae est visio prophetica, quia visio prophetica non est exhibita corporeis oculis per corporeas formas, sed in spiritu per spirituales corporum imagines. Nec missio visibilis Filii attenditur secundum signa sacramentalia vel symbolica Veteris et Novi Testamenti, sicut erat agnus paschalis, et petra de qua dicitur : *Petra autem erat Christus*, quia huiusmodi res non praecise ad hoc fiebant divinitus, sed praeexistentes assumebantur ad aliquid significandum, et in esse suo postea remanebant : petra enim illa iam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat [3]. Hinc colligentes ista omnia, dicere possumus, quatuor requiri

[1] Ep. Encycl. *Divinum illud.* — [2] Cf. ad 2[m]. et S. Aug., l. II. DE TRIN., c. 6. — [3] 1 COR., X, 4. — [4] Ad 2[m].

ad visibilem missionem: α) processionem personae missae a persona mittente; β) illius inhabitationem per gratiam: γ) signum quoddam sensibile seu visibile, illam personam eiusque inhabitationem manifestans; δ) denique ut res ista non antea exstiterit sub illa forma illoque modo, sed speciali Dei providentia ad hoc praecise fuerit deputata.

5. — **Quo sensu dicitur Spiritus Sanctus visibiliter missus.** Igitur Spiritus Sanctus visibiliter dicitur esse missus, in quantum fuit monstratus in quibusdam creaturis, sicut in signis ad hoc specialiter factis, quemadmodum accidit in columba in baptismate Christi et in igne qui super apostolorum caput descendit in die Pentecostes: columbam enim et ignem oculis viderunt quicumque viderunt, et ad hoc tantum significandum repente exierunt, scilicet ad significandam Spiritus Sancti inhabitationem. Figurae autem huius missionis exstiterunt in antiquo Foedere et flamma quae in rubo apparuit Moysi, et columna quam populus in eremo sequebatur, et fulgura et tonitrua quae facta sunt cum lex daretur in monte: siquidem et aliquid significabant huiusmodi rerum corporales species, et ad hoc significandum factae sunt, unde etiam mox praeterierunt; nec deficit in istis rebus ratio visibilis missionis, nisi quia non signabant inhabitantem per gratiam divinam personam [1].

6. — **Discrimen inter missionem visibilem Spiritus Sancti et missionem visibilem Filii.** At dictum est ad rationem visibilis missionis requiri quod signum aliquod sensibile assumatur, praecise ad hoc quod significet inhabitantem illam personam quae mittitur. Sed signum istud potest dupliciter sumi: *uno modo*, sic ut divina persona in eo operetur, *alio modo*, ut divina persona in eo subsistat. Et in hoc praecise consistit discrimen inter missionem visibilem Filii et missionem visibilem Spiritus Sancti, quod Filius quidem creaturam visibilem in qua apparuit, in unitatem personae assumpsit, Spiritus Sanctus vero creaturam visibilem, in qua apparuit, in unitatem personae non assumpsit. — Ex quo etiam

[1] Cf. ad 2[m].

aliud discriminis caput sequitur, scilicet quod quidquid de illa creatura a Filio assumpta dicitur, de ipso Filio Dei dici potest; non autem quod de creatura visibili, in qua Spiritus Sanctus apparuit, dicitur, de ipso Spiritu Sancto dici potest; quapropter, ratione humanae naturae Filius dicitur minor Patre; minor autem Patre, aut etiam Filio, propter visibilem et inferiorem creaturam in qua apparuit, Spiritus Sanctus dici minime potest [1]. *Ideo nusquam scriptum est*, ait S. Augustinus [2], *quod Deus Pater maior sit Spiritu Sancto vel Spiritus Sanctus minor Deo Patre; quia non sic est assumpta creatura in qua appareret Spiritus Sanctus, sicut assumptus est Filius hominis, id est, humana natura in qua forma ipsius Verbi Dei persona praesentaretur.*

Quanam autem formali ratione distinguatur missio visibilis Filii, a missione pariter visibili Spiritus Sancti, declarabitur sequente

7. — PROP. — α) **Conveniens fuit Filium et Spiritum Sanctum visibiliter mitti,** β) **aliter tamen et aliter; Filium, quidem, ut est sanctificationis auctor, Spiritum Sanctum vero, ut est sanctificationis donum.**

Adsertam convenientiam non a priori, sed a posteriori comprobatam volumus; id est, cum fide constet in divinis Scripturis consignata, tum Filium, tum Spiritum Sanctum visibiliter missos fuisse, quaenam huius facti rationes fuerint, pia mens investigare conatur.

8. — **Prob. 1ª Pars.** — Cum Deus omnibus provideat secundum uniuscuiusque modum, modus vero connaturalis hominis sit, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur, ideo oportuit ut invisibilia Dei homini per visibilia illius manifestarentur. Quocirca, sicut Deus seipsum, necnon processiones aeternas personarum, per creaturas visibiles, secundum aliqua indicia, hominibus quodammodo demonstravit, ita conveniens fuit ut invisibiles divinarum personarum missiones secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur; quo-

[1] Cf. ad 1um. — [2] L. II, DE TRIN., c.

circa legimus de Spiritu Sancto, et quod super Christum baptizatum descenderit in columbae specie [1], et quod super apostolos in linguarum forma venerit [2].

9. — **Secunda Pars declaratur.** — Quod Spiritus Sancti visibilis missio aliter esse debuerit ac missio visibilis Filii, ex hoc apparet, quod Spiritui Sancto, in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum; Filio vero, in quantum est ipsius Spiritus Sancti principium, competit esse sanctificationis huius auctorem: quocirca Filius visibiliter mitti debuit tanquam sanctificationis auctor, Spiritus Sanctus vero tanquam sanctificationis indicium. — Ex qua intrinseca missionis differentia, licet accipere rationem differentiae inter modum quo utriusque missio fuerit perfecta. Cum enim personam Filii declarari oportuerit ut sanctificationis auctorem, ideo oportuit quod missio eius visibilis fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere et cui potest competere sanctificari. Cum autem personam Spiritus Sancti declarari oportuerit ut sanctificationis indicium, indicium vero sanctificationis possit esse alia quaecumque creatura, ideo non oportuit quod missio visibilis Spiritus Sancti fieret secundum naturam rationalem. Nec oportuit quod creatura visibilis, ad hoc formata ut esset indicium missionis Spiritus Sancti, esset assumpta ab eodem Spiritu Sancto in unitatem personae, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam non oportuit quod talis creatura perduraret, nisi quamdiu perageret officium suum [3].

10. **Scholion.** — Hic vero notandum se offert quod creaturae, sub quibus visibilis missio perficitur, a tribus quidem personis sunt productae, non tamen ad tres personas significandas, sed ad illam tantum personam significandam, ad quam repraesentandam ordinatur signum illud visibile. Nec mirum esse debet quod aliis signis una persona, aliis alia repraesentetur, cum tamen personae non sint ad invicem separatae, quia sicut diversis nominibus significantur Pater,

[1] Matth., III, 16. — [2] Act., II, 4. — [3] Ad 4[m].

et Filius et Spiritus Sanctus, ita et diversis rebus significari possunt [1].

11. — **Quaestio I.** — *Quaenam sit Filii missio visibilis?*

Resp. Visibilis Filii missio fuit, cum in humana natura, hypostatice sibi unita, opus redemptionis nostrae aggressus est; et, tum per passiones, tum per praedicationes et merita sua, salutem nostram operatus est, hominibus gratiam impertiens. Quae missio visibilis adhuc perdurare dicenda est, cum in Eucharistiae sacramento sub signo visibili, hominum sanctificationem procurare non desinit. Non tamen ad visibilis missionis rationem accedunt quaecumque apparitiones Christi in aliqua exhibita corporea specie.

12. — **Quaestio II.** *Quaenam sint Spiritus Sancti visibiles missiones?*

Resp. Quinque recenseri possunt. *Prima* Spiritus Sancti visibilis missio facta est ad Christum in eius baptismo sub specie columbae, quod est animal fecundum ad ostendendam in Verbo incarnato auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem; unde vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus* [2], ut ad similitudinem Unigeniti, alii, qui sunt filii adoptivi, regenerentur.

Secunda visibilis Spiritus Sancti missio fuit ad eumdem Christum in eius transfiguratione, sub specie nubis lucidae, iuxta illud quod in festo transfigurationis Domini [3], legitur: *In splendenti nube Spiritus Sanctus visus est.* Porro, haec missio fuit tum ad ostendendum exuberantiam doctrinae, unde dictum est [4]: *Ipsum audite*, tum ad praefigurandam claritatem gloriae et refrigerium ab omni malo, ut explicat S. Thomas [5].

Tertia Spiritus Sancti visibilis missio fuit ad apostolos, sub specie flatus, ad ostendendam ministerii potestatem in sacramentorum dispensatione et in peccatorum remissione; unde dicitur [6]: *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

[1] Ad 3[m]. — [2] Matth., III, 17. — [3] In secundo Respons. ad Matutinum. — [4] Matth., XVII, 5. — [5] 3. Quaest. XLV, art. 4, ad 2[m]. — [6] Io., XX, 22, 23.

Quarta fuit ad eosdem apostolos sub ignearum linguarum et venti vehementis specie, ad ostendendum doctrinae officium cum sapientiae et caritatis augmento [1].

Addi utique debet et *quinta* visibilis missio, facta *ad aliquos primitivos sanctos*, ut habet S. Doctor, *in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur*. Quod inferri posse videtur ex hoc Actuum Apostolorum [2]: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus Sanctus*, etc. Item ex hoc [3]: *Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio*. Rursus [4]: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant*. Quibus omnibus innuitur Spiritum Sanctum missum fuisse in signo sensibili, ut confitentibus fidem Christi robur supernaturale impertiret [5].

13. — Quaestio III. — *Utrum missio visibilis Spiritus Sancti facta fuerit ad Patres Veteris Testamenti?*

Resp. Negative. Ratio est quia, ut ait S. Doctor, *prius debuit perfici missio visibilis Filii quam Spiritus Sancti, cum Spiritus Sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem*. Unde, cum nondum Filii visibilis missio completa fuisset, ad Patres Veteris Testamenti nulla visibilis missio fieri debuit. Unde tenendum est, visibiles illas apparitiones divinarum personarum, quae leguntur in Genesis capitibus XVIII et XXXII, necnon in Exodi capitibus III et XX, pariter in Isaiae capite VI et Danielis capitibus III et VII, non posse dici missiones visibiles, quia, ut ait S. Augustinus [6], *non fuerunt factae ad designandum inhabitationem divinae personae per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum*, scilicet Trinitatem, aut aliquod aliud mysterium. Accedit quod, in missione visibili Spiritus Sancti, signum sensibile exterius seu creatura visibilis formatur ministerio angelorum: sed res signata interior, scilicet persona Spiritus Sancti inhabitantis per gratiam, non est effectus ministerii angelici. In apparitionibus autem utrumque factum est mini-

[1] Act., II. — [2] VIII, 18. — [3] Ibid., XI, 15. — [4] Ibid., XIX, 6. — [5] Cf. resp. ad 6[m]. — [6] L. II, de Trin., c. 17.

sterio angelorum: scilicet et signum exterius et res signata interior, nempe illuminatio animae de rebus exterius manifestatis [1].

14. — **Quaestio IV.** — *Utrum signa in missione visibili apparentia fuerint res sensibiles?*

Resp. Affirmative, secus missio ipsa non fuisset sensibilis. Non tamen fuit necesse ut illa signa sensibilia essent illaemet res quae apparebant, sed satis fuit ut essent illarum similitudines. Sic linguae quae supra apostolorum capita apparuisse dicuntur [2], fuerunt tantum linguarum similitudines; de columba tamen utrumque citra fidei periculum retineri potest, scilicet, aut quod fuerit verum animal, aut quod fuerit tantum huius animalis similitudo [3]; nubes vero quae apud Matthaeum [4] memoratur, vera fuisse videtur. Nec ex eo quod aliquando res illae verae non fuerint, fictiones dicendae sunt, non enim assumebantur ad ostendendam aliquam veritatem in rebus ipsis, sed tantummodo ut essent signa invisibilis missionis. At vero, de humanitate Christi Domini non ita disceptare fas est utrum vera fuerit, necne: dogma enim fidei nostrae est eam assumptam fuisse, non modo ad signum invisibilis Filii missionis, sed etiam ad unitatem τοῦ **esse hypostatici.**

ARTICULUS VIII. — *Utrum nulla persona divina mittatur, nisi ab ea a qua procedit aeternaliter.*

1. — **Ratio articuli.** — In ultimo isto articulo de persona mittente inquirit S. Thomas, sive secundum missionem invisibilem, sive secundum missionem visibilem. Et iam quidem videretur quaestio satis resoluta, cum dictum fuerit missionem, in suo conceptu, importare habitudinem missi ad mittentem secundum originem, unde concludendum satis appareat solam illam personam in divinis mittere, quae habet, relate ad aliam, rationem principii, puta Filium a solo Patre.

[1] Cf. resp. ad 5^m^, et 1, Dist. XVI, art. 4. — [2] ACT., II. — [3] Cf. 3, Quaest. XXXIX, art. 7. — [4] Cap. XVII.

et Spiritum Sanctum a solis Patre et Filio mitti. At sancti Augustini auctoritas contrarium suadere videtur; dicit enim ille [1] quod *Filius mittitur et a se et a Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus etiam mittitur et a se et a Filio*; unde salvo manente quod mitti in divinis soli personae ab alia procedenti conveniat, cuilibet personae videretur posse convenire mittere.

2. — **Distinctio.** — Ad cuius difficultatis solutionem, sciendum est in missione alicuius personae duo posse considerari, scilicet processionem unius personae ab altera, et effectum secundum quem attenditur sive visibilis sive invisibilis missio. Ita, verbi gratia, in Filii visibili missione, potest considerari ipsa Filii a Patre processio, et salus quam Filius per assumptam carnem operatus est. Unde, quando dicitur quod persona mittit aliam in divinis, per ly *mittit*, potest designari principium personae, aut potest designari principium effectus secundum quem attenditur missio. Unde, iuxta hunc duplicem sensum, haec propositio: *Pater mittit Filium*, potest sic reddi: *Pater est principium quo est Filius*, aut: *Pater est principium salutis humanae per Filium perfectae*. Quibus praemissis, sit

3. — PROP. — **α) Si mittens designetur ut principium personae missae, sic mittere competit tantummodo personae quae est alterius principium; β) si autem designetur ut principium effectus missionis, sic mittere toti Trinitati convenit.**

4. — **Prob. 1ª Pars.** — Mittere in divinis secundum quod mittens designatur ut principium personae missae, attenditur secundum originem personae ab alia. Atqui oriri non competit personae divinae, nisi relate ad eam vel ad eas quae sunt sui principium. Ergo si mittens designetur ut principium personae missae, sic mittere non competit nisi personae quae est alterius principium. Revera, mittere sic acceptum importat et personam divinam esse principium a quo alia aeternaliter procedit, et mittentem habere auctoritatem

[1] Lib. II, DE TRIN., c. 5.

respectu missi. Atqui una persona non est alterius principium, et non habet auctoritatem in aliam, nisi secundum originem. Ergo mittere, ut dicit habitudinem missi ad mittentem, non competit nisi personae a qua missus aeternaliter procedit. Unde dicit S. Augustinus [1]: *Pater a nullo mittitur, quia a nullo est* [2].

5. — **Probatur 2ª Pars.** - Ad operationem effectus missionis divinae, tota Trinitas convenit. Atqui mittens, secundum quod designatur ut principium effectus missionis, dicit habitudinem ad operationem effectus missionis divinae. Ergo toti Trinitati convenit mittere, inspecta scilicet missione secundum quod persona mittens intelligatur esse principium effectus missionis. Et secundum hoc intelliguntur verba illa Isaiae [3]: *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus eius.* Et rursus [4]: *Spiritus Domini super me, eo quod miserit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me*, quae verba Dominus Noster repetit et sibi applicat [5]. Ex quibus exhibetur Filius non modo a Patre, sed etiam a Spiritu Sancto missus, ad effectum scilicet redemptionis, seu ad salutem humanam procurandam. — Iste tamen loquendi modus improprius est, et a S. Thoma non in alium finem adductus, nisi ut S. Augustini verba explicet: *Hoc dico*, ait Angelicus [6], *secundum modum quo Augustinus loquitur de missione. Sed secundum Graecos persona non mittitur nisi ab illa a qua procedit aeternaliter. Unde Filius non mittitur a Spiritu Sancto, nisi secundum quod est homo* [7].

6. — **Tacita difficultas.** — Si quis autem, ex eo quod persona divina missa perhibetur ab ea etiam a qua non procedit aeternaliter, argumentum desumat ad probandum quod ergo et ab homine Spiritus Sanctus dari possit [8], quod tamen improbat S. Augustinus [9], — facile *negatur consequens et consequentia*: homo enim Spiritum Sanctum dare non potest.

[1] Lib. IV, DE TRIN., cap. ult. — [2] Ad 1m. Cf. OPUSC., I, c. 14 et DE POT., quaest. X, art. 4, ad 14m. — [3] XLVIII, 16. — [4] Ibid., LXI, 1. — [5] LUC., IV, 18. — [6] OPUSC., I, c. 14. — [7] Cf. I, Dist. XV, Quaest. III, art. 1. — [8] Ad 3m. — [9] Lib. XV, DE TRIN., c. 26.

cum effectum gratiae non valeat per se causare, quod tamen ad rationem missionis sic acceptae, ut diximus, requireretur.

7. — **Scholion.** — Hoc tamen non officit quominus homines, dum sacramenta ministrant, Spiritum Sanctum dare dicantur, scilicet per modum instrumenti, Apostolo testante, qui ministerium Novi Testamenti vocat *ministrationem Spiritus*[1]. Unde episcopus sacerdotibus ordinandis dicit: *Accipite Spiritum Sanctum*; et communiter retinendum est iustificationis, quae non est sine datione Spiritus Sancti, ministros esse homines, in sacramentorum confectione et administratione. Demum possunt et iusti dici dare Spiritum Sanctum, quatenus orationibus et supplicationibus suis illum impetrant: quae tamen omnia a missionis ratione aliena prorsus sunt.

EPILOGUS.

Haec ea sunt, quae ad almum Trinitatis mysterium, quantum humanae menti in exsilio positae conceditur, cognoscendum, pertinent, quae tamen pauciora sunt, quam ut tanti mysterii perfectam intelligentiam praebeant; siquidem, ut scribit Alighierius[2]:

Matto è chi spera che nostra ragione
Possa trascorrer l'infinita via
Che tiene una sustanzia in tre persone.

Huius tamen ineffabilis mysterii plenior et umbris vacua notitia in patria reservatur, hominem undequaque laetificatura, quam et harum paginarum pio lectori, supplicique scriptori misericorditer concedat SANCTA ET INDIVIDUA TRINITAS, PATER, ET FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS, quibus honor et gloria per infinita saecula. Amen.

LAUS DEO ET DEIPARAE.

[1] 2, COR., III, 8. — [2] Purgat. Cant. III, 34, seq.

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMA TRINITATE

INDEX QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

PAG.

PROOEMIUM 1

QUAESTIO PRIMA

(XXVII).

De processione divinarum personarum.

Art. I. Utrum processio sit in divinis 11
— II. Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit . 27
— III. Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi . 36
— IV. Utrum processio amoris in divinis sit generatio . 43
— V. Utrum sint plures processiones in divinis quam duae 50

QUAESTIO SECUNDA

(XXVIII).

De relationibus divinis.

Art. I. Utrum in Deo sint aliquae relationes reales . 60
— II. Utrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia . . 71
— III. Utrum relationes quae sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur 77
— IV. Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales: scilicet, paternitas, filiatio, spiratio et processio 82

QUAESTIO TERTIA.

(XXIX).

De personis divinis.

PAG.

Art. I. De definitione personae 91
— II. Utrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia et essentia 97
— III. Utrum nomen personae sit ponendum in divinis . . 103
— IV. Utrum hoc nomen, persona, significet relationem . . 110

QUAESTIO QUARTA

(XXX).

De pluralitate personarum in divinis.

Art. I. Utrum sit ponere plures personas in divinis . . . 121
— II. Utrum in Deo sint plures personae quam tres . . 124

DISSERTATIO SPECIALIS.

PROBATIONES CIRCA MYSTERIUM SANCTISSIMAE TRINITATIS EX DOCUMENTIS FIDEI DESUMPTAE.

— III. Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis . 146
— IV. Utrum hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis 150

QUAESTIO QUINTA

(XXXI).

De his quae ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis.

Art. I. Utrum Trinitas sit in divinis 155
— II. Utrum Filius sit alius a Patre 157
— III. Utrum dictio exclusiva, SOLUS, sit addenda termino essentiali in divinis 161
— IV. Utrum dictio exclusiva possit adiungi termino personali. 166

QUAESTIO SEXTA

(XXXII).

De divinarum personarum cognitione

PAG.

Art. I. Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci 172
— II. Utrum sint ponendae notiones in divinis 192
— III. Utrum sint quinque notiones 200
— IV. Utrum liceat contrarie opinari de notionibus . . . 204

QUAESTIO SEPTIMA

(XXXIII).

De persona Patris.

Art. I. Utrum competat Patri esse principium 209
— II. Utrum hoc nomen, Pater, sit nomen proprium divinae personae 213
— III. Utrum hoc nomen, Pater, dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur 217
— IV. Utrum esse ingenitum sit Patri proprium 220

QUAESTIO OCTAVA

(XXXIV).

De persona Filii.

Art. I. Utrum Verbum in divinis sit nomen personale . . 226
— II. Utrum Verbum sit proprium nomen Filii . . . 237
— III. Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam 241
Synopsis de haeresi ariana 247

QUAESTIO NONA

(XXXV).

De imagine.

Art. I. Utrum imago in divinis dicatur personaliter . . . 252
— II. Utrum nomen imaginis sit proprium Filii . . . 254

QUAESTIO DECIMA
(XXXVI).

De persona Spiritus Sancti.

PAG.

Art. I. Utrum hoc nomen, Spiritus Sanctus, sit proprium alicuius divinae personae 261
— II. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio 266
— III. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium . 294
— IV. Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti 300

QUAESTIO UNDECIMA
(XXXVII).

De nomine Spiritus Sancti quod est amor.

Art. I. Utrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti . . 311
— II. Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto . . 317

QUAESTIO DUODECIMA
(XXXVIII).

De nomine Spiritus Sancti quod est donum.

Art. I. Utrum Donum sit nomen personale 324
— II. Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus Sancti 329

QUAESTIO DECIMA TERTIA
(XXXIX).

De personis ad essentiam relatis.

Art. I. Utrum in divinis essentia sit idem ac persona . . 336
— II. Utrum sit dicendum tres personas esse unius essentiae . 340
— III. Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus personis 344
— IV. Utrum nomina essentialia concrete possint supponere pro persona 348
— V. Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona 353

PAG.

Art. VI. Utrum personae possint praedicari de nominibus essentialibus 357
— VII. Utrum nomina essentialia sint appropriandа personis . 360
— VIII. Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa 365

QUAESTIO DECIMA QUARTA

(XL).

De personis in comparatione ad relationes sive proprietates.

Art. I. Utrum relatio sit idem quod persona 377
— II. Utrum personae distinguantur per relationes . . . 381
— III. Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases 388
— IV. Utrum actus notionales paeintelligantur proprietatibus . 393

QUAESTIO DECIMA QUINTA

XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales.

Art. I. Utrum actus notionales sint attribuendi personis . . 399
— II. Utrum notionales actus sint voluntarii 403
— III. Utrum actus notionales sint de aliquo 408
— IV. Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium 414
— V. Utrum potentia generandi significet relationem et non essentiam 419
— VI. Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit 423

QUAESTIO DECIMA SEXTA

(XLII).

De aequalitate et similitudine Divinarum Personarum ad invicem.

Art. I. Utrum aequalitas locum habeat in divinis 430
— II. Utrum persona procedens sit coaeterna suo principio, ut Filius Patri 436

PAG.

Art. III. Utrum in divinis personis sit ordo naturae . . . 444
— IV. Utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem 449
— V. Utrum Filius sit in Patre et e converso . . . 456
— VI. Utrum Filius sit aequalis Patri secundum potentiam . 461

QUAESTIO DECIMA SEPTIMA

XLIII.

De missione Divinarum Personarum.

Art. I. Utrum alicui divinae personae conveniat mitti . 468
— II. Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum . . 473
— III. Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis . . 476
— IV. Utrum Patri conveniat mitti 482
— V. Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti . 484
— VI. Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae 489
— VII. Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti . . 494
— VIII. Utrum nulla persona divina mittatur, nisi ab ea a qua procedit aeternaliter 501

Epilogus 504

Laus Deo et Deiparae.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

12485
230
L26
Lepicier, Cardinal
AUTHOR
De Sanctissima Trinitate
TITLE
DATE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709